FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

Opera

ANGELI || POLITIANI || OPERVM || TOMVS PRIMVS. || Epistolarum libros XII. ac Miscellaneorum || Centuriam I. complectens. || Indicem rerum memorabilium calci || operis adiecimus. ||

Poliziano, Angelo

Antverpiae, 1565

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-155013

Visual Library

9 K
1477 F. 21

Angelus Politianus oder Angelus Bassus, oder Jan Petit s. Joh. Parvus, ein Schüler d. Canonicus, war Prof. der griechisch u. lat. Sprache zu Florenz, geboren zu Monte Pulciano oder Politiano in Toscana d. 14 Jul. 1454. Berühmt ist sein griechisch u. lateinisch: Epistolae ungemein gerühmt Lehrer zu Florenz als Demetrius Chalcocondyles, der ein gelehrter Grieche war, d. soll sein Leben sehr unglücklich beschlossen haben a. 1469 (da er schon 40 Jahre alt war) der selbe soll eine große Menge d. griech. Bücher mit sich gebracht haben. Man beschuldigt ihn gefährlicher Meinungen u. der Atheisterey. Die Heilige Schrift soll er sehr gering geschätzt u. den Pindarum vor einen besseren Lehrer gehalten haben als den göttlichen Schriftsteller. Er schrieb eine Lateinische Übersetzung des Herodiani worüber er einen Plagium begangen hat; Miscellanea; Lat. Gedichte; Fabeln p. d.

War einer der gelehrtesten Schriftsteller seiner Zeit. Man sagt, daß er mehr dem Marsilio Ficino, als Lehrer des Cosmi Medici, die Griechen studiert. Seine Lateinische Briefe finden einen Liebhaber u. wird erzählt, daß der Herzog von Mantua sie so sehr geschätzt, daß er allen Gelehrten, die zu ihm kamen, sie exemplar davon verehrt. Er würde sich mit mehrern Werken berühmt gemacht haben, wenn sie nicht der Tod, da er nur 40 Jahre alt war, hinweggerafft. Er war ein ungemein witziger u. lustiger Mann. Sein Gesicht, welches häßlich war, kam seinem Verstande nicht gleich; Man giebt ihm schändliche Liebe schuld, worüber er in mehrern Liedern gelacht u. sich darüber aufgehalten haben soll; ingleichen, daß er die Heilige Schrift verachtet u. behauptet, daß er sie gelesen habe, welches aber ungewiß ist. Baillet versetzt ihn unter diejenigen die schon als Kinder gelehrt gewesen. B. H. d. G.

Praeceptor Latinae linguae peritissimus Grammaticus, Orator et Poëta insignis. Poëta ille.
Fautor Angelum prosecutus angelica suavitate mentis, rarâ naturae miraculum, ad quodcunque scriptis genus applicaret animum. Erasmus in Ciceron.

Politiani versu litteris, quid politius dari possit non video, qui quot habet verba, tot illecebris leporibusque abundet, et latinum illud vetus ita sapit et Atticas Veneres, ut vel hic unus omnium instar esse possit ei, qui in commercio hoc litterario ductorem desiderat. Orucius in Epist. l. 2
Politianus vir omni laude major. Scaliger l. 1 Poetic.

Politianus varius in dicendo, ut qui diversos quandoq; voluerit
effingere, crebra tamen in eo, a certa sententia; multaq; lectione
et eruditione non vulgari sua referrit opera. Possevin.

Mirifice delectabatur vocabulis novis. Voss. Inst. Orat.

ANGELI POLITIANI OPERVM

TOMVS PRIMVS.

Epistolarum libros XII. ac Miscellaneorum Centuriam I. complectens.

Indicem rerum memorabilium calci operis adiecimus.

Franckesche Stiftungen
Haupt-Bibliothek
Halle/Saale

Johannes Rigander
vedenit E Bibliotheca
Vitti, Perusiae,
A. C. R. Cl. Ic XIII.

ANTVERPIAE,
Apud Philippum Nutium, Anno
M. D. LXV.

Dan. Müllers
Ex bibl. Joh. Lat.
1712

CATALOGVS EORVM, QVI IN HOC OPERE SCRIBVNT EPISTOLAS.

Angelus Politianus.
Antonius Codrus Vrceus.
Augustinus Maphæus.
Aldus Manutius Romanus.
Baptista Guarinus.
Barptolemæus Scala.
Baccius Vgolinus.
Barptolemæus Chalcus.
Callimachus.
Cæsar Carmentus.
Franciscus Puccius.
Franciscus Picolomineus, Cardinalis Senensis.
Georgius Merula.
Hermolaus Barbarus.
Hieronymus Donatus.
Ioan. Picus Mirandulanus.
Iacobus Antiquarius.
Ioan. Francisc. Benedictus.
Innocentius Papa VIII.
Iacobus Cardinalis Papiēs.
Ioannes, Dei gratia, Rex Portugalliæ.
Lodouicus Odoaxius.
Lucius Phosphor⁹, Pōtifex Signinus.
Laurentius Medices.
Ludouicus Maria Sfortia, dux Mediolanensis.
Marcus Antonius Sabellicus.
Marsilius Ficinus.
Macarius Mutius eques.
Matthæus Veronensis, canonicus regularis.
Michaël Acciarius Vtinensis.
Nicolaus Leonicenus.
Pomponius Lætus.
Philippus Beroaldus.
Paulus Cortesius.
Petrus Crinitus.
Scipio Carteromachus.
Tydeus Acciarinus.

Præterea in hoc Duodecimo addita sunt multa sanè quàm elegantia Hermolai Barbari Syntagmata: inter quæ epistola eruditissima de ferculis, & oratio elegātissima ad Federicum Imperatorem, & Maximilianum Regem Romanorum.

p. 401.

ANGE-

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER PRIMVS.

ANGELVS POLITIANVS
Petro Medici suo. S. D.

EGISTI mecum sæpenumero, magnanime Petre Medices, vt colligerẽ meas epistolas, & in volumen redactas publicarem. Collegi, ne non in omnibus obsequerer tibi, quo sunt in vno spes omnes, opesq; meæ sitæ. Neque collegi tamen vniuersas: id enim laboriosius, quàm Sibyllæ folia. Non scripseram videlicet ad hoc, vt in vnum corpus referrentur, sed ad vsum præsentem duntaxat, oblatis argumentis, non quæsitis. Ita nec exempla mihi retinui, nisi quarundam, puto minus felicium, quæ diu iam cum blattis & tineis rixabantur. Veruntamen vt instar volumi-nis efficerem, nonnullas etiam missas ad me, sed à doctis duntaxat, inserui, quæ marcentem quasi stomachum lectoris excitarent. Est autem omnino stylus epistolarum mearũ ipse sibi dispar: quo nomine multum quoq; scio reprehẽdar. Nam nec eadem mihi semper voluntas, nec idẽ cuiq; vel personæ, vel materiæ congruebat. Non deerũt ergo qui dicant, vbi tam varias epistolas legerint (si quimodò legerint) iterum me Miscellanea, non epistolas composuisse. Sed inter diuersas opiniones & præcipien-

Epistolarū stylus.

tium de epistolis, & epistolas scribentium, speraui fore profectò ne cubi mihi patrocinium deesset. Occurret aliquis forsan, qui Ciceronianas esse neget: huic ego dicam (nec sine auctore tamē) in epistolari stylo silendū prorsus esse de Cicerone. Rursus alius hoc ipsum culpabit, quòd æmuler Ciceronem: sed respondebo, nihil mihi esse magis in votis, quàm vt vel vmbram Ciceronis assequar. Optaret alius vt Oratorem Plinium saperem, quòd huius & maturitas, & disciplina laudatur: ego contrà totum illud aspernari me dicam Plinij seculum. Sed & si Pliniū cuiquā redolebo, tuebor ita me, quòd Sidonius Apollinaris, nō omnino pessimus auctor, palmam Plinio tribuit in epistolis. Symmachum si cui referre videbor, non pudebit, vt cuius & breuitas celebretur, & rotunditas. Abesse rursus à Symmacho si cui credar, negabo mihi siccitatem placere. Longiores quædam dicentur epistolæ: tales Plato scripsit, Aristoteles, Thucydides, Cicero. Dicentur aliæ contrà nimis breues: obijciam tunc ego Dionem, Brutum, Apollonium, Marcum, Philostratum, Alciphronem, Iulianum, Lybanium, Symmachum, sed & Lucianum, quem falsò Phalarim vulgò putant. Damnabit alius me, quòd argumenta non sint hîc epistolaria: damnari me patiar, sed cum Seneca. Nolet aliquis in epistolis sententias: prouocabo rursus ad Senecam Poscet alius rursum sententias: huic ergo pro me Dionysius resistet, ac pertinere sententias ad epistolam negabit. Stylus esse nimium dicetur apertus: hunc tamen laudat Philostratus. Dicetur obscurus: at est ad Atticum talis M. Tullij. Neglegens erit: at epistolis neglegentia est ipsa pro cultu. Rursus erit idem diligens: conuenit maxime, quoniā pro munere mittuntur epistolæ. Si cōcinnitas ibi sit, asseretur à Dionysio: si desit, ab Artemone.

Lucianus. Phalaris.

mone. Tum quoniam Romani quoq; sunt Atticismi quidam, si non erit Attica, decebit hoc ipsum: nam quo alio damnatur Herodes, quàm quòd Atticus homo nimis Atticisset? Sin contrà nimis Attica: Theophrastus hîc proferetur, in hoc notatus ab anicula, licet homo non Atticus. Non erit festiua: me verò seueritas delectat. Non erit seuera: sed ego delicijs capior. Figuras habebit: hos ergo ipsos quasi gestus amat epistola sermoni proprior. Carebit figuris: at hoc ipsum carere figuris, figurat epistolam. Promet indolem scribentis: id quoque præcipitur. Non promet: nõ scilicet quæsiuit, vt quæ carere ambitione debet. Circulo claudetur: hoc & Græci faciunt. Aberit circulus: nec hoc Philostratus improbat. Soluta erit, & incompositа: non displicet Aquilæ. Pedes habebit, & iuncturam: non displicet Quintiliano. Non aget: non est enim dialogus. Aget: est affinis dialogo. Communiter dicis, inquit alius, quæ communia: noue, quæ noua: cum stylo res igitur congruit. Immo autem communiter noua dicis, noue communia: nempe quoniam memor sum præcepti veteris, τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰ δ' καινὰ κοινῶς. Ad hunc igitur modum posse vsquequaque spero tergiuersari. Sed tamen ipsi viderint. Tibi verò mi Petre suauissime, certò satisfaciã vel in epistolis, si bonæ fuerint, vel in obsequio, si non bonæ. Vale.

Cõmunia quidem noue, noua verò cõmuniter.

ANGELVS POLITIANVS
Petro Medici suo s. d.

De ciuitatis Florentinæ origine.

CVM sæpe ex nobis audisses Florẽtiam, qua tu in vrbe principem locum, sicuti diu maiores tui, meritò tenes, aliam prorsus habuisse originẽ, quàm quæ ab historiæ nostræ scriptoribus prodatur: rogasti humanissimè, quod semper soles, vt quidquid ea de re cõperti haberẽ, litteris mandarẽ. Fore enim aiebas, vt mihi ciuitas omnis

iure deberet, quòd parentes ei suos demonstrassem, præsertim qui tales extitissent, vt si sumendi ex quacunque historia fuissent, præstantiores omnino deligi non potuerint. Ego igitur mi Petre, cùm vt ciuitati gratum faciam, quæ me benignè semper, humanèq; tractauit, tum vt tibi honesta postulanti, quo nihil mihi gratius in terris viuit, obtemperem: breuiter hac epistola cõplectar, quid in litterarum monimentis de vrbis huius auctoribus inuenerim, tum de nomine ipso pauca subnectã. Quoniamq; satis constat etiam Fæsulanos in partem ciuitatis fuisse acceptos, vnde appellatas quoq; crediderim Fæsulas, exponam. Deduxêre igitur Florentiam Coloniam Triumuiri, Caius Cæsar, qui deinde Augustus, Marcus Antonius, & Marcus Lepidus, etiam Pontifex Maximus. Coloni autem deducti Cæsariani milites, quibus assignata ducenta iugera per cardines, & decumanos.

Iulius Frõtinus. Quod ego apud Iulium Frontinũ reperio celeberrimum scriptorẽ, qui Neruæ ætate floruit, in libro de Agrorum mensuris, quẽ tu librum domi habes Petre Medices vetustißimum. Ita, quod nulli vnquam cõtigit, à tribus Imperatoribus, quorũ vnus omniũ summus, alter etiã Pontifex Maximus, orta est Florentia. Ciues autem primi Florentini viri illi fuerunt, quorum virtuti nulla nec arma, nec muniměta, nec robora restiterũt. Explorata origine, cauſſam quoq; nominis indagemus. Triplex Romæ vrbi fuisse nomen proditur: vnũ hoc, quod diximus, peruulgatum: alterum, quod arcanum fuit, vnde Amaryllida suam, quæ amorem proprie significat, in Bucolicon carmen poëta detorsit: tertium sacrificijs debitum, de quo vocabulum Floralibus impositũ, quod Anthusam Græcè Philadelphus interpretatur, homo doctus, à quo hæc accepimus. Hoc tu Latinè vel Florentem vertas, vel

Romæ triplex nomen.

Anthusa.

aptius

aptius Floram fortasse, aut Florētiam. Scimus autem populi Romani Colonias quasi effigies paruas eius, & simulacra fuisse. Constat etiam Florentiam conditam ad Romæ imaginem, quod (vt alia præteream) nomen quoq; adhuc Capitolij, & regionum quarundam testificatur. Idem autem fuisse Anthusæ vocabulum Constātini vrbi positum, quæ noua Roma diceretur, tam Philadelphus idem, quàm etiam doctissimus Eustathius tradiderūt. Inde igitur productum nomen, vnde vrbs quoq; ipsa producta. Nam apud Plinium vel corrupta voce Fluentinos legi, pro Florentinis: velita olim veteres populos, qui profluentis Arni ripas incolerēt, appellatos crediderim, qui tamē deinde in Florentinos condita vrbe, deductaq; Colonia cōmigrauerint, vt edictum quoq; Desiderij Lōgobardorū Regis Fluentinos appellantis, ad vtrāuis redigi causſam facilè posſit. Ptolemæus certè (vt quidam vetusti fatentur codices) Florentiam dixit. Idemq; libro Historiæ naturalis quarto decimo Plinius, quāquam vulgatis codicibus mendosissimus omnino sit locus. Meminit & Paulinus Ambrosij discipulus Florentiæ, qui nostro etiam Præsuli Zenobio locupletissimum sanctitatis testimonium perhibet. Indicat & Procopius quàm etiam tum valida hæc vrbs, & præpotens fuerit, quæ tentata sæpius à Gotthis, expugnari non potuit. Vnum antiquitatis in ea vestigium pulcerrimum extat adhuc, templum hoc mirifica structura olim Martis, nunc Præcursoris titulum gerens. Etenim Martem Romani originis auctorem, Martē Cæsariani potissimùm colebāt milites, orbis terrarū victores, Martem præcipuus vestræ vrbis conditor Augustus, vt cui Romæ quoq; medio foro cognomēto Vltori posuit templum. Quò minus mirandum Florentinam iuuentutem, quamuis patrio more abstineat

Fluētini.

Zenobius Præsul Florētiæ.

Mars.

armis, ludicris tamen adhuc certaminibus, etiam inter milites exercitatissimos, excellere. Nam de te, Petre, nihil hoc loco mihi dicendum, qui tot palmas nuper paucis diebus toties victor abstuleris: ne fortè nostra hac epistola tui laudandi captasse occasionem cuiquam videar.

Fæsulæ à quo conditæ.

Fæsulæ restant, quas ab Atlante illo cœlifero conditas, & vetus fama fert, & homo, vt illis temporibus doctissimus Ioannes Boccatius confirmat: quæ ne diutius tamẽ vacillet auctoritas, Hesiodum citare possum vetustissimum Poëtam, qui Fæsulam fuisse vnam, sed & primam Nympharum declarat, à quibus Hyadum, seu Latinè Sucularum sydus exprimitur, quarum scilicet positum luna repræsentat, quod adhuc insigne Fæsulanis est: nisi potius ob id lunam gestant, quòd vltima erraticarũ verticem ipsum Atlantis cœlum fulcientis potissimùm premit. Sed audi iam versus Hesiodios, quos ex libro ipsius, cui titulus Astræa, partim grauis auctor Theon, partim

Zezes.

Zezes ille Grammaticus repetit in epistolarum suarum commentarijs, incomparabilis memoriæ vir atque infinitæ penè lectionis.

Νύμφαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι
Φαισύλη, ἠδὲ Κορωνὶς, ἐϋστέφανός τε Κλείη,
Φαιώ θ' ἱμερόεσσα καὶ Εὐδώρη τανύπεπλος.
Νύμφαι, ἃς ὕάδας καλέεσσι φῦλ' ἀνθρώπων.

Nymphæ Gratijs similes,
Fæsula, & Coronis bene coronata, Cleia,
Phæoq; suauis, & Endore habens longum peplum.
Nymphæ quas Hyadas vocant genera hominum.

Vides vt Fæsulam nominat Hesiodus inter Hyadas potissimam, quod apud Eustathium quoq; reperias, quãuis in eo mendosis codicibus Aesula sit. Sed & Ammonius Grammaticus Fæsulæ meminit, vt vnius è Bacchi nutricibus.

cibus. Hyadas autem fuisse Atlãtis filias, & easdem Bacchi nutrices, nullus credo paulò humanior ignorat. In ea verò ciuitate fulminum claros interpretes vetere Hetrusca disciplina fuisse, docet ita Silius: Affuit & sacris interpres fulminis alis Fæsula. Cui quoniam semper ego nescio quo pacto plus ceteris faui, tacere illud non possum, totius etiam Italiæ salutem referri acceptam Fæsulanis oportere, videlicet in quorũ iugo Radagasius olim Gotthorum rex immanissimus, cum ducentis hominũ millibus orbem terrarum vastantibus diuinitus conclusus, exceptus, trucidatusq; fuerit. Hæc sunt, mi Petre, quæ de Florentia, & Fæsulis intacta nostris annalibus, apud reconditos quidem, sed idoneos tamen auctores inueneram: quæ, nisi fallor, ciuibus nostris, tibiq; gratissima esse debent. Ego certè nihil hoc maius homo studijs deditus litterarum præstare vobis potui, qui me in ciuitatem asciueritis, quàm vt labore, industriaq; mea parẽtes aliquando vestros, tam multis adhuc seculis ignoratos, celebres, illustresq; viros agnoscere tis. Vale.

Radagasius Gothorum rex.

IOANNES PICVS MIRANDVLA Angelo Politiano S. D.

CVM Musas tenues meas, quibus dum per ætatem licuit de amoribus meis iocatus sum, in libellos quinque digesserim, mitto ad te illorum primũ, missurus & alios, si in hoc vno amicum experiar te, non assentatorem: ea enim lege ad te veniunt, vt castigentur, vt vapulent, vt erratorum pœnas & vnguc. & obeliscis luant. Adhibe igitur te illis æquum iudicem, nõ iniquum, hoc est, seuerum, non indulgentem. Nam quæ maior iniquitas, quàm amicum fallere de te sibi omnia promittentem? Non eò vsque ingenio delicato sum, vt amici hominis liturας fastidiam.

Musę Pici Mirãdulæ.

stidiam. Quin fortè nec tu, nec quispiam crederet, quàm hæc mea mihi non satisfaciant, quàm in his etiam, quæ magis placent, metuam tamen ne sim, vt inquit ille, Suffenus. Quare operam tuam quæso in re honesta, & liberali, amicissimo homini ne deneges. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Ioanni Pico Mirand. S. D.

Amor.

Momus.

NAE tu homo es lepidus, qui me cum tuis amoribus committere tentes, quicq; adeò seuerè, & tetricè à me homine haud sanè rugosæ frontis, tam bellos accipi pueros postules. Vnus (aiunt) Amor Pana Deum palæstra prouocatum supplantauit. Tu me concertare cum toto Veneris grege, qui putas posse? sed tamen hoc tu exigis: tu inquam Pice, cui denegari quidquam sit planè nefas. Quare aliquot exoraui ex ijs, vt se à nobis vexari paulùm paterentur. Neque ego iudicis (ita me semper ames) sed Momi personam indui, quem ferunt sandalium Veneris tandem culpasse, cùm Venerem non posset. Confodi igitur versiculos aliquos, non quòd eos improbarem, sed quòd tanquam equestris ordinis, cedere reliquis, veluti senatoribus videbantur, atque patricijs. Plebeium nihil offendi, sed & in his non tam iudicium tibi, quàm voluntatem defuisse certò scio, quando & Nasoni tuo decentior (vt aiunt) facies videbatur, in qua neuus esset. Remitto ad te eos, atque addo Stoicum comitem, quem vtinam talione tantum referiant ipsi, ac non planè habeant ludibrio. Vtcunque erit, habet Senecio hic superciliosus vbi patientiam suã exerceat. Non erit iam quod clamet, ὦ Ζεῦ βρίξον τὰς τριτοσάσας. Non Bithius & Bacchius melius compositi. Reliqui, quos petis, negant ferre lucem. Tu me ama, id quod mutuò facies. Vale.

O Iupiter plue calamitates.

IOAN.

IOANNES PICVS ANGELO Politiano. S. D.

NEC vrbanius vnquàm, nec hilarius acceptos se amores mei prædicant, quàm his proximis diebus apud te, & quòd amicè quidem confosi sunt, cùm sibi gratulantur maximè, tum tibi plurimum debẽt. Quis enim nolit ab isto ense mori? Dolent tamen indulgentius id factum esse, quàm oportebat: atque in eo sunt, vt dubitent amore ipso in amores te cæcutientem factum meos, ac ita demũ dubitant, vt iudicio tuo, alioqui grauissimo, in sua caussa nõ satis confidant. Cõfidunt tamẽ, & iam sese vinculis asserunt, domi esse nesciũt, libertatẽ, & publicum securè postulant. Sed quid de Epicteti tui festiuitate dicam? O rem iocosam, & risu dignam Catoniano! vix erat in limine, cùm pandens sinus, en, inquit, obelos, en sagittas, si nescitis Græcè. En me, si ex vestris quisquam audax fuerit, paratum referire. Quis cachinnis temperasset, cùm Stoicus homo tam lepidè iocaretur? Abstinuimus profectò telis, & quòd interminatus erat repositurum sese iniuriam, & quòd ita cutis occalluerat, vt tam leues ictus non admitteret. Qua igitur veneratione debuimus, senem excepimus: qui vt demum apud nos consedit, philosophari cœpit de moribus, & id quidem Latinè, non tam ob id, quòd apud Latinos erat, nam & erant in eo consessu, qui Græca nouerant, quàm quòd Latinè ipse beneficio tuo luculentius saperet. Sed nec operam perdidit, quandoquidem non prius loqui desijt, quàm nos ex peripateticis Stoicos fecerit, & apathiã illã omnes approbauerimus: vt iã videre sit paulò antè delicatos homines, iã factos omnium tolerantissimos: qui lacessiri quidẽ possimus ab alijs, lædi à nobis tantũ: qui fato reluctemur nunquã, & Risus Catonianus. Apathia.

& quæ nostra non sunt, sic fieri demum velim, vt dij volunt, & eos nec culpemus vnquàm, nec accusemus: nihil doleamus, nihil expostulemus: seruire, vinci nesciamus: re, non oratione philosophemur: & qui nouitij sumus, nos ipsos vt aduersarios obseruemus: aliorum de nobis opinionem, atque id genus alia, quæ externa sunt, negligamus potius, quàm reijciamus: ad diem curemus, vt hospitium viatores: habeamus ea denique, non habeamur: silentium amemus, ne quidquam euomatur non concoctum: & nobis alij rarò, & nos alijs nunquam risum pariamus: & vt vno Epictetum totum verbo complectar, & sustinere aduersa, & abstinere voluptatibus abundè didicerimus. Vide quàm sigillatim ad Epictetum tuum effinxerimus vitam nostram: vide quàm & citò, ne hac quoque parte Stoici nõ essemus, qui nos admonitos volunt, tandiu deficere hominem, quandiu non proficit. Id quod quanquàm in ceteris admiratus sum, in me tamen vno vel maximè, qui cum semper in Lycio, vel Academia, nũquàm in porticu sim versatus, ita victus sum oratione senis, vt in eius sententiam non pedibus modò, sed manibus quoque, & toto corpore discesserim. Vale.

Sustine, & abstinae.

ANGELVS POLITIANVS IOAN. Pico Mirand. S. D.

TANTI mihi sunt litteræ tuæ mi Pice, vt nullo pacto credam posse me illis rescribendo satisfacere. Tanta rursus tua est humanitas, vt te boni consulturum quidquid à nobis proficiscatur, existimẽ. Si verba suppeterent animo, laudare pro merito ingeniũ, litteras, eloquẽtiam tuam conarer. Sed vereor ne laudes cogar tantus, vt Flaccus inquit, culpa deterere ingenij. Quare imitabor Timantem, quodq; exprimere penicillo nõ possum, velo

velo contegam. Quòd si mihi hortãdus est, qui ipse omnibus exemplo sit, ita ego meum Picum, vt ille Mycenæus Teucrum hortabor βάλλ' οὕτως. Tibi autem debere me multis nominibus intellego, quæ singula enumerare non est consilium, sed acceßit meritis erga me tuis Manuelis nostri viri docti elegans epistola, Hymettio illo, vnde scilicet eam legit, melle, atq; omni nectare dulcior. Eum nos planè Glauculum reddidimus, χάλκια χρυσίων commutantes. Quis enim nescit quàm illi ἐπιχώριοι τοῖς Ἕλλησιν ἀπίκισμοὶ denegarent citra mare? Sed tamen hoc ipso minus eius obelos metuimus, quòd in Latio nati sumus. Sicut Latina cùm scribimus perperam, hoc nos tuemur, quòd Græcissare putamur: atque vt vespertiliones, dum neque mures planè, neque aues sumus, vtriusq; tamen nos probare tentamus. Vale.

Iace sic.

Aerea aureis.

Vernaculi Græcis atticismi.

ANGELVS POLIT. IOAN.
Pico Mirand. suo s. D.

AVDIO te versiculos amatorios, quos olim scripseras, combußisse: veritum fortasse, ne vel tuo iam nomini, vel aliorum moribus officerent. Nõ enim puto, quoniam minus exierint aptè sicuti Plato suos dicitur. Nã quantũ repeto memoria, nihil illis tersiº, dulcius, ornatius. Quos quia vocabas amores tuos, placuit mihi nuper, velut in amores ipsos abs te crematos, ita ludere Græcis versibº:

πολλάκι τοξευθεὶς, φλεχθεὶς θ' ὑπὸ πῖκος ἐρώτων
Οὐκ ἔτλη προτέρω, πάντα δ' ἀφείλετ' ὅπλα,
Τόξα, βέλη, φαρέτρας, καὶ νηήσας τά γε πάντα,
Ἧψεν ὁμᾶ σωρὸν λαμπάσι λιθίοις.
Σὺν δ' αὐτὰς μάρψας, ἀμφωνὰ χερύδρια δῆσεν
Ταῖς νευραῖς, μίαν δ' ἔμβαλε πυρκαϊῇ,
Καὶ πυρὶ φλέξε τὸ πῦρ. Τί δ' ὦ ἄφρονες αὐτὸν ἔρωτες
Τὸν πῖκον, μόσσῳ εἰσιποτᾶσθε πρόμον;

Sæpe

Sæpe sagittatus, incensusq; Picus ab amoribus,
Non tolerauit vltrà, omnia verò abstulit arma,
Arcus, sagittas, pharetras, & congregans hæc sanè omnia,
Accendit simul aceruum flammis edacibus,
Ipsos verò corripiens debiles manulas ligauit
Funiculis, in medium verò iniecit ignem:
Et igne combussit ignem. Quid vero ô insipientes ipsum amores
Ad Picum musarum volastis principem?

IOANNES PICVS MIRANDVLA
Angelo Politiano S. D.

QVOD proximis litteris tuis me tantopere laudaris, debeo tibi tantum, quantum ab eo absum, vt meritò lauder. Id enim debetur cuiq;, quod gratis dat, non quod persoluit. Quare & ipse id totum tibi debeo, quod de me scribis, cùm in me tale sit nihil: cùm id mihi ipse nullo pacto deberes, id totum tuæ fuit humanitatis, & singularis in me beneuolentiæ. De cetero si me examinaris, nihil inuenies nisi tenue, humile, angustum. Nouitij sumus, atque tyrunculi, qui ex inscitiæ tenebris pedẽ modò mouimus, promouimus ferè nihil. Benignè nobiscum agitur, si inter studiosorum ordines referamur. Habet docti nomen quiddam aliud, quod sit tibi, & tui similibus peculiare: mihi tam grandia non conueniunt, cùm eorum, quæ in litterarum studijs sint præcipua, nihil non solum exploratum habeam, sed nec adhuc etiam nisi per transennam viderim. Conabor quidem, id quod nunc ago, talis esse aliquando, qualem nunc me prædicas, & esse aut iudicas, aut certè velles. Interea imitabor te Angele, qui te Græcis excusas, quòd sis Latinus: Latinis, quòd Græciſſes. Simili & ego vtar perfugio, vt poëtis, rhetoribusq; me approbem, propterea quòd philosophari dicar. philosophis, quòd rhetoriſſem, & musas colam. Quanquàm mihi longè aliter acci-

accidit, atque tibi. Quippe ego dum geminis sellis (vt aiunt) sedere volo, vtraque excludor, fitq; demũ (vt dicam paucis) vt nec poëta, nec rhetor sim, neque philosophus. Tu ita vtrunque imples, vt vtrum magis, haud satis cõstet, qui & Græcam, & nostram Mineruam ita pulchrè amplectaris, quasi Cinnus vtriusque linguæ, vt quæ insititia sit, quæ genuina non facilè discerni possit. Nam vt de Latinis taceam (de his enim cui è primo loco cesseris?) quis credat, vt de Hadriano ille, Romanum hominem tam Græcè loqui? lurabat Emanuel noster, dum tuas legeret, non esse tam Atticas Athenas ipsas. Is es mi Angele (facessat adulatio) cui ex nostris vnus, aut alter, ne dicam nemo, conferendus sit. Quòd si plures essent tales, non haberent hæc secula cur inuiderent antiquitati. Incumbe quæso, & litteras quantum potes, à situ recipe, ne nitor ille Romanæ linguæ iniuria temporum penitus obsolescat. Excude semper aliquid nouum quod rem Latinam adiuuet, & illustret. Et quæ domi habes, fac tãdem exeant in communem studiosorum vtilitatem. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS
Angelo Politiano suo. S. D.

POST discessum tuũ Venetijs ad te scripsi nunquam, de te sæpe: nec scripsi modò sæpe, sed etiã loquutus sum de te quoties incidebat, incidebat autẽ cùm volebã, volebã semper. Omnino mihi multus in ore Politianus est, eritq; dũ vixero. Nam quantũ ipse de te conceperim, cũ primũ te cognoui, quantũ porrò de doctrina tua litteræ sibi sperẽt & spõdeant, facilius cogitare possum animo, quàm dicere. Postulo autẽ à te quasi meo iure duo. Primũ, vti viuere diu studeas, nõ tibi sed & tibi sanè, dũ litteris primũ, & bonis artibus, quibus hercule succurrẽdũ

est

est ruinosis, & nutãtibus, breuiq; casuris, nisi per solertissimos homines ope summa prospiciatur. Alterum vti aut tu me sociũ in hæc adhibeas, aut à me adhibitus æquo animo patiare. Sin grauaris, in famulatu ero tibi cùm iusseris. Vltro nomen do, profiteor inuocatus, & maximè voluntarius. Ardeo cupiditate iuuãdi recta studia. Nullus est tam magnus labor, nullum munus in litteris tam sordidum, quod defugiam: quanquàm omnis ferè functio, quæ pertinet ad litteras, non potest esse non honesta, nõ splendida, non magnifica. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Hermolao Barbaro suo S. D.

TV verò Hermolaë ita mihi omnia, vel præsenti primus vel deinde absenti præstitisti, vt (si officia duntaxat, non autem animum, atque voluntatem remetiamur) ingratus proculdubio sim moriturus. Et quidem ea caussa est, cur tibi nec agam gratias, nec egerim hactenus, quòd intellego non orationem modò nostram, sed planè facultatem omnem imparem esse tuis erga me meritis. Nam quòd mihi tua epistola tantum tribuis, quantum ego nec agnosco, nec fateor, vel ob id certè mihi gratũ est, quòd amicius, quàm verius sentiens, magis fortassè nos diligis. Verba porrò quibus velut me militem bonus imperator hortaris, vt rectis studijs vtroque quasi cornu laborantibus succurram, eò minus mouerunt, quòd sanè quàm paucos tui similes video, quos duces sequar. Vt enim non dubitat Agamemnon, quin sit breui Troiam capturus,
Cõsiliarij. si decem dentur συμφράδμονες Nestoris similes: ita si Hermolai mihi dentur decem, sub quibus merear, facile sperem litteras cùm Græcas, tum Latinas, è barbaria media receptũ iri. Te tamen & laudo, & admiror, qui adeò

ac-

accisis rebus, atque afflictis spem tibi aliquã feceris ad huc reliquam. Quapropter mihi etiam, vel ob id audentem, extrema cupido est certa sequi. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Hermolao Barbaro suo. S. D.

QVOD ad te iamdiu nihil Hermolaë dederim literarum, non tam meis velim, quàm tuis occupationibus adscribas. Occupationes autem non minus equidem studia ipsa literarum, & sapientiæ, quibus vsquequaque inuigilas, quàm istos accipio discursus obeundæ legationis, & rei gerendæ publicæ. Quid igitur vel ineptius, vel inhumanius, quàm aut Musarum sacris operanti obstrepere, aut agenti rem seriam trichas veluti intempestiuas obijcere? Neque verò caussa fuit cur timuerim, ne (quod est apud Aristotelem tuum) nostram quoque amicitiam silentiũ dirimeret. Non enim sic in amore mutuo languemus, vt simus inter nos machinis retimendi. Sed nec silentium quispiam interpretetur, vbi neuter cessat honorificè de altero & loqui, & scribere. Caue enim putes Hermolaë, non diem dixerim, sed horam penè vllã præterire, in qua non ego de ingenio, de literis, de prudentia, de consilio, de humanitate, de candore, de studijs deniq; tuis propè declamitem. Testis Medices Laurentius meus, testis hic item Mirandula Picus, heroës (arbitror) duo, non viri, quos aut auditores habeo laudum tuarũ attentißimos, aut beneuolẽtißimos prædicatores. Iam apud eruditam iuuentutem, & familiariũ cohortẽ, tantũ de te loquẽdo profecimus, vt vnus vtiq; habeare, non solum doctißimus, sed & humanißimus, & prudẽtissimus. Porrò autem vt epistolas, vt orationes emiserim, in queis de te semper à nobis illustris mentio facta, vel hæc ipsa, quæ mox edẽtur, Miscellanea nostra, cũ quidã

(vt Horatius inquit) dignus vindice nodus incidisset, te scilicet vnà cum Laurentio, Picóque iudicem sibi contra rudem inscitiã nuncupauerunt. Neque verò tu quoq; otiosus, aut occasionibus imparatus in me semper etiã, vltra fortasse quàm patior ornando, extollendóque, sic vt temet pulcerrimè, ab hoc epistolarum silètio, crebris de me sermonibus redemeris. Non igitur amicitiam nostram blandimentis istis & assentationibus indecoris, et ineptis, atque optimo cuique maximè suspectis, addo etiam vulgaribus, fouemus. Non tamen vllo loco, vel studio desumus alter alteri vel officio. Speciosa ista, & popularia beneuolentiæ ostentamenta, quasiq; fucum, & præstigias, neque tu arbitror desideras, & ego abominor. Adagiũ. Vino, aiunt, vendibili suspensa edera nil opus. Et nos ergo faciem, strepitúmque omnẽ (sic doctos decet) aspernemur, atque amicitiæ (quod dicitur) personam detrahamus. Ceterùm vt eò tandem deuentam, qua gratia tibi hanc epistolam scribere instituerã, cùm Fracisci Gaddius. Franciscus Gaddius Florentinus, qui paulò antè legatus isthic agebat, vir vtrique nostrum coniunctissimus, fortè (vt fit) in sermone apud Laurentium Medicem nuper iniecisset desiderare te volumen, si quòd hîc emendatũ Dioscoridis haberemus statim nobis Laurentius (vt est homo tui studiosissimus) pro more auctoritateque mandauit, vt eã rem quàm primùm quàm diligentissimè curaremus. Enti bi igitur librum mi Barbare, satis emendatum (ni fallor) certè veterem. Tu cùm fueris vsus, ad me remittes, non tam (quæ tua est diligentia) incolumem, quàm doctissima ista notatum manu, quò pretium volumini aliquod ex te, atque auctoritas accedat. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS
Angelo Politiano suo s. d.

Si

Si surdis etiam, brutisque rebus amicitiæ & inimicitiæ suæ non aliunde quàm à cælo constant, quo & affectus cæcos, & quæ Græci ἀναιτιολόγητα vocant, referimus accepta, quid ni sentiat hanc vim & homo? quanquàm interest, quòd stolida illa, & muta semper inter se pro natura quæque sua dissident, aut concordãt vnius cæli merito, sed hominem homini plerunque mores, & iudicia conciliant, nec mimore glutino, quàm isthæc siderum defluuia ferruminant, huiusq; generis est amor, qui nos inuicem innexuit, & Herculeo nodo iunxit. Nihil mirum si nec spatio temporis excutitur, nec locorũ intercapedine conuellitur, nec officiorum silentio polluitur, nec alia quauis negligentiæ rubigine decoloratur. Certa opinione virtutis, & doctrimæ tuæ natus, eadem opinione conseruatur, alitur, augetur: te volente, nolenteq; perennat. Tandiu hercule futurus, nõ dico me quãdiu ames, sed quãdiu amare cogas, & iste ingenij, et eruditionis tuæ fulgor obuersetur oculis. Tunc amare potero desinere, cùm tu rem Latinam deserere. Sed de hoc satis. Dioscoridem accepi, gratias & tibi, & Gaddio nostro tam multas ago, vt quas Laurentio meo agam homini clarissimo, humanissimo, doctissimo non habeam, habeã quas non ago: atque vtimã quandoque possim referre. Multis nos magnus ille vir indies & studijs accumulat, & officijs adobruit. Ego cõtrà diu, noctuq; retracto, ac recogito, non quemadmodũ rationem cum eo parem faciam (quis enim posset hoc, nisi alter Hercules, aut certè alter Laurentius?) sed quemadmodum plane intelligat, me apud eum eo loco esse cupere, quo qui magnitudinem æris alieni & professione nominis, & magnæ fidei compensatione redimunt. Vale.

Innocuas & simplices locutiones.

ANGELVS POLITIANVS
Hermolao Barbaro suo S. D.

Hermolaus Barbarus patriarcha Aquileiēsis.

EXPLICARE non possem literis Hermolaë, quãta mihi lætitia prandẽti nuper secum Laurentius Medices te Patriarcham factum esse Aquileiensem nuntiauerit. Ego verò tantò sum ex eare gaudio, tantaq; voluptate perfusus, vt in ipso quoque discubitu (quid enim manifestā negem?) gestierim, exilierim, lætum, felicemq; nuntium, vix ipse me capiens, proclamauerim. Et nunc gratulor tibi, gratulor doctis omnib⁹, gratulor sæculo Hermolaë: Tibi, quòd hoc etiam tuarum virtutum præmium dixerim, an testimonium, publicè acceperis. Nam quamuis antea quoque multis, magnificisq; fueris ornamentis affectus, tamẽ hoc vnum procul excellit, atq; eminet, nõ modò quia maius, aut quia genere diuersum, sed quòd per eum quasi gradum breui putaris altius ascensurus. Doctis verò, quòd is vir ad maximas proueheris dignitates, cui semper hoc hominum genus, atque hæc secta vitæ plurimũ placuit. Etenim summo loco natus, amplis opibus innutritus, egregijs honoribus perfunctus, & fastigium disciplinarum propè omnium tenes, & professores, ac studiosos artium bonarum (quãuis humili fortuna plerique sumus) ita complecteris, & amas, vt æquè cunctis tuæ quasi maiestatis fasces, ac vexilla submittas. Sæculo autem, quòd insigne aliquod habet, quo iã stare audacter aduersus & vetustatẽ posßit, & posteritatẽ: scilicet quia veluti recuperasse nunc oculos cæca prius fortuna videri potest, dum cumulare honoribus eũ gestit, in quo virtutum penè omnium quasi quidam concentus exauditur. Tu igitur etsi virtute ipsa clarior es, atq; (vt puto) lætior, quam virtutis præmio, debes tamẽ hãc & temporibus, & literis diligentiam, ne fortunæ desis,

neu

neu vota nostra destituas, sed incumbas, instesque fauori quantum potes, non quidem ambitu infami, qui philosophum dedecet, sed his potius artibus, quæ te carum bonis, admirabilem propè vniuersis reddiderunt. Equidem, quod ad me attinet, quando aliter suffragari non licet, illud vsquequaque præstabo, nequam occasionem vel tui celebrandi nominis, vel conciliandæ tibi, colligendæq; beneuolentiæ prætermittam. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS
Angelo Politiano suo S. D.

QVOD ex secundis rebus meis lætitiam incredibilẽ conceperis, neque nouam rem fecisti, nec mihi nõ præuisam, imaginationéque præsumtam. Noui quanta propensione, atq; adeò inductione animi prouinciam duram, & inexplicabilem susceperis ornandi, & tollendi nominis mei quàm constans, pertinax, & addictus in eo fueris: quàm: rem tuam videaris agere, cùm meam agis. Itaque nihil sum miratus, quòd rationibus tuis consultum putaueris, cùm meis est prouisum. Habeo tibi, & semper habebo gratias, non solum vt amiço, & beneuolo, sed vt Politiano, id est, vt homini doctißimo. Plus enim est à Politiano, quàm ab amico laudari. Testimonium, & iudicium amici fallitur, Politiani etiam amantis non fallitur. Laurentio nõ minus principi tuo, quàm meo in dies plura, & maiora debeo. Testis est ipse. In magno versor periculo, ne in tanto meritorum eius erga me cumulo, et ingratus, & barbarus esse videar. Vale.

POMPONIVS LAETVS
Angelo Politiano suo S. D.

SERIVS q̃ opinabaris ab amicißimo fieri, distuli ad te mittere, quod summopere legere optabas. Causa fuit

neſcio quis, qui ſe intra paucos dies daturũ Quinctilem & Sextilem mihi pollicitus eſt: remq; is lõgius opinione mea traxit. Ipſe tandem vt creditori, qui vel præcipuus es ſatisfacerem, quæ apud me erant, diligentiſſimè exſcripſi. A Venuſia Apulorũ adlata ſunt marmorea in tabula: obſcuro loco ibi latebant fragmenta aliarum tabularum, vbi annus integer erat coniungi nequiuerunt, quòd multa deerant, illinc tranſlata Arianum: ſumma cura, quæ ſupereſt tabula, ſeruatur. Mitto & quædã monimenta rerum eodẽ in loco reperta, & placitura tibi (vt exiſtimo) amatori vetuſtatis. Romæ ferè idem: ſed multò antè, verùm fine caret: ſi habere cupis reſcribe: quanquàm quid hoc dixerim? cùm facile intelligã te plurimum id quærere: ſed videbatur optabilius, ſi poposceris. Scias omnia, quæ apud me ſunt, tua eſſe. Duo à te ſum petiturus, alterum ſtudio, alterum auctoritate cõficies. Illud eſt apud Valerium Flaccum in quinto libro, cùm loquitur de Chalybibus populis, apud quos ferrum repertum eſt: quid ſibi velit, indigena. Quod ſequitur corruptũ eſt: & ſtatim duo carmina, quæ ſequuntur, fabulam habent mihi incognitam. Fortè Apollonius aliquid de ea re ſcribit. Tuum limatiſſimũ iudiciũ exſpecto, quod, mea ſententia, quicunq; profitemur litteras, veneremur neceſſe eſt. Sed de ingenio ſcio quid ſcriptur⁹ ſum. Illud alterum erat, vt vnicis litterarum fautoribus Laurẽtio, ac filio me commendes. Ab Laurentio tua opera obſecro, impetres litteras non vulgares, ſiue ad Ioannẽ Tornabonum, ſiue ad oratorem Florentinorum, in commendationem Fabritij contubernalis mei, qui, vt prædicat, notiſſimus eſt Laurentio, aliasq; Florentiæ negotia Reguli Fauentini egit. In præſentia cùm ſit expediturus quædã honeſtiſſima in Curia Romana, auctoritatẽ Laurentij

rentij (quæ plurima est) vehemẽter accedere cupit. Efficce tu homo nõ minus literatißimus, quàm integerrimus, vt voto fruamur. Bene valeas. Romæ, decimosexto Kalendas Aprilis. M. CCCCLXXXVIII.

ANGELVS POLITIANVS
Pomponio Læto S. D.

QVAS à te nuper accepi literas, ita gratas habui mi Pomponi, vt me ab ijs putem immortalitate donatũ. Sed & semenstre Calendarium mire fuit gratum, & quam ais tabulam bello Marsico factam: quæ si eadem est quã Romæ obiter legerim, vereor vt satis ex fide sit exscripta. Siquidem Aimilius non Aemilius erat in saxo. Quã eandem diphthongum etiam super ipsa Panthei testudine adnotaueram. Quòd verò etiam (si dijs placet) de obscuris poëtarum me consulis, homo omnis literaturæ consultißimus, atque id mihi ex amore tribuis, quod tibi ex vero debetur: intelligo quàm tibi debeam, quàm mihi faueas, quantum oneris sustineam. Dicam tamen quod sentio, tibique si non rem ipsam, studium certè meum, voluntatemque probabo. Versiculi ipsi, quos verè mendosos putas, hi sunt videlicet:

Indigena æterni rupem Iouis. hinc tibi Mauors
Dant virides post terga lacus, vbi deside Mitra
Feta legat, partúque virum fouet ipsa soluto.

Locus Valerij Flacci, lib. 5.

Hos equidem ita legendos arbitror:

Inde Genetæi rupem Iouis, hinc Tibarenũm
Dant virides post terga lacus, vbi deside mitra
Feta ligat, partúque virum fouet ipsa soluto.

Vt sit sensus: post Chalybas promontorium Genetæi Iouis, dant post terga, hoc est præternauigant. Tũ virides lacus Tibarenorũ; virides, scilicet, quoniam pecore abũ

dant, atque ob id pascuis, quibus scilicet Tibarenis mos est, vti à parturientibus, iámque etiam partu liberatis vxoribus, viri in lecto mitrati collocentur, & ipsi vice puerperarum foueantur, curentúrque: quod ex Apollonio mira breuitate trãslatum, cuius in libro secundo sunt hi versus:

Τὰς δ' μιτ' ἀυτίχ' ἔπειτα Γενηταίου Διὸς ἄκρην
Γνάμφαντες, σοβέοντο παρὲξ Τιβαρηνίδα γαῖαν.
Ἐν θ' ἐπεὶ ἵκετο τίκων τ') ὑπ' ἀνδράσι τίκνα γυωᾶικες,
Αυτοὶ μὲν στενάχουσιν ἐνὶ λεχέεσσι πεσόν]ες,
Κράατα δησαμενοι, ταὶ δ' αὖ κομάουσιν ἑλωδὲ
Ανέρας, ἠδ' λοετρὰ λεχώϊνα τοῖσι πόνοντ').

Post hos autem quàm primùm, deinde Genetai Iouis arcem
Flectentes, acti sunt præter Tibarenida terram.
Vbi postquàm vtique sustulerunt ex viris filios vxores,
Ipsi quidem suspirant, lectis decumbentes,
Capita reuincti: illæ autem rursus nutriunt epulis
Viros & lauacra partualia his laboriosè ministrant.

Genetæũ promontorium.

Addunt interpretes Apollonij, scriptũ id etiam à Nymphodoro in Tisinomis, tum Genetæum promontorium à Genete fluuio vocatum, in quo templum sit hospitalis Iouis, quem Xenion appellant. Idem eodem libro sic scribit Apollonius.

Iupiter ξένιος.

Αγχι δ' ναιετάουσι πολύῤῥηνες Τιβαρηνοὶ
Ζηνὸς ἐυξαίνοιο Γενηταίην ὑπὲρ ἄκρην,

Propè verò habitant affluentes agnis Tibareni
Iouis hospitalis Genetæam super arcem.

Quo loco πολύῤῥηνες ab agnorum copia dicti. Vnde virides lacᵒ eruditè dixit Valerius, ob pascua, vt arbitror. De Tibarenis etiã Orpheus in Argonauticis post Chalybas meminit statim: & eosdẽ Strabo lib. XII. Tibarnos appellat. Quod autẽ de Eribote quæsieras: fuit is filius Teleontis, de quo sic idem scribit Apollonius lib. I.

Tibarni. Strobini. Eribotes.

Εἴπετο

Ἔπιτο δ' Εὐρυτίων τε καὶ ἀλκιμος Ερυβώτης
Τῖος, ὁ μὲν Τελέοντος ὁ δ' Ιρου Ακτορίδαο.
Ητοι ὁ μὲν Τελέοντος ἐϋκλέης Ερυβώτης,
Ιρου δ' Εὐρυτίων, σὺν καὶ τρίτος ἦεν Οἰλεύς.
Dicebatur autem Eurytiónque & robustus Eribotes
Filij, hic quidem Teleontis, ille verò Iri Actoridæ.
Nempe hic quidem Teleontis inclytus Eribotes:
Iri autem Eurytion, simul & tertius erat Oileus.

Literas contubernali tuo commendatitias ad Oratorem Florentinum, paulo negotio impetrabimus à Laurentio Medice: qui si mihi quasi vni è minutioribus literatis, nihil non indulget, cur quidquam tibi literarum principi deneget? Vale, & si quid te dignum ex antiquitate habes, participa quæso nobis, tui cupidissimis. Et Vasinio dic salutem meis verbis Florentiæ, IIII. Kalend. Mart.
M. CCCCCLXXXVIII.

POMPONIVS LAETVS
Angelo Politiano S. D.

IAM *tempus appetit eruditissime, & candidissime Italorum, vt Lucretij libros remittas, vt vir integer fidem soluas. Dabis ferendos ad vrbem Petreio hommi fidei summæ, qui celebritatem tui nominis cum ceteris nostri ordinis amat, colit, veneratur. Nam quisquis est, qui de se bene senserit, gratulari plurimum debet sæculo nostro, cum tales habeat viros, quales maiores nostri in summa gloria habuisse duxissent. Data opera Florentiam se confert, vt te sæpius visat, & vt totus ex lima tua pendeat: vtinam & mihi liceret. Cùm de altitudine tui ingenij cogito, non possum nõ admirari, cur nostri graculatim & sturnatim (vt ita loquar) ad te non aduolent. Legi opus tuum, in quo apertissimè doctrina quadã singulari veteres ab inferis reuocasse videris. Sed parcius in præsentia, prædicatione mea non indiges.* Graculatim & sturnatim.

satis enim tuo labore clarus es. Verùm quoties de aliquo sublimi interpretatio est, vnus Politianus occurris. Ego quid de perspicacissimo ingenio tuo sentiam, vna epistola, & longa quidem explicui, quanquàm in ea re quid longũ esse potest? Credo distuliſti carmina Lucretij remittere, propter variarum disciplinarum occupationem. Obsecro, atque obtestor, effice vt ad suũ Quirinum redeant. Habeo quædã vetustissima monimenta, quæ cùm videris obstupesces admiraberisque, quòd nuper effossa, erutáque, & inuenta, in illa tua obseruatione reperiantur. Qua de re diuinitatẽ quandam in te esse intelligo, vt verè animus tuus sit de cælo sumtus ignis. Dij te seruent. Commenda me Medicibus, patri, & liberis litterarum patronis. Deinde plurima salute Demetrium impertias. Vale. Romæ, ante v. Kalendas Iunij.

ANGELVS POLITIANVS
Pomponio suo s. d.

LVCRETIVM Petreio dedi, quem tibi iam redderet. Vah, tam serò, inquis. Fateor: sed non plus negligentia mea, quàm tuæ humanitatis fiducia, dum alia ex alijs in quibus opera ponatur, occurrunt, dilatus hic in quadriennium liber est, qui vel triduo poterat absolui. Ceterùm ego Pomponij mei memor, qui quidem nescit offendi, à Politiano præsertim, prætuli audacter officio commodum. Petreio nondum frui licuit, vt optabã, probo, & antiquis moribus homine. Iam tum peregrè aberam, cùm ille Florentiam statimque peregrinationem meam rusticatio excepit. Spero tamen dierum paucorum iacturã, vt in vrbem reuerterimus inrupta (quod aiunt) copula sarciet. Quas in me laudes confers, quanquàm agnoscere salua fronte non ausim, tamen ob id gratissimas habui, quoniam cùm nec irrisio in istos mores,

Ad Laurentium

mores, nec adulatio cadat, necesse est laudatio hæc aut ex amore in me nimio, aut ex verò proficiscatur. Quorum cùm sit vtrunque mihi glorioſum, alterum diu in votis, alterum etiam ſupra vota eſt. Monimenta illa, quæ narras antiquitatis, iamiam tractare, complecti, adorare geſtio: per fortunas imperti, ſi quid habes, quod excellat. Medices noſtri vnicè tibi fauent. Demetrius autem ſalutem ſibi à te dictam totidem verbis remuneratur. Vale. In Fæſulano, ſexto Idus Auguſti. M. CCCC XCI.

BAPTISTA GVARINVS IOANNI Pico Mirandulæ S. D.

NONDVM concedo ſecundum te litem dari oportere: nam facilè poſſum tuas iſtas captiones in te ἀντιστρέφειν. Si tibi præceptor ſum, cur mihi non obſequeris? Si non ſum, cur me præceptorem, appellas? Neque ideo nomen hoc recuſo, quòd te diſcipulum ſpernam, quem mihi præceptorem aſſero, ſed quòd tuam doctrinam & veneror, & prædico, in qua te neque vnguium meorum nota, neque tranſuerſi calami ſigno, neque miniata cerula, neque obeliſco denique, aut aſteriſco, tantum promouiſſe mihi conſcius ſum. Sed in nouum quoddam vindiciarũ genus (vt video) incidimus, dum tu mihi eam poſſeſſionẽ aſſerere contendis, qua ego cedere conor. Quæ vnquã Rhetorum cauſſa huius generis actorem, aut reum habuit? Ego, mi Pice, nunquam in hac pugna tibi herbam porrigam, niſi prius bona cum gratia compoſuerimus (vt quando aliter non ſuccumbis) vterque noſtrum alteri præceptor pariter, & diſcipulus iudicetur. Sed omiſſis iocis ſeria agamus et Heptalus tua, et tuipſe tibi meritò placere potes, cùm omnia doctorum hominũ puncta ita ſis aſſecutus, vt ne in tabellæ quidẽ latebra liuor vllus appareat. Idẽ in reliquis ſcriptis facilius tibi datũ iri

Retorquere.

Vsus in scribendo magister.

iri sperandum est, cùm vsus etiam accesserit, qui solet in scribẽdo magister haberi optimus. Quod ad me attinet, gaudeo vehemẽter laudato viro, et ab omnibus, ac vbiq; laudãdo Laurentio me in ore esse, addito præsertim Politiani calculo: cuius ego copiosam, & arcanam multiplicis disciplinæ lectionem ita complector, vt admirer: ita admiror, vt commendare non desinam. Quo fit vt extra doctrinæ aleam me ab illo poni, triumphi instar existimem. Quòd librorum meorum indicem petis, id mihi & laboriosum est, & inutile. Satis erit, si pro tempore postulatis meis inseruies. Nunc Martianum Capellam, & Senecæ quæstiones naturales opto, si modo emaculati sint codices: Nam qui apud nos sunt, opera Sibyllæ indigent. Eos si impressos emere posim, gratius mihi erit: sin minus, non longo postliminio tui ad te redibunt. Vale specimen bonarum disciplinarum, méque amare perge. Ferrariæ, Non. Decemb. M. CCCCLXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS
Baptistæ Guarino suo S. D.

OSTENDIT epistolam mihi nuper ad se tuã Ioannes Picus Mirãdula, princeps omni laude cumulatißimus: in ea cùm tu mihi multũ tribueres ex recẽti Miscellaneorum fetura, tum verò seorsum in scheda syllabas notasti aliquas, in quibus meã nonnihil diligentiam requirebas. Sed hoc posterius tamẽ ita cõstanter, ita suspiciosè fecisti, quasi deniq; metuisses, ne me lædi grauius putarẽ, si cubi abs te non doctißimo solùm viro, sed optimo quoq; redarguerer. Ego igitur quanq̃ dißimulare nõ possum, laudationẽ mihi tuã fuisse pro eo ac debuit omnino gratißimã, tamen vt eã quoq; plausibilius exciperem, caussa fuit in primis, quòd abundè fidẽ blãditijs illis tuis comes addita

addita libertas, ne dixerim castigatio faciebat. Etenim non ego auidius refellam, quàm refelli me patiar, & opinionum fallacijs, quasi morbis animi præcipuis, multò etiã libentius ipse carcam, q̃ ceteros liberem. Tuũ verò mihi omnino quasi pro lapide Lydio, iudicium debet esse. Nam vt illo purum dignoscitur aurũ ab adulterino, sic apud me de tua facilè sentẽtia verum videtur posse, falsumq̃; discerni. Nec est in quo tam bene de proprijs mihi studijs spondeam, quàm quòd ita disputare soleo de ambiguis, vt plus de inuẽto vero gaudeam, quàm victoria. Quanquàm autem abs te tãtæ auctoritatis homine prouocatio non est, tamen pro tua singulari humanitate quæso benignè audias quid ad ista respõdeam. Negas probare te quòd imolare prima breui, quòd item matutinus prioribus correptis syllabis enuntiauerim. Ego verò tametsi rudis in primis, non adeò tamen obtusi sum pectoris, in versibus maximè faciundis, vt spatia ista, morasq̃; nõ sentiam. Verùm cùm mihi de Græco penè ad verbum forent antiquißima interpretanda carmina, fateor affectaui equidẽ, vt in verbis obsoletam vetustatẽ, sic in mẽsura ipsa, & numero gratã quandã, vt speraui, nouitatem. Nec autem putabam fore, vt cùm Virgilius, acerrimi vir iudicij, versus aliquoties Homeri vatis exẽplo caudã trahentes effinxerit, nõ etiam mihi tale quippiã, præsertim Græca vertenti cõcederetur. Quocirca versiculos feci de industria prominuli quasi ventris, qui medij pedem quaterna tempora superantẽ caperent, ex augmento τροχοειλιους appellatos. Qualis apud Homerũ puta sit ille: πατροκλὲ ποθεινὲ ἀνδρότητα καὶ μίνυθ- ἅυ. Sed quoniam quod ego studio nouitatis quæsieram, syllabarum scilicet ignorationi plerique tribuebant, mãdaui statim quibus maximè potui amicis, ad quos vlla modò

Lapis Lydius.

Ventricosos.

Patrocli desiderãs virilitatẽ, & robur bonum.

modò exemplaria peruenissent, vt versiculos eos velut in quadram redigerent, ad hoc exemplum: Luceferi, nã lux superis gratissima diuis. Et item: O pueræ, emicuit rubor haud mora matutina. Quem rosa, &c. Cuius enim stultitiæ, vel cui⁹ potius improbitatis fuisset agere diutius, etiam bonam fabulam, quàm continuò populus exsibilaret? Itaque magnopere à te peto, cures mihi primò quoque tempore non ausim dicere tua, sed scholastici alicuius manu locum sic vtrunq; in omnibus quotquot istic erunt exẽplaribus emendandum. Nam vt tibi potestas vænalium quoq; fiat, ipsi continuò per literas cauebimus. Iam verò quòd liquentibus prima correpta dici vix permittis, equidem in eo Virgilium sequebar, cuius illa certè sunt notissima: Principio cælum, ac terras, cãposq; liquentes. &, Ignemq; horribilemq; feram, fluuiumq; liquẽtem. Nec me fallunt autem, liquentia mella, sic apud eundem posita, vt quantum scilicet in tempore, tantum sit in intellectu discriminis. Sed & orichalcum breui secunda dictum reprehendis, quæ tamen syllaba diphthongo notatur. Ad hæc illo ipso quem tum locum interpretabar, ὀλίζων ἐρίηχαλκον dixerat Callimachus, vnus mihi tum quidẽ præ ceteris sequendus, quanquàm aliàs quoque grauissimus auctor. Nam quod Statius aliter vsurpat iure suo, videlicet vna diphthongum litera defraudat, quod & in Pliadum vocabulo non reformidat. Postremò quæris idem, vt cur & Bœotia scribam: sed enim quærere ego quoque vicissim poteram, cur tu Boëtia potius, nullo scilicet in has vocales Græcorum transitu, quemmodo vel præcepta tradiderint, vel rationes persuaserint, vel auctoritas comprobauerit: nisi forte vulgus imperitum respicimus, nullo prorsus habendum numero apud eruditos, quorum te principem sem-

Liquere prima breui.

Orichalcũ secunda breui.

Callimachus.

Statius.

Bœotia.

Boëtia.

Vulgus.

semper existimauimus. Adde quòd hanc nostram vocis istius scripturam, sicut è Græco primum demigrauit, intemeratam seruant exemplaria quæcunque adhuc incorruptæ vetustatis indole cẽsentur. Hæc igitur habui nunc quidem, quæ pro mea caussa dicerem. Verum quando tu vnus omnium ætatis nostræ professorum celeberrimus aliter sentis, nihil iam credo mihi, sed ad Pyrrhonios planè deficio: nec esse prorsus aut affirmo posthac, aut nego quidquam, sicuti nobis vel à sensibus ipsis, vel ab animo denique repræsentatur. Cupio tamen & de ceteris quid sentias audire, tantò maiorem tibi habiturus quotidie gratiam, quantò ab erroribus me, vel sæpius, vel liberius, vel postremò etiam seuerius vindicaueris. Vale.

Pyrrhonij qui, vide apud Aul. Gel. li. 11. ca. 5.

BAPTISTA GVARINVS
Angelo Politiano suo S. D.

GAVDEO mirificè interprete Pico nostro Palladio, magis, quàm Martio, datam esse nobis occasiunculam vt de communibus studijs aliquid per literas colloquamur. Sic enim fore spero, vt amor in doctrinam tuam meus amicitiam inter nos conflet. Quod autem ita cunctanter, & meticulosè ad Picum ipsum nonnulla de aureolo Miscellaneorum tuorum libro scripsi, id neutiquam mirari debes: ita sunt horum temporum mores, vt si quis liberius quid proferat, bellicum cecinisse videatur. In me Angele mi suauissime, vt nullus est loliginis succus, ita est candida, & sine labe simplicitas. Doctos omnes amo, coloq̃, & nouos nescio quomodo magis etiam, quàm veteres admiror. Quippe cum hoc tempore & librorũ iactura, & morum aliquorum ignoratio, & multarum rerũ desuetudo anxiam, laboriosamq̃ pariat emergendi difficultatẽ: quare ignosces mihi, si ex

alijs

alijs animum spectaui tuum. Quia tamen te maximè diligebam, vt hominẽ eruditißimum, cupiebámque sine exceptione ab omnibus posse laudari, ideo quæ sentiebam à liuidulis fortasse notatum iri, ea tibi clãdestina aliqua via nota fieri desideraui. Delectatus sum vehementer tua ista probitate, qua neque tulisti ægrè te commoneri, & rogasti, vt de ceteris idem facerem: quia eis te gratiam habere profitearis, qui ab erroribus te vindicauerint. Non ego tantũ mihi arrogo, vt quod tu ignoraueris, ego id me scire credam. Sed scribẽtibus omnibus id vsu venire solet, vt in scriptis suis (dũ noua sunt) relegẽdis, vel obaudiant, vel conniueant, vt taceam opiniones nonnullas, quarum inuentionibus applaudunt. Quod ni ita esset, non in præceptis haberemus. Nonumq; prematur in annum. Si quid autem à me bene dictum videatur, Terentianum illud, non tamen assentatorie respondebo: Ridiculum, nõ enim cogitaras. Ceterùm idem isthuc tute melius quanto inuenisses? Vt aliquando ad rem veniã, dabo operam, vt qui residui sunt apud mercatorem libri tui, non nisi ex tua sententia exeant. Ego sumtu meo habueram librum ipsum apud me hospitem: posteaquàm tamen etiam gratis alterum fratrem in contubernio esse voluisti, vsus sum tua liberalitate, vt ego munificus esse possim, & vt tibi plus debeam. Leoniceno & Pictorio munus tuũ tradã, cùm abs te responsum accepero. Magnificis Laurentio, & Pico me commendes, rogo. Vale. Ferrariæ, quarto Kalendas Ianuarias, M.CCCC LXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS
Baptistæ Guarino suo S. D.

BENE habet. Amicos vndiq; Miscellanea nobis aut cõparant, aut excitant. Vndique epistolæ ad nos, vel de nobis

nobis excellentiũ virorũ plenæ studij, plenæ laudũ. Vel proximæ duæ abs te, quã ingenuæ, bone Deus, quã simplices, quàm liberales, quãtis postremò, et quibus aspersæ amoris notis: mitto enim quã elegãtes, & doctæ. Propriũ videlicet hoc eius domus, in qua duntaxat etiã ipsa bonarum artium sunt incunabula. Quos igitur mihi tanta ista seu iudicia, seu studia vestra admouere aculeos, imò verò quos ad scribendum subdere stimulos debent? Iam facilè contẽno, quas & contemsi tamen semper ineptias maleuolorũ, et nugas verè dixerim abortiuas (prius enim penè emortuæ quàm editæ) tuis mihi suffragantibus epistolis, etiã Phœnice viuacioribus. Ego verò alacer iam doctorum clamoribus adiutus ad huius calcem curriculi propero. Quin (si modò tu non aspernaris) cum rubo extet ad posteros in reliquis meis scriptis perpetuum, non dixerim doctrinæ tuæ, quo quidem minus eges, sed certè beneuoli inter nos animi testimonium. Vale: Pictoriúmque nostrum candidißimum hominem saluere iube meis, & Pici verbis. Florentiæ, quinto Idus Ianuar. M. ccccIxxxix.

BAPTISTA GVARINVS
Angelo Politiano S. D.

NOLIM existimes maxima esse tuarum laudũ præconia, quæ ad te in epistolis perscribuntur. Multò enim maiora sunt, quæ studiosi humanitatis in animis suis ex libro tuo taciti concipiunt, aut cum in cœtu sunt, de te colloquuntur: vno ore omnes omnia bona dicunt, doctrinã tuam prædicant, extollunt, admirantur. Nemo est qui pretio deterreatur, quò minus Miscellanea domi habeat, vnde discat. Hæc sunt verae eruditionis testimonia, in quibus nulla est placẽdi, adulãdiue suspicio. Quò magis miror dubitari à te, an cupiam scriptis tuis famã meam im-

mortalem fieri quasi cornea mihi sit fibra: non id ego quoque expetam, in quod fertur humanæ naturæ procliuitas. Illud tamen monuisse, aut saltem rogasse velim, vt & morsibus viuentium, & laudationibus (nō enim adulationes appellauerim) quàm minimè in scribendo vtaris. Nam præterquàm quod ea res dignitati scribentis officit, multi sunt qui magis affectionibus animi id scribendi genus, quàm verò iudicio acceptum referant. Non temere hoc dici putes: audio enim persæpe quæ de reliquis circūferantur, & tamen liberum tibi in hisce rebus examen relinquo, quem etiam plus videre arbitror. Salutem tibi Pictorij nostri verbis dico: tu verò magnificis Laurentio, & Pico me commendabis. Vale. Ferr. XVI. Kal. Ian. M. CCCCXC.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER SECVNDVS.

ANGELVS POLITIANVS Philippo Beroaldo suo S. D.

Ad Laudatoriam.

LEGIT epistolam mihi nuper ad se tuam Picus hic Mirandula noster, planè flos illibatus ingeniorum, cuius in extrema clausula nostri quoque sic honorificam mentionem faciebas, vt in quodam veluti literatorum consessu proximos videlicet ab illo mihi gradus assignaueris. Hanc igitur ego tuam (si modò ita vocetur) sententiam, quāuis audire citra ruborem, gnarus insciti æ meæ, non poteram, tamen quòd ab insigni quadam beneuolentia proficiscebatur, ita gratanter accepi, vt vix tantundem

dem fuerim voluptatis habiturus, si mihi esse illa, quæ de me pronuntiabas, vera persuasissem. Nam quamuis testimonio conscientia repugnet, lætor tamen alicui tales me videri posse, qualem tua me fingit, hoc est, hominis eruditissimi, prædicatio. Quare statim dictaui hanc tibi epistolam Beroalde, qua ducerem quanto opere mihi tuum tale laudationis officium blandiatur, simulq; darem fidem nulli me prorsus occasioni defuturum, rerumque posthac, & temporum plane omneis articulos excussurum, donec tibi pro studio erga me tali, & animo tandem quoquomodo referam gratiam. Vale. Florentiæ, XVII. Calend. Feb. M. CCCCLXXXIX.

PHILIPPVS BEROALDVS
Angelo Politiano suo S. D.

PERLEGI oppidò quàm libens literas illas quas ad me nuperrimè dedisti, & quia tuæ sunt, & quia literatæ. Miscellanea tua doctissimum te esse testantur, epistolæ humanissimum. Turpe est vinci eruditione, humanitate verò turpissimum. Inde fit, vt mihi non minutula labecula inspergatur, sed maxima labes, & ea quidem ineluibilis infigatur, cùm abs te vincar in vtroque. Assurgebat iam primùm literatio nostra tuæ politissimæ literaturæ, neque id dissimulanter: iam verò & illa quoque, quæ in me alioqui non improbari solet humanitas, tuæ cedit humanitati, adeò vt tibi comparatus possim meritò inhumanus iudicari. In aliena tibi epistola salutem transeunter adscripseram: tu (quæ tua dexteritas est) e vestigio me per epistolam resalutasti, quæ sua plane politura Politianum ostentat artificem, totáq; est officij, beneuolentiæq; refertissima. Cui vt breuiter respondeam: Non opus est, mi Politiane, vt mihi gratias agas ob meum de singulari tua virtute vel testimo-

nium, vel iudicium. Etenim si nolo videri mendax, & vanus, id faciam, quod facio, necesse est. Præterea persuasissimum habe, me in primore fronte animum gestare, nec à labijs dissentire præcordia: concordat in me scriptio cum mente, lingua cum pectore, & de promtuario nostro sincera promuntur, citra omnem fucatam simulationem. Eruditio tua illa interior, atque politior à nemine non paulò humaniore suspicitur, à me & suspicitur & amatur. Hoc in præsentia fit, hoc idem fiet in posterum. Sum, & ero tuarum laudum, si non idoneus, saltem beneuolus buccinator. Olim isthic iecimus amicitiæ inter nos mutuæ fundamenta: quæ cùm id temporis à nobis glutino literario fuerint ferruminata, superest vt eodē deinceps ferrumine immisso ad fastigium extollantur. Quod ad amussim fiet, & libellam, si epistolæ inter nos vltrò, citróque discurrerint, si fuerit inter nos, si non quotidiana, saltem hebdomadica literarum reciprocatio. Quæ in futuris amicitiæ stabiliendis laterculorum, aut calcis haud dubie vicem representant. Patefactæ sunt amicitiarum fores, quarum me futurum subinde hospitem polliceor. Vale decus literarum, & quod Pico Polyhistori meo nomine debes, eidem meo nomine resoluito. Vale.

NICOLAVS LEONICENVS
Angelo Politiano suo S. D.

MVNVS Miscellaneorū tuorum, quæ tuo nomine Baptista Guarinus nuper mihi tradidit, ingēti me voluptate affecit. Nam etsi à politioris humanitatis studijs iampridem feriatus sim, gaudeo tamen à doctißimis, atque amicißimis hominibus mihi aliquando occasionē præstari ad ea studia redeundi, quæ me in adolescentia maximè delectarunt. Quanquàm (vt verum fatear) postquàm

opus

opus id perlegi, visus sum non in alienis agris cū dispendio, sed in proprio solo magna cum vtilitate versari. Inueni in eo non modò quæ ad literaturam, ac poëtarum, & oratorum cognitionem plurimùm conferunt, sed & medicorum, & philosophorum sententias doctè, atque eleganter abs te explicatas, & in veriorem lucem eductas, quàm in aliorum libris perlegantur. Quæ res non mediocrem mihi spem affert, fore vt aliquando philosophia vniuersa, quæ iampridem apud barbaros barbara facta est, Angeli Politiani opera Latinè loqui incipiat. Habuisti (vt scribis) à teneris annis præceptores præstantissimos, sub quibus & Platonicam, & Aristotelicam disciplinam imbibere potuisti: nunc verò, vt ex tuis scriptis accepi, frueris consuetudine Pici nostri, principis nunquā satis laudati, cuius doctrinæ imitatione summum sapientiæ culmen, quemadmodum iam in oratoria, ac poëtica facultate eminentissimum obtines locum, breui attingere poteris. Nisi vtrunque amarem, vtrique plurimum deberem, inuiderem felicitati vestræ, quibus in præclarissima Italiæ ciuitate, sub Laurentio Medice, ac Petro filio, eximijs ætate nostra virtutis, atque ingeniorum patronis, per summum otium ingenuè philosophari contingit. Vtinam ego is essem, quem vos tertium socium tantis rebus adiungere non indignum iudicaretis. Si facultas daretur, vobiscum viuere, vobiscum emori vellem. Nam quid suauius, quid conducibilius esse in vita potest, quàm cum amicissimis, ijsdémque & integerrimis, & vndecunque doctissimis, quales vos estis, viuere? Sed erit (vt spero) vt reliquum iam ingrauescentis ætatis meæ vobiscum traducam, nō modò propter consuetudinis suauitatem, sed etiam vt commentemur quonam modo pereunti doctrinæ, ac vitæ hominum

Præmittit in orcũ.

potius, quos multorum inscitia ἀϊδι προϊάπτει, consulamus. Vale. Magnifico Petro tuo, in cuius olim pueri, dũ Florentiæ essem, me gratiam insinuasti, nunc iam iuueni, atque vnà cum ætate virtutibus, ac dignitate, vt audio, aucto, si tibi videtur, me plurimùm commendabis. Ex Ferraria, v. Kalend. Februarij.

ANGELVS POLITIANVS
Nicolao Leoniceno suo. S. D.

NON tu munus accepisti, quinimo dedisti potius, vt qui dignum me habueris, cuius etiam nugas lectitares. Nisi magis iniuria sit hæc, florales agentem spectari à Catone. Feriatum diu te dicis à literis politioribus: at ego, si talem scribere epistolã qui feriatur, potest, qualem tu misisti nuper omnium elegantißimam, censeo esse mihi quoque quacunque occasione feriandum. Sed ita est profectò, bonæ istæ artes, literæ philosophiæq; vestræ non prius tenentur singulæ, quàm simul omnes. Omneis verò ætate nostra, tu, si nõ solus, certè cum paucis, hoc est cum vno, aut altero ad summum tenes. Sed de reliquis aliàs. Galeni verò commentarios vidi nuper, quos tu planè Latinos fecisti. Auguror, nec me puto fallit augurium, plurimùm posteritati collaturos. Nam sæculo etiam huic nostro nondum audeo sperare, quoniam praua consuetudine sic penè quidam homines obbrutuerunt, vt glandem adhuc defendant repertis frugibus. Similesque mihi Gryllo videntur illi, qui cum Vlysse disputat apud Plutarchum, nec vllis adduci rationibus potest, vt è sue rursus in hominem redire velit, quem prius ex homine Circe mutauerat in suem. Gratulatio tua, quòd philosophiæ me totum dediderim, mirum, quantum mihi bonæ spei addidit: Perseuerabimus igitur, præsertim cùm bene cesserit adhuc quod hactenus

Rad Gra Rotterdam

nus publicè ſpecimen dedimus, non modò docendo, ſed etiam diſputando. Facit animos credo Picus hic noſter, qui cùm diu comparem ſibi non inueniat in arena, certanti mihi, laborantique tamẽ vnicè fauet. Isq; cùm mihi tale quiddam fortè, quale Glauco illi Caryſtio pater acclamauit ὦ πὸ ἀρότρου, mediusfidius ipſam ſubijcere Vulnus videtur Antæi pedibus. Atque vtinã tu quoque nobiſcũ ab aratro viueres eodem contubernio, crederem fore, vt & Muſæ huc omnes (ſi modo vllæ vſquam ſunt Muſæ) cũ ſuis & Muſæ nemoribus & fontibus, ne dixerim cum ſua modò ſupellectile, commigrarent, & indoctorum, barbarorumque phalanges, quæ totum ferè orbem ſignis poſitis exultantes tenent, facilè te & Pico ducibus fugarentur. Laurentius, Petrusque Medices, hoc eſt, cum filio ſuauiſſimo pater humaniſſimus, certatim te diligunt, occaſionémque ſibi dari volunt, qua beneuolentiæ ipſorum aliquando erga te vberiorem fructum, plenioremque percipias. Vale.

NICOLAVS LEONICENVS
Angelo Politiano ſuo S. D.

QVEMADMODVM nõ multũ dolenter fero ab hominibus illaudatis vituperari, ita plurimũ gaudeo à viris nunquã ſatis laudatis cõmendari. Nam etſi illi aut odio, aut inuidiæ liuore obcæcati omnibus detrahunt, hi verò plura quandoque amori, ac beneuolẽtiæ tribuunt, quàm veritati, non parũ tamen intereſſe cenſeo, hócne an illo affectu quidquam agatur. Quis enim Therſiti maledicẽti, ac nemini parcenti credat, Neſtori verò, à cuius ore melle dulcior diſtillat oratio, non aſſentiatur? Ego ſanè etſi nihil me eſſe ſciam, tuæ tamẽ orationis perſuaſione, ac lepõre ductus aliquod iam nomen ac decus cenſeo poſſidere, Neque in animum inducere poſſum, quin tuum de

me iudicium nonnulli sint approbaturi. Si non illi, qui (vt in tua elegantißima epistola scribis) iam obbrutuerunt, & à glande nesciunt desuescere, saltem ij, quos recta studia delectant, exigui sanè numero, sed bello viuida virtus. Horum armis, atque auxilijs fretus, barbarorum phalanges, atque eorum, qui à nobis ad illos defecerunt, impetus, insolentiasq; contemnam. Tu modò mi Politiane, eũ te mihi exhibe, qui semper fuisti erga me, hoc est, mei honoris, ac dignitatis acerrimum defensorẽ. Laurentiũ verò ac Petrum Medices, hoc est, cum patre filium humanißimum in me dilectione certantes, quandoquidem tu ille fuisti qui mihi quodcunq; hoc regni, qui sceptra, Iouemq; tua apud illos auctoritate, ac gratia cõciliasti, studeas in eodem erga me amore cõseruare. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Nicolao Leoniceno suo s. d.

Auicẽna. DICTATA illa tua Nicolaë, quibus Auicennæ rebellis inscitiam, docèsque medicos iuniores quanta in caligine rerum versentur, nescio plúsne mihi voluptatis, an doloris attulerint Nam & gauisus mirificè sum res eas, quibus hominum vita, salúsque continetur, ab eo potissimum viro editas esse in lucem, quem quidem ego semper ingenij, disciplinarúmque meritò plurimi fecerim: & indolui rursus generis humani vicem, quòd in se grassari tam diu impunè tristem hanc inscitiam patiatur, atque ab ijs interdum vitæ spem pretio emat, vnde mors certissima proficiscatur. Quis enim non videat plus esse à medico, quàm à morbo periculi, siquidem & morbus alius pro alio curetur, & alia pro alijs remedia afferantur? Quòd si te prisca illa Nicolaë tulisset ætas, in qua pro meritis præmia reddebantur, ne deorum quidem honoribus caruisses: nisi fortè maius esse credi-

In medicos imperitos.

eredimus, vnum aut alterum (quod Aesculapius fecit) à morte, quàm omneis pariter homines (quod ipse facis) à mortis etiam periculo eripere. Quare perge obsecro qua instituisti via, scilicet in vna opera & immortalem tibi gloriam parias, & omnibus verè hactenus mortalibus ægris vitam, salutémque concilies. Quòd autem Plinium quoque redarguis nostrum, quasi cisthon pro edera acceperit, in hoc ego, vt liberè agam, & amicè, longè à te dissentio. Nec autem verebor eius viri patrocinium suscipere audacter, qui fuerit de vita, & literis tã præclarè meritus, præsertim aduersus te, hoc est, aduersus eminentem philosophum, cui nihil veritate ipsa debeat esse antiquius. De vestris enim illa sunt scholis, amicus Socrates, amicior veritas: & item, amici ambo, plus tamen habendum honoris veritati est. Plinius igitur, vt quidem tu ais, perinde atque Auicenna cisthon ab edera non distinguit errore (si quidem ita sit) maximo, quãdo cisthos ab edera plurimum & figura, & colore, & viribus differat. Addisque mirandum de Plinio magis, quàm de Auicenna, quoniam Græcæ linguæ peritus secernere à cisso, hoc est, ab edera, cisthon debuerat. Argumentũ affers quamobrem alterum ab altero non separet, quòd in libro naturalis historiæ decimo sexto ederã diuidat in marem, ac feminam, florémque vtriusque simi lem dicat esse rosæ siluestri. Tum idem lib. 1111. & xx. cisthon quoque illam, sub qua nascitur hypocisthis, in marem diuidat & feminam, marique rosaceum, feminæ album tribuat florem. Postremò, quòd etiam cisthi huius feciſſe inter ederas mentionem se dicat. Quocirca sic videris posse colligere: cùm Plinius lib. 1111. & xx. mentionem se de cistho inter ederas feciſſe doceat, cuius tamen vocabulum nusquam superius inter ederas cite-

Aesculapius.

Plinius.

Veritas.

Plinij & Auicennę error circa cisthon & ederã.

tur, facilis coniectura est, cisthon ab eo ederæ nomine comprehensam, præsertim qui sic ederam, quemadmodũ & cisthon in marem feminámque partiatur, et in ederis florem describat cisthi. Iam quoniam quid tibi videatur exposui, quid ego contrà opiner edisseram. Nego vsquã à Plinio inter ederas cisthi mentionem factam, præter quàm lib. IIII. & XX. vbi illam præclarè distinxit ab edera. Nam quod tibi sumis quasi Plinij testimoniũ, alibi eum de cistho inter ederas locutum, hoc ego neutiquam concedo. Mihi enim vbi hoc ait, in quarto & vigesimo scilicet libro, disserere de cistho adusque illam tantum clausulam videtur, quæ sic est apud ipsum: Sub his nascitur hypocisthis. Post id autem statim interpungitur, ac deintegro sic verba incipiunt: Quã inter ederas diximus cissos erythranos, ab hisdem appellatur similis ederæ. Nec autem vereor (quæ tua est in literis elegantia) quin figuram agnoscas, cuiusmodi apud Ouidium est: Quam legis à rapta Briseide litera venit. Et iterum: Quam, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem Mittit Amazonio Cressa puella viro. Quòd si illud, quã referre ad id malis, quod antegreditur, cogeris ad hipocisthida potius (hæc enim statim prior) quam ad cisthon referre. Deq; hypocisthide tacet omnino superius, hoc est, libro decimosexto inter ederas, cùm de erythrano tamen loquatur. Quid? quod nec cisthon alibi vsquam nominat inter ederas, nec maris, feminæq; discrimen tam cisthi proprium, quam omnium planè arborum, virgultorumq; videtur, quod nec idẽ Plinius dissimulat. Quid? quòd flos quoque diuersus perhibetur in edera quidam, maris & feminæ concolor, in cistho autem planè discolor. Nam quod ederaceum siluestri roſæ comparat, non tam colorem insinuari, quàm lanuginem puto, qualis intra

Defendit Plinium.

trarosas est. Vnde etiam ederæ florem χνοώδη Theophrastus appellauerit. Satis igitur (vt arbitror) apparet, nihil esse quod nos fateri cogat Plinium lib. XVI. cisthon inter ederas retulisse, qui tamen idem lib. IIII. & XX. sic ederæ cisthon, quemadmodum & chamecisson adnexuit: non quia cisthon ederámque esse idem crediderit, sed quòd eam Græci vicino (sic enim inquit) vocabulo appellent. Quare ne quenquam similitudo vocabuli falleret, ibi potissimum distinctiones adhibuit, vbi confusionis occasio nascebatur, nec eo contentus, etiam cisthi proprietates prorsus ab edera diuersas adiecit. Nusquam enim ederam sic antè descripserat, vt aut maiorem thymo, aut ocymi foliis, aut postremò albo esse flore docuerit. Quamobrem quis iam dubitet secundum Plinium pronuntiari oportere, quem ne suspicio quidem vlla istius erroris attingat? Illud obiter mirari me fateor, quid ita tibi in mentem venerit, ledon herbam, seu tu ladam mauis, vnde & ladanum vocetur, Latinam vocem arbitrari prorsus, quasi non & Dioscorides, & alij veteres Græci passim vt patria, vernaculáque vtantur, tam Hercules quàm & ladano. Hæc habui mi Nicolaë, quæ tibi pro Plinio (veráne an falsa nescio, sed mihi tamen verisimilia) obijcerem. Quæ si tibi doctissimo homini probabuntur, lætabor equidem Latinum auctorem non in eadem esse alea, qua barbari. Si minus, expecto iam quid ad hæc nostra qualiacunque respondeas: etenim cùm grauissima sit apud eruditissimum quenque Plinij auctoritas, aut non tentanda fuit, aut aliquantò fortius, quàm certè adhuc feciße videris, conuellenda. Vale

Ledon
Lada
Ladanũ.

NICOLAVS LEONICENVS
Angelo Politiano suo S. D.

Gaudeo

GAVDEO plurimum Angele vir doctißime, ſtudium meum in reſellenda inſcitia barbarorum, qui de medicina ſcripſerunt, abs te nunquam ſatis laudato viro probari. Non enim ego id de te ſentio, quod fortè plerique, qui in ea hæreſi ſunt, hominem eloquentem nõ poſſe de alijs diſciplinis iudicare: quaſi earum peritia carere ſit neceſſarium ei, qui bonarum literarum, ac politioris humanitatis ſtudijs fuerit imbutus. Noui ego tuum perſpicaciſſimum ingeniũ, noui feruens iã inde à pueritia ſtudium, non minus ad philoſophiæ doctrinam, quàm ad oratoriam, atque poëticam capeſſendam: in quibus tantum profeciſti, vt tua te patria inclyta Florentia omnium liberalium artium vtatur præceptore. Nec ſanè mirandum te vnum eſſe perpaucorum, qui ætate noſtra eloquentiam cum ſapientia iunxerunt, cùm in eiuſdem ſapientiæ ſtudio habeas ducem, ac comitem diuino virum ingenio, Ioannem Picum Mirandulam noſtrum, cum quo dies ac noctes in omni doctrinarum meditatione verſaris: ac propterea tibi omnia ad ingenuè philoſophandũ adiumenta ſuppeditet fauor, ac gratia Laurentij Mediciſ, maximi hac tẽpeſtate ſtudiorum patroni, qui miſſis per vniuerſum terrarum orbem nuncijs, in omni diſciplinarum genere libros ſumma ope conquirit, nulli ſumtui parcit, quò tibi, ac reliquis præclaris ingenijs bonarum artium ſtudia æmulantibus, inſtrumenta abundantißima paret. Audiui, te referente, vocem illam præclaram ex Laurentij ore prodijſſe, optare tanta ſibi abs te, ac Pico noſtro ad libros emendos præſtari incitamenta, vt tandem deficientibus ſumtibus, totam ſupellectilem oppignerare cogatur. Cùm igitur omnia & animi, & fortunæ bona in te cumulatißima ſint, nihil eſt quod Angelo Politiano pro me contra barbaros pronuncian-

Bibliotheca Laurentij Mediciſ.

te,

te, quempiam deinceps timere debeam, qui illorum patrocinium sit susceptus. Quòd autem vt iure à me barbaros reprehendi iudicasti, ita non approbas quòd Plinium de vita, ac literis optimè meritum, intra eandem cũ barbaris aleam posuerim: cuius tanta sit apud peritißimum quenque auctoritas, vt aut eam tentare non debuerim, aut si omnino conuellendum duxeram, fortius id à me fieri, quàm adhuc feciſſe videar, oportuerit. Si me fortè hisce verbis (vt qui mecum amicè omnia potes) temeritatis, atque impudentiæ tacitè accusas, qui tantæ existimationis virum per calumniam quodammodo deprehendere quæsuerim, habeo iam excusationem mihi ex tua epistola paratam. Fateris enim vera esse, quæ in scholis nostris lectitantur: amicus Plato, magis amica veritas: sed cùm ambo sint amici, pium esse veritatem in honore præferre. Cùm igitur ego ita sentirem, Plinium non minus, quàm ceteros in edera descriptione, alterius plantæ, quæ apud Græcos κισσὸς appellatur, nominis vicinitate deceptum, quoniam edera à Græcis κισσὸς dicatur, indicia non sine errore miscuisse, nolui, quantum in me erat, pati veritatem ipsam in obscuro iacere. Quòd autem fortius, atque eu identius hunc à me errorem iudicari oportuisse censes, sc ito non fuisse tunc animi mei propositum Plinij auctoritatem pessundare. Nam cùm illa dictabam, præcipua erat mihi contentio cum barbaris. Atque ideo cum de edera sermo haberetur, cuius naturam non satis Auicennæ cognitam fuisse probare contendebam, obiter ac vel uti quodam in transcursu Plinium quoque in aliorum mẽtione nominaui. Quem tamen non dixi vnà cum Auicenna ac reliquis erraſſe, sed videri in eodẽ cum alijs errore versari. Vide quàm modestius de Plinio, quàm de alijs tũc sim locutus,

Amicus Plato, amica veritas.

κισσὸς. κισσὸς.

cutus, quos non videri eodem errore deuiare, sed planè aberrare asseueraui. Quòd si is mihi animus tũc fuisset, aut nunc etiam esset: Plinij errata in lucem patefacere potuissem & tunc, & nunc quoque posem integrum de eisdem implere volumen. Pauca tamen è multis hoc in loco censui aperienda, vt intelligas me non temerario iudicio, sed certissimis rationibus adductum, vt existimarem Plinium in ederæ descriptione, quemadmodum in multis alijs ad medicinam pertinentibus, aberrasse. Illud verò mihi primùm tecum conueniat, tam apud Græcos, quàm apud Latinos, atque etiam barbaros. Dioscoridẽ esse summum auctorem, atque præcipuum, cui in herbarum, ac fruticum descriptionibus fides sit adhibenda. Nam & Plinius ipse non minus hunc, quàm Theophrastum in hac parte secutus videtur, vt qui vtranque linguam, & Græcam, & Latinam nouerit, sententias integras Dioscoridis, quasi verbum ex verbo, à Plinio trãslatas agnoscat. Galenus præterea, homo cùm in omniũ liberaliũ artiũ, tũ in medicinæ præsertim disciplina præcipuus, in suo de simplicibus medicamẽtis libro, se à describendis herbarum imaginibus supersedisse fatetur, quoniã abundè in hoc studio fuerat à Dioscoride satisfactum. Nec Serapio Arabs herbas describere aggressus, alijs eas notis indicauit, q̃ Dioscorides: quamuis & ipse, nõ rectè in omnibus imitando Dioscoridem, libros suos innumeris impleuit erroribus. Quos nisi sperarem aliquãdo in lucem fore detegendos studio, ac diligentia inclyti præsulis Hermolai Barbari patriarchæ Aquileiensis, viri omnium disciplinarum peritissimi, libentius sanè aliquando notarẽ, quam hosce Plinij in præsentia sim recitaturus, tum quia magis me iuuat contra homines barbaros, q̃ Latinos agere, tum quia maius humano generi

Dioscorides.

Galenus.

Serapio.

ex

ex Serapionis inscitia quàm ex Plinio periculum immi-
net. Siquidem ætate nostra omnes ferè medici in simpli-
cium medicaminum cognitione Serapionem sequuntur:
Plinium autem nec legendum quidem existimant, quòd
eum in numero grammaticorum, vel oratorum, non au-
tem philosophorum, aut medicorum habendũ iudicent.
Ego verò etsi non inficias eo Plinium omnium doctri-
narum studia excoluisse, multa tamẽ, de quibus in suis de
naturali historia libris conscripsit, non satis illi cõper-
ta, atque explorata fuisse crediderim. Ex quo illud se-
cutum est, vt cùm non ea scriberet, quæ ipse nouisset, sed
quæ potius à diuersis auctoribus variè scripta collegis-
set, sæpius diuersa pro eisdem, atque eadem pro diuersis
retulisse videatur. Quam quidem rẽ me tibi homini do-
ctißimo facilè probaturum spero, si paululum seposito
affectu, non tanquam Plinij patronus, sed potius iudex,
hæc quæ in Plinio notaturi sumus errata, diligẽtius per-
pendere, atque examinare volueris. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Iouiano Pontano s. d.

Et si magnum te dolorẽ Ferdinandi regis interitu ce-
pisse nõ dubito, propterea quòd in illo & autoritas, &
sapientia tãta fuit, quantã vix in rege vnquã alio memi-
nimus: tamẽ cùm mecum ipse considero quis ei regi Rex
succedat, penè esse nefas arbitror, vel te, vel quenquã ex
ijs, qui rebus vestris fauẽt quorũ de numero nos quoque
sumus, maiore aliquo in luctu, mœstitiaq; versari. Nã cũ
vobis regni hæres (quod felix, faustũq; sit) Alfõsus alter
maximus natu filius obtigerit, cuius excellẽs ingenium,
singularis virtus, incredibilis sapiẽtia bello, & pace cla
ruit, ingrati profectò fuerimus, si nõ quantũ relictũ, sed
quantũ sit ademtũ respexerimus, præsertim cùm subsi-
diis

dijs tot, tantisque regnum fulciatur. Dux enim suffectus Calabris Ferdinandus alter Alfonsi filius, quem & ipsum nobis fama refert omnibus corporis, animique dotibus excellere, sic vt multis, magnisque rebus non dubium iam regiæ cuiusdam indolis specimen dederit. Accedit eò Federicus magna prudentia, magna dexteritate, magno vsu rerum, sed maiore in regem fratrem beneuolentia, fide, pietate. Mitto necessitudines alias, opes, exercitus, duces, socios, studia, popularium præsidia, munimenta, propugnacula, quæ nullis penè humanis viribus labefactari posse videantur. Opem verò diuinam quis rogo vel sperare, vel polliceri sibi magis potest, quàm qui Turcas impios ferro, igníque sequens nõ tam ab oppido Hydrunte, quam (vt mihi videtur) ab Roma ipsa, quam primùm petebant, atque adeò à sanctißimis illis altaribus expulerit? Quapropter tametsi magna omnino facta est iactura Ferdinandi obitu, tamen quoniam vigiliam quasi suam filio tradidit, regemq; pro se quem potißimum voluit, reliquit in omni genere laudis excellentẽ, nõ debetis vllo pacto, mi Pontane, quicunq; inter officia regis estis, mœrori vos dedere, sed animo præsenti, quod equidem te facere arbitror, præsto esse, diligentiámque omnem vestram videlicet ad eum (quantum quidem fieri potest) cura, labore, molestiáque leuandum cõferre. Te verò etiam seorsum gratias agere Deo maximo conuenit, quòd eum, quem in hanc spem à tenero educasti, quẽ disciplinis ornasti, quem præceptis instituisti, Regem iam vides: atq; ita Regem nõ modò vt regno pulcerrimo isto quidem, atque opulentißimo, sed vt etiã orbis terrarum imperio dignißimus habeatur. Hæc ego vt ad te scriberem, præcipuus quidã meus erga te, principesq; tuos amor impulit. Sed & multùm quoque adhor-

adhortatus est alumnus hic meus, idémque patronus, nostræq; Reipublicæ columen Petrus Medices excellenti iuuenis & animo, & ingenio, quo nihil fieri potest, mi Pontane, tui amantius: nam regi ipsi tuo, quàm sese idem totum, penitusq; tradiderit, nihil attinet scribere, præsertim ad te, cui nota sunt omnia. Sed tamen ita de illo semper & honorificè loquitur, & amanter, vt ceteris penè reliqui nihil faciat. Atque hæc hactenus. Quòd autem superioribus diebus excusasti diligenter occupationes tuas propterea quòd epistolæ cuidam nostræ non respondéras, nimis officiosus homo es (vt video) nimis humanus. Me enim, quamuis omnino equidem litteras tuas gratissimas habere, nihil delectare potest, quod cum tua vlla molestia tribuatur. Tantum illud ignoscas velim, quòd dum studio in te meo, & amori obsequor, non sum veritus semel, iterumque tuis occupationibus obstrepere. Licet autem per me tibi (dummodò amare non desinas) non solùm non respondere ad litteras meas, sed ne legere eas quidem, si ita sit commodum. Vale.

HIERONYMVS DONATVS
Ioanni Pico Mirandulæ s. d.

QVAE meæ partes esse debuerant, eas omnes tibi insisti Pice doctissime, teipsum apud me negligentiæ simulans, & in eo crimine, cuius ego apud te maximè reus sum, excusationē quærēs. Parum tibi videtur alios ingenio, et eruditione præcellere, nisi modestia quoque, & humanitate vincas nō solùm alios, sed teipsum. At vero obsecro, harū virtutū munera ita amplectaris, vt nobis quoq; aliquā obeūdi officij nostri occasionem relinquas: ne dū harū omnes tibi partes vendicas, nos inhumani, atq; inciuiles habeamur: qua ego in re (quæ mea est

impudentia) iam non excuso negligentiam meam, sed accuso humanitatem tuam. Quòd scribis te non temporariam mecum, sed perpetuam amicitiam statuisse, non solùm ea caussa tibi me plurimum debere intelligo, verùm etiam rectè mihi amicitiam definisse videris: quæ temporaria cùm sit, iam amicitia esse non potest. Illud scito, me eam in meorum ornamentorum delectu seposuisse. Quid enim mihi accidere potest præclariùs, quàm à tanto viro non laudari solùm, sed etiam amari? Hermolaus noster incredibilẽ doctrinarũ tranquillitatẽ, & studiorũ φιλοπονίαν curat maxima vtilitate eruditorũ: video esse summum, ac rarum quiddam, quod sperare possunt litteræ, eo incolumi. Eius ego consuetudinem, quã mihi tãtopere inuides, eadẽ penu seruo, qua & amicitiã tuã. Nihil prætereà adeò θωμαστὸν censeo, quod assequi ingenio, & eruditione non possis, præsertim quia audio te τῆς ἑλληνικῆς παιδείας χάριν istuc demigrasse. Quod ego consiliũ ita laudo, vt magis laudare non possim. Nã ἡδὲν γλυκύτερον ἢ πᾶν εἰδέναι. Ego Politianum tibi inuideo hominem fertilissimi, & facundissimi ingenij, cuius Rusticum nuper legi: visus est mihi splendor ætatis nostræ, & πᾶν ἐπ' ἀληθείᾳ πεπλασμένον ἐκ διὸς ἔρνος. Cui ea de me polliceri te meis verbis postulo, quæ ab homine amicissimo exspectare potest. Vtor autem te internuntio, in auspicanda mihi cum eo beneuolentia, cùm fretus humanitate tua, tum quòd τῷ μέσον καπυρῷ σώματι per te, qui eruditissimus es, me conciliari conuenit. Vale, & puta nihil mihi tuis literis esse iucundius. Plura laxiore otio ad te scribã. Venetijs XVII. Kalend. Ian. M. CCCCLXXXIIII.

Tarum laborem.

Admirãdum.

Græcanicę doctrinę gratia.

Nihil dulcius, q̃ ōnia scire.

Totus in veritate effigiatus ex Ioue tamus.

Musarum spiratę & vegeto ore.

ANGELVS POLITIANVS
Hieronymo Donato suo S. P.

Ad Lauretum

13

IN epistola quadam tua ad Picum nostrum, cùm me pleraque delectassent, tum vt ad te scriberem subinuitauit iudicium, quod affers de Rustico nostro: vtinam quidem tam verum, quam honorificum. Quod ego tamen non iudicium adeò de me, sed studium potius in me, ac beneficium interpretor. Neque enim ita mihi sum inexploratus, vt tibi amicissimo homini, atque ob id minus integro iudici, plus de me credendũ statuã, quàm ipse mihi: nisi fortè ita me ludit illa poëtarum (quod Horatius inquit) amabilis insania, vt nunquã congrediar mecũ, nunquã de tergo in pectus manticã reuocem. Quòd si poëticen sequitur, velut vmbra corpus, cæcus ille amor sui, qui φιλαυτία dicitur, quæq; plerosque infatuat, & tollens vacuũ plus nimio gloria verticem: fateor iam nunc piget me candidatum poëtices haberi tam ingrata vice, tã tristi ac pœnitenda mercede. Alioqui ne Lycius quidẽ ille me stultior χρύσια χαλκείων demutauerit ἑκατόμβοια ἐννέα βοῶν. Ceterum nihil minus debemus tibi, vel sentiendi de nobis, vel sentiri ab alijs postulãti, quæ nec agnoscat conscientia nostra, nec ferat pudor. Siue enim vt ceteros fallas, ne tua quidem ornamenta, hoc est, laudũ tuarum supellectilem mihi inuides: siue ipse falleris potius, meáque te vel vitia delectant: vtrunque amoris est, & quidẽ non vulgaris: siquidẽ Achiues quoq; Patroclo suã arma induit, & Alcæum vatem neuus etiãm articulo pueri delectabat. Quare si me amas, id quod scio, iã scilicet dubitare non potes, quin ego te redamẽ. Siquidem aiũt amorẽ nullo magis emi, quàm seipso. Neq; tamen, sicut amantẽ mutuò amo, ita laudantem vicissim te laudo. Quippe in reponẽdis beneficijs lex est illa Hesiodi custodienda, vt eadem mensura reddas, aut etiam cumulatiore, si possis. Sed cùm tu, quas habes oratio-

iudicium amici.

φιλαυτία.

Aurea æra reris.

Cẽtũ bob⁹ taxata, scil. arma Glauci Lycij: nouẽ bobus taxatis, scil. armis Diomedis. Hõmerus Iliad. 6.

Lex Hesiodi in beneficijs reponendis.

uis diuitias, cùm tu, inquã, isto ingenio vir, istáque doctrina, in me vnum è medio homunculum laudes tantas ipso (quod aiunt) horreo congesseris, qui possum ego de reditu maligni, incultique soli saltem alterum tantum tibi nedum plus aliquid remetiri? niſi tamen velut Echo illa tuas tibi voces regerã, atque refundam. Sed vereor, ne si quæcunque dederis, resignauero, tibique laudes tuas, quas precariò posſideam remisero, nudum ipse me statuam, & vt illa Aesopi cornicula, plumis ablatis, moueam risum. Atqui tamen nec illud saltem me potes ingrati reum peragere, cùm vicariã pro me solutionẽ spõte suscipiat, ac meas parteis subleuet sacer hic Picus, dicam, an phœnix? cuius tu semper in ore illo es Musarũ, Gratiarúmque pleno. Quo scilicet inspirante nos quoq; impellimur ad te, suprà etiam quàm valemus, sed tamen adhuc infrà quàm cupimus, efferendum. Nam par quidẽ tanto perferendo oneri ipse est solus. Nos autem de eo sic pendemus, vt de magnete Platonis anuli ferrei. Ipseq; in nos vim quandam arcanam depluit, quasiq; ἐνθουσιασμὸν, qui plus etiã posse nos cogit, q̃ sponte possumus. Ipse quasi Pausarius modos, & incitamenta dat nobis laudandi tui, laudandi vnà tecum Hermolai Barbari hominis, vt mihi quidẽ videtur, vnius ex reliquijs aurei sæculi, quãuis ipse longè doctior, & non illi sanctiores. Sed ingressos plerũq; nos super vobis aliquid ἐπαωρεῖν tã multa in cælũ aura leuat, vt Icarium quandoq; casum formidemus. Vides autẽ nũc quoq; me quasi νυμφόλιπτον etiã in epistola nescio quid exhibere λιθυραμβικώτερον. Quid tu igitur frontem obducis? An scilicet te fugit indulgendum hoc mihi, quidquid est furoris? vel quòd omnis paulò humaniores iuxtà adamo, ac sum (quod dicitur) amusis alba: vel quòd tibi quoque nõ abhorrens videor

Afflationem diuini numinis, aut diuinæ substantiæ.

Decãtare.

Lymphatũ furore percitũ.

Furiosius.

deor

deor à Musis, Picóque item ipsi, & fortasse Hermolao, triumuiris scilicet litterarijs: qui si me vel tantillũ probatis: iam nunc medium ostendo digitũ non popello tantùm, et litteratoribus, sed philosophis adeò ipsis, ne excepto quidem Platone, sed Florentino. Vale.

HIERONYMVS DONATVS
Angelo Politiano suo S. D.

EGO verò Politiane doctißime, tui erga me amoris fructus gratißimos, & iucundißimos cepisse me sentio, neque aliũde vberiores, honorificentiores q; prouentus exspecto. Nam & in amicitia respondisse te video, ἄντῳ θῷ μίτρῳ καὶ λώϊον, & te, id quod nunquam dubitaui, nõ Politianum modò, verùm & πολιτικώτατον esse percipio, sociata tã rara, exactáque eloquentia infinitæ propè humanitati, atque modestiæ. Quòd si rationes negotiorum meorum excussero, atque inuicem retulero, nihil me ab eo die quo ad Picum nouißimè scripsi, præstãtius lucrifecisse comperiam tua hac epistola, dij boni quantum Attica, erecta, exculta, quãtum denique amabili, vt in ea summus amor, summáque eruditio contendere videantur: neque facilè vtrum excellat dignosci possit, vtriusque rei euidẽtißimas causſas coniectari facillimum est. Eruditio enim diuino ingenio, studio infatigabili tota ex te ipso summa est: beneuolentia verò, non ingentißima esse non potest, qua me Pico auctore complexus es. Ego tamen iam antea amare te cœperam, sed defuit illa, ἵνα τοῦτὸμ σωάγαγοι ὁμιλία, qua tamẽ in posterum beneficio litterarum nõ indigebimus. Attamen memimisse te suspicor, fere enim quinquennium agitur cùm apud nos versabaris, te Hermolao, ac mihi tunc parentis & patrui morte squalido, ac pullato carmen illud aureum de sacrilega, ac sanguinaria Iuliani cæde recitasse.

Ad ipsam mensurã, & melius.

Ciuilissimum.

In vnum cogẽs cõuersatio.

De æde Iuliani.

Ex quo nunquam apud me eruditorum hominum mẽtio facta est, quin mihi ex omnibus primus occurreres. mox in tua illa Rustico elegantißima (magnus à me semper habitus) maior inuentus es. Quamobrem id tibi persuasum velim, ea te mecum amoris, et officij fundamenta iecisse, vt nullo casu ruere, nulla vi conuelli poßint. Cuius fructus candidißimos, & mihi omnium longè gratißimos, hoc est, litteras tuas exspecto. Neque solum litteras, sed interdum quoque amœnißimas Musas: quæ cùm ad me venerint, tunc maximè Theocriti carmen illud suauißimum cantabo:

Τᾶς μοὶ πᾶς ἴικ πλεῶ μόμος. οὔτε γὰρ ὕπνω,
Οὔτ' ἦαρ ἐξ ἀῶϊνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσας
Ανθια, ὅσσον ἐμοὶ μῶσαι πωλιτιανὸ φίλαι.

Quo mihi tota sit plena domus, neque enim somnus,
Neque ver derepente dulcius, neque apibus
Flores, quantum mihi musæ Politiani gratæ.

Vale, & me ama, à quo amaris plurimùm. Venet. VI. Idus Iunij M. XIID.

HIERONYMVS DONATVS
Angelo Politiano suo S. D.

SALVE Politiane mi. Tandiu humanißimis litteris tuis respõdere distuli, vt putẽ me nunc potius ad te scribere q̃ rescribere. Imputabis siue occupationes publicas siue priuatã desidiã, modò abdices omnẽ aut obliuionis, aut arrogantiæ suspicionem. Equidem Politiane mi, nullum ego thesaurum comparari posse censeo amico, qui & probus, & doctus sit, nec aliũde homini locupletior felicitatis prouentus accedit, q̃ ex vera, incorruptáque amicitia, quam virtus, probitasq; conciliat. Quo fit, vt ego sæpißimè vestram istam sub parente patriæ Laurentio

tio academiam absens mirari, & amare maximè soleam. In qua præclara simul optimarum artium morumq; pretia cõtra pertinacissimas animi sordes vitium, atque inscitiam conspirauerunt. Quorsum hæc? vt facilè tibi persuadeas me quanquàm tardius rescripserim, summopere tamen delectatum esse humanissimis, & eruditissimis litteris tuis. In ijs præclarum istud vestrum otium intueri licet, & doctrinarum quietem vobis inuidere. Nam nos & publica, & priuata distringunt, & nostra ferè sunt tẽporis furta, non studia. Gratulor vobis amœnissimas Musas, literatissimum otium, quibus absens impensè fauco, subscribo, & bene opto, cùm vestra, tum bonarũ artium caussa. Sed hæc satis. Scio istic apud vos esse complura Alexãdri Aphrodisei volumina in variis generibus doctrinarum, præcipuè verò in philosophia naturali. Sunt item apud me hîc nõnulla illius opera mirè erudita, & grauia. In his habentur duo volumina περὶ ψυχῆς, quæ per hos dies perlegi. Alterum ex his volumi nibus principium habet eiusmodi: πρὸς ψυχῆς, τί τ'ἐστὶ, καὶ τίς αὐτῆς ἡ οὐσία. Is libellus apud me ferè post principium mutilus est. Cupio me certiorem reddas, nunquid apud vos in delectissima ista Medicum bibliotheca totus, atq; incolumis sit. Quòd si (vt spero) illæsus, et integer, mihi gratissimum facies, si primum huius libri caput transcribi feceris, & ad me mitti curaueris: si negotium librario commiseris, neque præceleri. vix horam absumet. Vale. Picum meum saluere iube. Cùm dico Picum, doctos etiã omnes intelligo. iterum vale. Mediolani, pridie Calend. Aprilis. M.CCCCLXXXX.

De anima, & quid sit, & quæ eius essentia.

ANGELVS POLITIANVS
Hieronymo Donato suo s. d.

ETSI litterarum tuarum semper incredibili desiderio teneor, propterea quòd mihi ex eruditione fructus, ex elegantia voluptas, ex auctoritate summus honos cõciliatur: facile tamen id ego differri nonnunquã patior, vel ne te à studijs auocẽ potioribus, vel certè vt exemplum mihi tuum sexcentas iã debenti epistolas patrocinetur. Roges caussas tanti debiti. Non inficior desidiã esse primam, quæ mihi semper, nescio quo pacto, fuit in delicijs. Sed tamẽ & occupatiunculæ, vel trichæ potius ineptæ quædã molestæq; nimis, otium omne meum penè inter se scrypulatim partiũtur. Nam si quis breue dictũ, quod in gladij capulo, vel in anuli legatur emblemate: si quis versum lecto, aut cubiculo, si quis insigne aliquod non argento dixerim, sed fictilibus omnino suis desiderat, illico ad Politianum curritat, omnesq; iam parietes à me, quasi à limace videas oblitos argumentis varijs, et titulis. Ecce alius Bacchanalibus Fescenninorum argutias, alius conciliabulis sanctas sermocinationes, alius citharæ miserabiles nænias, alius peruigilio licẽtiosas cãtilenas efflagitat. Ille mihi proprios amores stultus stultiori narrat. Ille symbolum poscit, quod suæ tantum pateat, ceterorum frustra coniecturas exerceat. Mitto scholasticorum garritus intempestiuos, versificatorum nugas, seq; & sua de more admirantium, quæ quotidie cuncta demißis auriculis perpetior. Quid plebeculam dicã, vel vrbanã, vel agrestem, quæ me tota vrbe ad suũ negotiũ, quasi naso bubalum trahit? Ergo dum proteruè instantibus negare nihil audeo, cogor & amicos vexare ceteros, & (quod molestißimum est) ipsius in primis Laurẽtij mei Medicis abuti facilitate. Quare adeò mihi nullus inter hæc scribendi restat, aut cõmentandi locus, vt ipsum quoque horarium sacerdotis officium penè (quod

Horariũ officium.

(quod vix expiabile credo) minutatim concidatur. Postremò cùm nihil faciam, nunquã sum tamen otiosus, imò dum cuiusuis esse compellor, nec meus esse planè, nec cuiusquam possum. Proinde si cubi distulero posthac, aut omisero ad te responsum, scito me statim sicuti soleam, nugas agendo fuisse occupatum. Laurẽtius Medices noster vel ex epistolis tuis, quas ei semper honoris mei caussa recito, vel ex huius magni Pici testimonio, qui tibi plurimum tribuere solet, ita te iam diligit, vt nobiscum ferè contendat. Hermolaum verò ipsum Romæ, hoc est, quàm oculatißimo loco, legatum fore, mirè gauisus est, etiam studiorum nomine. Quem sic expectamus auidè, vt spe iam totum penè contriuerimus. Quòd si semel in itinere exceptus abire à nobis properabit, iam nunc dico, atque edico, væ hominis togæ, væ lacinijs. Alexandri verò quos ais de anima libros, nullos ipsi prorsus hîc habemus, sed nec extare quidẽ suspicamur, quòd ex indice quoque ipso, quẽ Seraticus ad te misit, animaduertes. Quin rogamus ego & Picus, vt cũ Venetias (quod propediem fore nuntiant) remeaueris, eius describendi copiã Laurentij Medicis librario facias. Equidem nonnullas Alexãdri huius peracutas in Philosophia quæstiones, anno iã tum superiore Latinas feci. Sed & te quæpiã scriptoris eiusdẽ narrat Seraticus interpretari. Tũ Grimanus proxima æstate missurũ se mihi exemplar alterũ, quod tibi pridem commodauerat, vltrò est pollicitus. Qua de re coniecturã facio potuiße illud accidere, vt eundẽ vterque forte fortuna librum conuerterimus. Hoc si nõ falsò ratiocinor, iã scilicet spongiã cogito, rogoq; mihi de eo q̃ primùm significes, vt ipsum saltem limæ laborẽ lucrifaciã. Vale, meq; Iacobis duobus, Volaterrano, et Antiquario, hoc est, humanitatis, ac probita-

tis geminis exemplaribus commenda. Florentiæ x. Calend. Maias. M. CCCC LXXXX.

HIERONYMVS DONATVS
Angelo Politiano suo S. D.

ACCEPI *Miscellanea, percurri: iucũdißima lectio, in qua delectari, & iuuari vel doctißimus quisque possit. At, inquies, præceps iudiciũ est, quod obiter fertur. Sed cùm de re litteraria agitur, iudicare de te possumus abdicatis iuris solennibus, etiam stantes, adeò cuique securum est de eruditionum controuersijs cum Politiano in tenebris quoque dimicare. Mihi autem in eo opere tantum tribuis, quantum nec agnosco, nec postulo. Perge (quod facis) iuuare bonas artes, neque formides blateratorum, & sciolorum aculeos: nunquam caruere inuidia egregij, fortes q; conatus.* ἀλλ' ὅμως (χρείαν γὰρ ἐκτιρμῶν φθόνῳ) μὴ παρίει καλά. νόμα δικαίῳ πηδαλίῳ *Latinas litteras. Fortasse enim hi maximè ex eo opere profecturi sunt, quibus id magis sordescere videbitur. Vale. Mediolani* XI. *Kalẽd. Nouẽb.* M. CCCC LXXXIX.

Veruntamen, melior enim miseratio nibus inuidia, ne dimitte honesta, rege iusto temone.

ANGELVS POLITIANVS
Hieronymo Donato suo S. D.

NON *est is auctoritatis meæ rigor, vt inuidentium flatus quasi ventorũ tutò possit excipere, ni vestris paucorũ testimonijs, velut adminiculis, ipsa per se decidua fulciatur. Equidem multorum accepi litteras, ex quo Miscellanea publicaui, laudantium scilicet (vt fit) & gratulantium. Sed nescio quo pacto, de tuo, de Barbari, de Pici, de istiusmodi perpaucorum iudicio, sic ipse me censeo, vt tum denique stare videar, cùm puncta omnia tulerim suffragij vestri. Quanquam etiam isthinc reddita mihi nuper epistola est Iacobi Antiquarij mirè grauis, & erudita: quem mihi virum minimè alioqui facie*

notum,

notum, sæpenumero tamen Laurentius Medices meus à litteris, à moribus, à prudentia commendauerat. In ea profectò epistola, nec honestam indolem, nec expressam quandam vetustatis imaginem, nec textum illud operosius, quale vestrum est, nec vllum denique styli cultioris ornamentum requisiueris, vt admitti, ni fallor, in istam quasi prærogatiuam tribuum iure debeat. Sed de hoc ipsi videritis. Epistolam verò ad me tuam legit idem Laurentius, & quidem non incuriosè, lectámque verbis exquisitissimis laudauit, sic vt mihi quoque apud illum magna accesserit de tuo felici calamo commendatio. Nam quanquàm mihi ille vir plus meritis semper tribuit, tamen vt tuas legit litteras, visus est nescio quo pacto fauere propensius iudicio de me suo, et pluris aliquantò me post eam diem facere, quàm antea consueuisset. Iámne igitur sentis quantopere isto litterarum nomine debeam tibi, per quem factum sit, vt sibi iam Laurentius ipse placeat, quòd ego non displiceam? Quare te rogo, cùm tibi à Repub. otium fuerit, scribas aliquãdo ad Politianum tuum, putesq; te non epistolas ad ipsum, sed stipẽdia mittere, sed sacerdotia, sed honoris titulos, omniáque denique vitæ humanæ commoda. Quorum cùm semper auctor ei Laurentius vnus extiterit, tantò subinde potiora collaturus videtur, quantò eundem gratiorem vobis, hoc est, religiosissimis artium bonarum censoribus intellexerit. Ioannes Picus Mirandula, lux omnium doctrinarum, salutem tibi adscribit, & vt item Merulæ, Puteolanóque nunties, vterque rogamus. Vale. Florentiæ, Kalend. Decemb. M. CCCC LXXXIX.

ANGE-

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER TERTIVS.

ANGELVS POLITIANVS Callimacho suo S. D.

ETsi video quæ tu de me sentias, prædices q̃; amicius multò, quàm verius, & sentiri, & prædicari, tamen gaudeo ea mihi tribui abs te, quæ ipse in memet neutiquam agnoscam. Quid enim non gaudeam me etiam præstigia quadam sensum istum prædicationemque tuam lucrifacere? Nam haud dubium mihi quidem est, quin tu tibi quæ scribis, etiam vera esse persuaseris, quando neque tu ex ea nota es hominum, quos Homerus ille heros tantopere se perosum confirmat, aliud in lingua promtum, aliud clausum habentes in pectore: neque vlla est causa, cur Politiano Callimachus palpum obtrudere postulet. Non fallis itaque me, sed ipse abs te magis falleris: atque adeò non falleris, vera sentis, vera de me prædicas. Gratulare igitur iudicio de nobis tuo, atque isthanc opinionem perpetuò obtine, dum amorem, dum beneuolentiam obtineas: quin lauda me quoq; vt cœpisti, vt ego ille laudatus vir, laudari me cum Næuiano Hectore gaudeam. Fiam autem te laudatore vendibilis potius, quàm vænalis. Neque enim sum vnquam dominum mutaturus, quare quidquid mihi astruxeris, tibi accreuerit. Sum quippe in tuo ære, vnde et forsitan locellos isthinc vsq; ad me misisti, gratiq; sunt, scilicet quia festiui, quia tui. Sed gratias nõ ago, tute enim beneficiũ dando accepisti, nõ quia digno, sed quia tuo, imò

Cic. Vendibilis. Vænalis.

imò tibi (amicus enim alter ipse est) atque ob id digno, hoc est, Callimacho ipsi dedisti. Vale.

CALLIMACHVS ANG. POLIT. S. D.

EA quæ mihi obijcis in principio litterarum tuarũ, adeò subinde argutè purgas, & eleganter, vt respondendi facultatem simul & causſam mihi interceperis, planéque indicaueris id, quod prioribus literis meis assseueraui, diuinum ingenium tuum omnia posse. Itaque omissis illis, quæ neque melius, neq; subtilius dici pro me possunt, quàm dicta sint à te, affirmo amicè, sed & verè (neque enim illud, nisi & hoc) quòd nisi iampridẽ mihi propè vnicus visus esses, cuius carmen vtile dulci commisceat, nunc certè volentem adduxisset me in eam sententiam. Rusticus tuus sanè vrbanissimus, doctrináque, & elegantia plenus, & qui verè ex fumo clarissimam lucem efferat, atque ob id eo titulo indignissimus. Vidi, & legenti placuere multa scriptorum nostri temporis, sed Rusticum hunc non satis est vidisse semel, iuuat vsq; morari, & conferre pedem: nihilq; in eo non summè placet, nisi quod desinit, cùm tamen desit nihil, vt tam multa nemo alter, quàm tu afferre potuerit pro materia. Habeo itaque tibi gratias, quòd locellos meos tanti duxeris, non poterant vendi carius, cùm donare instituissem: voluisti, vt in ceteris omnibus, etiam liberalitate me superare, in qua hoc genere compensandi vinci & cupio, & patior. Vale, litterarum decus, & doctrinæ. Leopoli III. Kalend. Octob. M. XV D.

LVDOVICVS ODAXIVS
Angelo Politiano suo S. D.

NISI mihi de liberalissimis moribus, & humanissimo ingenio tuo constaret, hãc nuper ad te scribẽdi prouinciã non desumerẽ, potiusq; in antiquo silentio perste-

sterem. Mirũ enim tibi fortasse videbitur, cur ego tecũ exigua admodum, & quatuor horarũ spatio contracta familiaritate deuinctus, qui plurimas tribus abhinc annis ad te scribendi occasiones omiserim, quas vndequaque aucupari debueram, nunc ad te potissimum scribere voluerim: meámque (vt opinor) temeritatẽ incusabis, quòd nunc scribam, vel negligentiam, quòd antehac non scripserim. Ceterùm quia non tam ex aliorũ sermone, quàm ex mea opinione mihi persuasi, te eum esse qui omnes tibi, ac virtuti tuæ deditos nullo vnquam tempore reijceres, ea propter has nunc ad te litterulas amoris dunta-xat, atq; obseruãtiæ in te meæ testes esse volui, quas ob subitã oportunitatem cuiusdã isthuc proficiscentis exaraui. Quanquàm igitur me prorsus ab omni vel ignauia, vel rusticitate præteriti silentij non excuso, spero tamẽ fore, vt reliquum meum erga te studium boni consulas. Nam præter hanc scribendi diligentiam, qua ego iampridem initam Patauij familiaritatem confirmare debui, nullum à me cùm beneuoli, tum obseruantis amici officium prætermissum puto. Siquidem à superioribus annis, quo primùm tempore tua mihi vel doctrina, vel humanitas innotuit, fui semper honorum, ac dignitatis tuæ studiosissimus, ac sæpissimè cùm apud alios eruditissimos viros Venetijs, & Patauij, tum hîc apud principes meos de te sum honorificẽtissimè locutus, effeciq; (vt opinor) præconio meo, vt claritati tuæ maius quippiam splendoris adderetur. Quo fit, vt non dubitem me abs te in eorum amicorum numero collocari posse, qui (vt Isocrates tuus asserit) non tam præsentes amicos venerantur, quàm absentes etiam amplectuntur. Principes sanè mei quibus cùm de te frequentissimum sermonem habui, de moribus, atque eruditione tua optimè, ac magnificè sentiunt.

Quid

Quid ita? quia ego in eam opinionem adductus sum, vt existimem eum te fore, qui litterarum studiosis emolumentum, tibi verò gloriam immortalẽ sis allaturus. Cuius rei periculum feciſſes, ſi vnà cum præſtantiſſimo diſcipulo tuo Roma diſcedens ſuperioribus diebus, Vrbinum ex condicto veniſſes: expectatus enim, & plusquàm dici poſſit, deſideratus veniſſes. Quòd ſi me nudiuſtertius audire potuiſſes de te verba facientem vnà cum Nino Bononienſi ſedecimuiro, homine mea quidem opinione plurimi faciendo, ſi nobilitatem, ſi diuitias, ſi liberalitatem morum, ſi litteraturam inſpicias, profectò intellexiſſes ea præterquàm ab amantiſſimo homine dici, aut excogitari non potuiſſe. In eam enim confabulationem veneramus, vt de viris hoc tempore doctiſſimis loqueremur. In quibus facile tu principatum obtinere viſus es. Nec me amor, aut adulandi ſtudium fallit, à quo ſemper tanquã intestino morbo abhorrui. Sed quorſum hæc tam multa de officio erga te meo? Nempe vt intelligas me tibi eſſe, ac fore deditiſſimum, etſi magno montium, ac regionum interuallo ſecludamur, teq; habere neminem, à quo maiori vel beneuolentia, vel obſeruantia foueaſ. Quòd ſi vlla vnquam mihi occaſio euenerit, vt quapiã in re tibi morem gerere poſſim, id verò in primis mihi iucũdiſſimum erit. Quam quidem occaſionem abs te actutum præueniri cupio, ne me in pollicendo, quàm in præſtando liberaliorem autumes. Demetrium verò virum eruditiſſimum, Petrumq; in primis diſcipulum tuum elegantiſſimæ, atque ampliſſimæ ſpei adoleſcentem nomine meo ſaluos facito: cui librum ex Plutarcho traductum, vnum ex multis ineptiarum mearum monumentis, dedicaui multos iã mẽſes: miſiſſemq; hactenus, ſi dignũ putaſſem, qui in manus veſtras eruditiſſimas peruenirẽt: mit-

tetur

tetur tamen clementia vestra potius allectus, quàm iudicio deterritus. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Ludouico Odaxio suo S. D.

DEPREHENDERVNT me in actu litteræ tuæ, ideoq; lectas paulum in præsens sepositi, diligentius deinperotium recogniturus, ad easq; (vt par erat) cùm primùm possem responsurus. Id si serius, quàm aut tu pateris, aut ego voluissem, contingit: est tamen humanitatis tuæ quidquid hoc est, quod facimus, boni consulere. Neque enim tam opellam aliquam alter ab altero, quàm ipsum animum requirimus. Neque enim continuò parum amat, qui parum officiosus est. Quare ne illud quidem in epistola tua valde probo, quòd te tam scrupulosè excusas, cur aut antea nihil ad me scripseris, aut nunc demum scripseris. Si enim amamus ex animo inter nos, sicuti certè amamus, quidquid alteri commodat, profectò vtrique commodat. Quare neque dissoluere, sed nec lassare voluntates nostras, quasi nodo Herculaneo cohærenteis, aut silentium posit, aut vlla officij, præsertim non necessarij intermissio. Quò autem amicis ista litterarum vicissitudo? cùm ad absenteis tantũ mittentur: amor autem verus etiã absenteis præsenteis faciat, nisi si vel ipsis testantur, vel alijs ostentant mutuam voluntatem. Sed neque testibus eget amor sincerus, quippe oculeus totus, ac lynceüs, & qui Momi quoque iudicium de posito humani corculi despuat, neque se populo iactat, cùm sint amici κατὰ ἐπίκουρον satis magnum theatrum alter alteri. Quin istam quoque, pene dicam, superstitiosam probationem amoris in me tui totam tibi remitto. Est enim mihi, est, est ad manum semper amicitiæ examen. Est & Hecatonis amatorium, quo te

secundũ Epicurũ.

vel

vel ingratis ad æmãdum compellam. Sed nec te monebo, vt principibus me tuis insinues, neque inuicem monere me patiar, vt patronis te meis adiungam. Quoquò enim tu irrepseris, ego sequar: vbiubi ego me adglutinauero, inde scilicet tu pendebis. Vt enim militem, custodemque eadem catena, ita par legitimum amicorum vna tenet copula. Plutarchum Latinè iam per te loquentẽ ego, atq; adolescens meus audi expectamus, minimè quidem dubitantes, quin sit absolutissimus futurus, vel ob id certè, vt alicui ex veteribus Græcis τὰ ἀνάλογα referas, quãdo ita Græcè ab eis didicisti, vt nouos docere iam omneis possis, & quod dicitur ἀντιπελαργᾷν. Vale.

Docendi præmia. Mutuam officij vicem repẽdere, ciconiarum instar.

LVDOVICVS ODAXIVS
Angelo Politiano suo S. D.

PLVTARCHI libellus ad te venit, qui si vllam potius elegantiam, quàm beneuolentiam profiteretur, erubesceret profectò, nec ad exactissimæ eruditionis officinam sese, nisi verecũdè, conferret. Nunc autem lætus, & securus accedit, humanitate tua magis, quàm vllo ornamento suo fretus. Proinde meretur, vt eum ad te proficiscentem benignè suscipias, illique primariam amoris operam sedulò impertiaris. Siquidem ego illum, quem alioqui friuolum, abiectum, & vile munus existimarem, non indignum tamen putaui, qui ad exhibendum studij, atque obseruantiæ in vos meæ pignus aduenirem. Vtcunque erit, & quanticunque erit, in bonam accipias partem rogamus, obsecramusque. Nudiustertius ab Hermolao Barbaro, & Petro Contareno, qui duo vel nobilissimi, vel ornatissimi, vel eruditissimi viri sunt, Venetijs mihi litteræ venerunt, in quibus admoneor, vt si vnquam ad te scripturus sum, eorum te nomine salutem esse iubeam. Memini me autumno superiore, cùm

Venetijs essem vnà cum his, de te perinde ac doctissimo homine sermonem habuisse. Illi autem se familiaritatem tuam inijsse asserebant, cùm triennio, aut quadriennio proximo visendæ ciuitatis gratia eò concessisses. Digni homines sunt, qui à te quoq; diligantur. Vale igitur, & me ama. Igubij v. Kalen. Iulias. M. CCCCLXXXV.

ANGELVS POLITIANVS
Ludouico Odaxio suo S. D.

PLVTARCHI lepidum nouum libellum, quem tu scilicet Latinè interpretatus adolescenti meo nuncupasti, vidi, cepi, legi, & quidem simul omnia adeò cupidè, vt prius penè ad calcem præ studio peruenisse, quàm ex carceribus promouisse me senserim. Illex mihi fuit statim suauis odor quidam verborum tuorum planè ambrosius: tum sententiarum velut sapor quidam austerus, & dulcis, non secus illecebris orationis tuæ, quàm myrothecij condimentis imbutus, ita (quod dicitur) palatum irritauit, vt quasi helluo aliquis, vix commansas epulas has tam lautas, tam opiparas deuorauerim. Et sum profectò miratus sic Latinè Plutarchum loqui didicisse iam mortuum, cui viuenti quondam (sic enim scribit ipse) adeò sermo Romanus repugnabat. Videri enim potest non tam obijsse, quo die obijt, quàm secessisse ad studium Romanæ linguæ, vt qui Græcorum, Latinorumq; vitas illustrium hominum inter se contulerit, cum quo ipse se conferat, non inueniat. Nam sese conferre sibi in vtriusque orationis facultate certè non ausit, quia scilicet in nostra præponderat. Quòd autem princeps iste tuus, atque adeò noster (noster enim est profectò, qui litterarum studiosus est) quòd, inquam, bonas artes complectitur, atque ad omneis parteis bene audiendi se comparat, parentisque sui absolutissimi hominis vestigijs

stigijs insistit, dici non potest vt gaudeam, vt exultem, atque triumphem, vt tibi quoque gratuler mi Ludouice. Duos mihi viros tulisse ætas nostra videbatur, qui rem litterariam, non quidem cunctando, vt ille verrucosus, sed multa agendo potius restituerent, Federicum Vrbinatem principem olim tuum, & Laurentium Medicem patronum semper meum, vtinámque semper. Hi duo (ni fallor) ausi in tantis sæculi huius tenebris lucem sperare, quasiq; contra torrentem pessimorum morum brachia dirigere: ergo & librorum pulcerrimam supellectilem sibi comparárunt, & doctos iuuerunt, & ipsi studia tractarunt. Nam vt de principe tuo taceam, de quo longiore subsellio agendum puto, dicam autem de Laurentio meo, caue putes quenquam esse ex nostro (vt sic dixerim) seminio, hoc est, ex ijs qui omnem ætatem in litteris consumserunt, cui cedat hic vel acumine in disputando, vel prudentia in iudicando, vel in explicando quæ sentiat, facilitate, copia, varietate, gratia. Acer illi sermo, & grauis, & cùm res postulat, salibus scatens, sed ex illo mari collectis, in quo Venus est orta: exempla, & historiam veterem sic habet ad manum, vt eis perinde vti semper atque suis stipatoribus videatur: sic vt ingenium habere innumerato, & esse quasi promum, condum (vt Plautino vtar verbo) totius antiquitatis facilè credas. Extincto igitur ducè illo tuo, cùm viderem nostras iam artes vnica spe niti fateor, vereri cœpi, vnius vt hominis vires tanto perferendo oneri pares esse possent. Quare cùm ostendis reciduam illam virtutem Federici resurgere in filio, ijsdemq; adolescentem artibus, quibus olim clarissimum patrē, delectari, reddidisti mihi quidē animū, atq; aquā (quod dicitur) aspersisti. Quare gaude tuo tanto bono, gaude tuo

Fabius Max.

Lau. Medicem laudat.

Sales Venerei.

labore,& diligẽtia,& (quod facis) perge protinus exercere principem nostrũ in stadio Musarum. Assuescat iam nũc à tenero amare litteras, fouere litteratos, complecti, & colere. Scis autem messem plerunque respondere sementi, tibique potissimum primitias frugum deberi ab hoc agro: quippe (vt ille inquit) Morum quos fecit præmia doctor habet. Sed & Petrus nunc studijs aeriter incumbit, & humanitati. Habet indolem paternam, habet ingenium, ludit & ipse nunc versiculis, nunc soluta oratione, & libera. Græcis plurimum delectatur. In summa, dignus qui sit principi tuo carus, quia similis. Similis autem, qua ratione parua magnis componuntur. Is nunc scribente hanc epistolam me, alteram seorsum commentatur epistolam. Quæ cuicuimodi erit, etiamsi minus aptè exierit, mittetur tamen ad te, vt ipsius ingenioli degustationem velut aliquam accipias. Amat autem plurimùm te de munere hoc, & cupit sanè occasionem sibi aliquam dari, qua gratiam reponat. Si ad Hermolaum, Petrúmque Contarenum Venetos rescripseris, velim vtrique agas meo nomine gratias, vtrique me cõmendes non vulgariter. Ad superiores tuas literas nescio an responsum acceperis nostrum, cupio significes, vt in ratione lati, atque accepti possim tecum paria facere. Vale.

MARCVS ANTONIVS SABELLICVS
Angelo Politiano suo S. D.

ERAM ego aliunde nostram auspicaturus amicitiã, ni subitus Atlantis cõterranei tui hinc digressus nostrum in ea re consilium præuertisset. Fuit is annũ, & amplius Venetijs, ac quandiu fuit, & domi, & foris etiam frequens mecum esse persecuerauit. Nullius vnquam consuetudine sum magis delectatus. Siquidem præter morũ

elegan-

elegantiam, singularémque modestiam, patrio sermone, Tuscáque illa sua vrbanitate breui consecutus est, vt eo vno nemo esset mihi iucundior, nemo in hac vrbe gratior. Omnia, præter tempus, secunda habui in illius amicitia fruenda. Etenim tunc potißimùm ei visum est hinc abire, cùm maximè in sui erexißet admirationem. Sed in eo visus est mihi omne vetustum amicitiæ exemplum æquare, quòd in tam tumultuario digressu, sine meis ad te litteris venire identidem recusauit, ratus certißimum se nostræ futuræ amicitiæ pignus secum in patriam deferre, si apud te virum clarißimum, cui quàm clarißimus esse cupit, ipsius mores, & studia cõmendarentur: quasi ita velit euenire, vt cùm vterque nostrum de ipsius moribus idem sentire cœperit, non infirmus ad amicitiam gradus (vt Crispo placet) factus videatur: sed rectè ille. Nos verò scribendi consuetudinem, maioribusque officijs illam ijs modicis principijs ortam, locupletiorem (vt spero) in dies faciemus. Nunc Atlantem ipsum tuæ dignitatis studioßißimum, maiorem in modum commendarem, nißi vrbanißimus poëta moneret, peccare eum, qui suos putet cuiquam commendandos. Gratulor igitur (quod superest) tibi lepidißimi adolescentis restitutam consuetudinem, quam tantißper etiam inuidere pergam, donec in vtriusque complexus venero. Vale Tusci nominis decus, & Marcum Antonium iam hinc amare incipe, qui te ob tuas amplißimas virtutes amat, colit, obseruat. Venetijs, Idibus Iulijs. M. CCCCLXXXVIII.

ANGELVS POLITIANVS
Marco Antonio Sabellico S. P. D.

SOLEBAT Atlas quondam suo mihi nomine redire tã gratus, vt recepto contentus amico nullum vltra offi-

cium desiderarem. Nunc autem tuarum nomine litterarum, quas fideliter reddidit, tam mihi iucundus rediit, vt eius penè præsentiam non requirerem, atque haberet Atlas quippiam secum, quod planè plus à me, q̃ Atlas expeteretur. Nunc idem istuc reuertitur cum litteris meis, quas tibi arbitror fore gratas, non tam suo, quàm tabellarij nomine. Noram equidem antea quoque quantum ingenio, & litteratura, quantum etiam stylo facundiáque polleres. De humanitate nihil sanè adhuc inaudieram. sed eam tua mihi nunc epistola delíniauit, Atlas verò penicillo, & coloribus expreßit. Aucupabar sanè iampridem occasionem quampiam ineundæ abs te gratiæ, cùm tu scilicet hoc agentem præueniſti, non ob id humanior modò quòd prior, sed quòd minore quoque proposito præmio. Quare danda mihi opera est, vt quẽadmodum ineunda tecum amicitia posterioris tuli, sic eadem tuenda, colẽdaq; prioris feram. Vale VI. Kalend. Septemb. M. CCCCXCVIII.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI Laurentio Veneto suo S. D.

EN ad te reuertitur Phædrus, vtriusq; nostrũ homo studioſißimus: cui tu scilicet aliquot ab hinc menses litteras ad me dediſti, plenas amoris erga me, rectas, elegãteis, quales q; deniq; à te vno poterant proficiſci. Respõdebo ad eas quã breuißime. Laudas me Ioannes quaſi vnum ex numero eruditißimorum, & tui ſimilium. Laudas, inquam, tu me vnus omnium quos viderim, quos audierim longè eruditißimus. Ego igitur, etſi memet haud ignoro, tamen fero æquißimè, te aut ipſum decipi amore in nos nimio, aut alios item velle deceptos. Non est autẽ quod paria conẽr referre. Nam cùm tu mihi vix leuem

vm-

ombram assequenti doctrinæ, humanitatisq; tuæ, tantũ tanẽ tribueris laudum, quantæ demũ tibi iure debeantur, si coner ipse inuicem laudes regerere, restituenda erũt, & resignãda tibi illa ipsa verba, quæ abs te accepera, vsuraria: vt iure rideatur egestatis nostræ sinistra quædã ambitio, illi ipsi diuitias ostentans, vnde scilicet emendicauerit. Libellos tuos, atq; item quos ex bibliotheca ista codices habemus, remittemus cùm primũ istuc orator noster Florentinus se contulerit. Pausaniam verò expectamus, cùm tibi erit commodũ. Vale. Fæsulis. Idibus Octobribus. M. CCCC XCVI.

LVCIVS PHOSPHORVS PONTIFEX Signinus Alexandro Cortesio S. D.

De Angelo Politiano iudicium.

POLITIANAS epistolas legi Alexander accuratissimè, summáque cũ voluptate, quorũ vtrũque propè necessarium fuit, & quòd ad hominem amicissimum, & quòd ab homine eruditissimo erant scriptæ. Video os probum, iam interpellas, & obstrepis: apage tu, vis scire quid sentiam? vide quid agas, an ego iudicare possim? ne vltra crepidas sutor, vt in Græco adagio est. Pergis vrgere? respondebo, ne superbus videar. Memento tamen me cum homine familiari tanquam mecum loqui, scio inuidiosum rem esse huiusmodi iudicia, etiam recta, nedum mea qualiacunque sunt. Accipe igitur in aurem velut μυστικὸν, caue enuncies. Ego Politianum nostrum mi Alexander, summopere amo, & admiror, atque ei omnia summa tribuo. Et vt liberè quod sentio dicam, non magis istum damnandum censeo, quàm illos laudandos, qui quadringentis abhinc annis papyros, & chartas velut maculis prætextas, et encausticas tabellas inusserunt potius, quàm vlla egregia forma, atque imagine illustrarunt. præter vnum aut

Arcana.

Laur. Valla. Domitius Calderinus.

alterum Laurentium Vallam, me puero, et nuper Domitium Calderinum: quos quidem non laudare, ac admirari nefas, & planè impium duco. Ceteros autem (vt apud Ciceronẽ inquit vel Antonius, vel Crassus) nõ dubitabo inertiæ, & prorsus inscitiæ condemnare: tametsi illos quoque excusatos habeo. Sum enim æquus iudex: siquidem id, quod poterant, præstiterunt. Neque enim omnes Catones, aut Scipiones, aut Lælij (vt ait Marcus Tullius) possumus esse: quamuis nonnulli (vt ait idem) siue felicitate quadam, siue bonitate naturæ, rectam vitæ secuti sunt viam: præclarè tamen actum cum eis existimo, qui id quoquomodo tentauerunt, etiamsi non sunt consecuti. Adde quòd nõ tam ipsis, quàm temporibus acceptum est referendum, bonarum litterarum, & magistrorum penuria. Quis enim ignorat, iam inde ab diruta vrbe, amisso imperio, Italia à barbaris occupata. Romanam eloquentiam, atque adeò omnem litteraturam, & omnes artes perijsse? Sic Cæsari tuo placuit, qui hæc omnia pessum, & planè perditum ijt. Sed emersit tandem aliquando ingenium, & velut ex cineribus, ac carbonibus rediuiuus ignis effulsit, vnde hi tanquam lumina nobis illuxerunt. Quod cùm ita sit, dulcissime Alexander, gratulemur sæculo nostro, & cò magis, quòd iam istud par

αἴνιγμα. impar factum est. αἴνιγμα tibi propono, ego istos pares, impares reddo. Non intelligis? quin Apollinem, quin vatem Cumæam, quin Ammonẽ, quin Hetruscos tuos, quin quidquid est ariolorum consulis? At non est opus. Ecce tibi solutum ænigma, Laurentio Vallæ, Domitio Calderino, Angelum Politianum adijcio, & quasi triumuiratum creo. Ego sic sentio, sic censeo, sic iudico, in aurem tuam insusurrans. Sed libet exclamare, sic inquam pro tribunali sententiam fero, et omnibus bonis doctisq; viris,

viris, atque adeò toto orbe terrarũ audiente proclamo: Thraces Sauromatæ, Getæ, Britanni possum ostendere literas, venite, vt ait lepidißimꝰ poëta. Habes meũ, Alexãder, de Politiano iudicium: neque hoc adulationi datum quempiã arbitrari velim, quippe qui alteros iã mortuos, & sensibus orbatos conciliare mihi nequeo: alterũ nondum noui viuũ, quanquàm fateor me id vehementer optare, & talia iacere fundamenta amicitiæ, vt ea nulla vnquã temporũ iniuria posßit abolere. Quod vt facias, ô noster Alexander, maiorem in modum à te peto, vt insinuatione tua me voti compotem facias, & principi litterarum me concilies, ac planè dedas. Ipsum verò Politianum (audin' tu vir doctißime? tecum mihi res est) oratum velim, vt quod ab alijs beneficij loco accipit, à me rogatus non aspernetur, vt in amore, ac beneuolentia respondeat, simul vt viro clarißimo, & ciui primario Laurentio Medici me commendatum reddat. Aliquot enim aguntur anni, ex quo tam magno amico & præpotenti me dicare summopere cupio, & in clientelam, ac voluntariam tradere seruitutem. Vale. III. Idus Mart. M. CCCCLXXXV.

ANGELVS POLITIANVS LVCIO Phosphoro pontifici Signino S. D.

MISIT ad me Alexander Cortesius, homo vtrique nostrũ amicißimus, epistolã quandã tuam ad ipsum scriptam. In qua tu mihi multa tribuens, cupere postremò affirmas per eum ipsum nobis, per me autem Laurentio Medici conciliari. Eam epistolam cùm legerem, dici nõ potest, quãtopere sim delectatus. Nam ita & verbis, et sententijs, et cõcinnitate erat absoluta, vt planè appareret Musis eã dictantibus fuisse exceptam. Cogita igitur tu quàm mihi nunc placeã, quãq; ipse me mirer, qui sim

Anhelãte ore. Musarum κατυγῷ σώματι laudatus. Sed tamen vereor, ne ita me tuæ istæ puellæ ornandum susceperint, vt Isocrates Busirin, Therſiten Libanius, Muſcam Lucianus, Fauorinus etiam quartanam febrim ad ingenij modò periclitandas vires, artemque oſtentandam laudauerunt. Sunt enim in fabulis totæ, ſunt in mendacijs atque præſtigijs, mihi tamen libet hoc loco verum locutas. Quis enim damnet ſua vota libenter? Quòd ſi in hoc erro, libenter (vt Cicero inquit) erro. Eſt enim idipſum lucro apponendum, quòd decipimur. Quippe voluptatem certè aliquam falſa quoque opinio nobis cõciliat. Scis Stratoclem illum oratorem deuictis prælio Athenienſibus, ſuámque fortunam ignorantibus, victoriam nunciaſſe, re autem poſtmodum ſic vt erat intellecta, ita indignantibus popularibus reſpondiſſe: Quî vobis ciues mei (inquit) iniurius fui, ſi bidui triſtitiam me auctore lucrifeciſtis? quare ego quidem falli me ſinam, & quod eſſe verum maximè cupio, verum eſſe facillimè patiar. De te autẽ (anoto ioco) ſic ſentio mi Phoſphore (malo enim te Phoſphorum homo in litteris agẽs, quàm vt vulgus reuerendum patrem appellare: hoc enim litterarũ, atq; humanitatis, illud nomen dignitatis eſt: nos autem ex litteris te, & humanitate, ſi pateris, magis quàm ex dignitate pendimus) ſed ita mi Phoſphore ſentio, te eſſe hominem plenum humanitatis. Humanitatẽ cùm dico, nõ magis φιλανθρωπίαν, quàm etiã παιδείαν intelligo: vtrũque enim Latinè quidẽ ſciẽtibus ſignificat. Itaque ne cornus quidem copiæ, aut virgulan diuinam pluris, quàm tuam amicitiã fecerim. Esq; tu iam nunc meo infixus cordi, et quidem trabali clauo: dabo q; operam, quantum quidem præſtare potero, ne tu auidius, quàm prudentius me tibi aſciuiſſe amicum videare: & quando longius abs te agi-

Stratocles.

Humanitas. φιλανθρωπία. Παιδεία.

tare

tare contingit, quàm vt subseruire vsibus tuis queam, fa uebo certè laudibus, omniq; (vt aiunt) pede in te hone= stando consistam. Epistolam certè ipsam tuam, non tam epistolam, quàm Venerium illud cingulum amoribus me= dicatum, nunquam à me amittam, quin potius quasi ima= ginem animi tui identidem contemplans, ita meum desi= derium consolabor. Ceterùm nunc demum intelligo quã= tum iacturæ fecerim, quòd te prius haud cognouerim, cùm tanta mihi te cognito voluptas arriserit. Nos ad Laurentium Medicem, qui nunc balneis dat operam, exemplum epistolæ tuæ mittemus, simul vt animum erga se tuum ex ea perpendat, simul vt nos ex tuo testimo= nio pluris aliquantò faciat, quàm fortasse facit: quam= uis multò etiam pluris faciat, quàm digni ipsi nobis vi= deamur. Vale.

LVCIVS PHOSPHORVS PONTIFEX Signinus Angelo Politiano suo S. D.

OFFICIOSE quidem, & amicè fecit Alexander, qui nescio quas litterulas meas ad te misit. Sed homi= nem certè nimium amantem mei fefellit id, quod amato= res fallit. Solent enim aliqui præ nimio amore zeloty= pia laborare: sic enim appellant quandam nimij amoris siue sedulitatem, siue suspicionem. Quod ideo accidit quoniam ea, quæ sibijpsis tantopere placent eadem om= nibus placere credunt, ac vix tutum hominum intuitum arbitrantur. Simile aliquid Alexander noster fecit, qui dum mea extollit, prædicat, amat, admiratur, eadem alij placere putat. Quod fortasse cum Tarentinis, & Con= sentinis, aut cum Lælio Decimo (vt ille inquit) opti= mè factum esset: sed cum Persio omnium doctissimo, hoc est, cum Politiano, vereor ne imprudens fuerit, & inconsideratum feliciter tamen cecidit, quãdo illæ meæ (vt

Zeloty= pia.

(vt scribis) puellæ pro vno amatore duos sortitæ sunt, & ego ex vsura (inquit Plinius) sortem feci. Vellem illas eadem non quidem fucatas, aut vnguentis deliutas tanquam ad mœchos, sed quasi ornatas matronas cum muliebri mundo, & dote ad viros iuisse. Nam quis aut repudiũ, aut certè repulsam non formidaret. Sed mehercule extra iocum, nec μιτραφοεικῶς Politiane non minus horrui, quàm lætatus sum, cùm illas litteras ad manus tuas peruenisse audiui. Me poti⁹ recta oratione, ac præparata, & comperendinata, ad te scripsisse oportuit, ac decuit, & ita amicitiam petere. Sed illas literas ad Alexandrum dedi, vt eo veluti delegato, & caduceatore vterer, cum quo tibi veterẽ amicitiam intercedere sciebam, & hospitalitatem. Tu pro tua sapientia, ac facilitate, si quid illic obiurgandum, aut parum aut te, aut me dignum offendisti, condonabis amori nostro, & nimiæ familiaritati. Est enim Alexander planè alter ego, & ego alter Alexander. Quòd si tu conditionẽ non reijcis, tertius accedes, & ne vnquam à triumuiratus magistratu discedas, quando proximis comitijs te triumuirũ litterarum creauimus, comitijs futuris te triumuirum amicitiarum creabimus. Sustulisti digitum, bene habet, non perhorrescam posthac. Nunc volo te aliquantulum vellicare. Cur tandiu nobis ignotus fuisti? Parum piè mi Politiane, & planè crudeliter feci sti. Nunc demum post tot annos ad nos venis? Me miserum, tam longo tempore Politiano caruisse? sine eius literis egisse? non scripsisse? non legisse? non recitasse? præsertim quando & Romæ fuisti, & ad multos istinc sæpe scripsisti. Sed quid ago? quasi verò ego quoque non eandẽ nauim conscenderim, & in eadem culpa sim, qui de te non sciscitarim. Herniceis meis refero acceptum. Nam postquã ijs sacris initia-

tus

tus fui, in illa saxa me conieci, vbi ne nomen quidem clarorum virorum audiebam, sed nec litteris vacabam, cum pecoribus, & glebis res gerebatur, tanta erat satietas, vel potius fastidium curiæ, & fori. Rursus nunc mutata voluntate, consilium nostrum totum est Ciceronianum, qui ad Ruffum scribens, Vrbem, inquit, mi Ruffe cole. & ex Sicilia reuersus statuit ab oculis ciuium non discedere. Sed quid dico Ciceronianum? imò Alexandrinũ. Alexander enim est, qui me retinere nunquam desistit. Hic fiunt homines, & vt est in quadam eius, Hic caput, hic sedes, hîc fortunarum alea. Quid quæris? vehementer his verbis sum incensus, et planè confirmatus. Quare, iucundissimè Politiane, demus operam vt tam diuturnũ temporis iacturam resarciamus, & tantò impensius recentem amicitiã colamus quãtò serius est cœpta. Ego tuas expecto singulis hebdomadibus per tabellarios, qui trapezitis Medicibus tuis rationes afferunt. Genus litterarum erit de non republica, quæ nulla est, nõ de imperio, quod iamdiu amisimus, quo dolore maximè crucior infelix, sed de philosophia, de bene, beatéq; viuendi ratione, de studijs artibusq; nostris præclarissimis, & de illorum felicissimorum temporum contẽplatione. Nam in his nihil est, quod pro magnitudine animi nostri spectare possimus, nisi forte te Samarobrinæ, et Batani delectãt. En quò discordia ciues perduxit miseros: An hoc ita fato datũ erat, & de nihilo nihilum? nollem potius vnquã factum: quamuis tanta nobis monumenta reliquerint illi viri, litterarum, rei militaris, artificiorum, ædificiorum, virtutum denique omnium, tamen nescio quomodo desiderium illud ferre non possumus, & fuisse felicem miserius est, quàm semper infelicem, & nunquam patrem, quàm orbum esse, & mori, quam non nasci. De ijs igitur

igitur velim ad me scribas accuratè, vt soles, ac elegãtiſſimè. Cum Laurentio naua mihi operam, per fortunas, Politiane, admiror iſtũ principem ciuitatis, & amo planè, vt cum sæpè cum Magno Pompeio comparare sim solitus, etsi feliciorẽ exitum & opto, & spero. Vale. Romæ, XII. Kalend. Maias. M. CCCC LXXXV.

ANGELVS POLITIANVS LVCIO Phosphoro pontifici Signino suo S. D.

NIHIL peccauit Alexander meus, qui mihi epistolam miserit, quæ mihi debebatur. Peccasset magis nulla expiandus victima, si meas mihi laudes inuidisset, quanquam non meæ illæ, sed tuæ potius laudes sunt, atque ob id etiam meæ, κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων, sed tu personam ex nobis mutuatus teipsum scilicet in scenam detulisti. Nam vt ego libenter hunc amicorum, ita tu iure illum litteratorum expleueris triumuiratum. Quòd autem conquereris parum scriptas diligenter eas fuisse litteras, aut me ludis, aut omnium es homo felicißimus, qui promas de summo, quod vix quispiam de imo pectore. Non est autem quòd aut ruri vrbem, aut rus in vrbe desideres, si ipse habitas tecum, si quocunque is, te sequeris, magnum tibi in quauis solitudine theatrum, magnam solitudinem in quouis theatro facturus. Officium porrò epistolarum, quod requiris, hac lege polliceor, vt tu inuicem pollicearis, illo etiam (cùm res tulerit) intermisso, nullam tamen amoris inter nos iacturam factum iri. Ita enim sum aliquando districtus, & occupatus, vt non liceat: ita tristis, & nauseabundus, vt non libeat scribere. Tu igitur (vt vetus est dictum) amici vitia noueris, non oderis. Vale.

Cõmunia enim amicorum.

LVCIVS PHOSPHORVS PONTIFEX Signinus Angelo Politiano suo S. D.

Vbi

VBI sunt isti, qui obloquuntur, & allatrant? en quò redacti sumus, ô Politiane, vt imperiti iudicent. Mihi Miscellanea tua, atque adeò quæcunque scribis, magnopere placent, garriant isti quid velint, quòd portenta verborum loquaris, ego te planè Latinum esse iudico. Nam illud ne inimici quidem negant te suprà quàm dici possit curiosissimum, ac diligentissimum esse, & omnes forulos excussisse: teq; doctrinæ quidem singularis hominem fatētur, eloquentiæ verò nullius, quasi possit aliquis eloquens esse, nisi idem sit doctus. Ridiculi æstimatores, & critici nostrorum temporum. Quid quòd & de Pico tuo, vel nostro potius, tot laudes, quot scribis, cùm audiunt stomachantur, & (si dijs placet) faceti esse volunt, afferentes illud Aesopeum, nihil reliqui alijs esse: quibus quid potest esse verius? Is enim vnus est, in quo natura omnia bona congessisse, & vbi omnes suas vires exercuisse videtur. Sed tu ridere debes. Volo tibi narrare quo erga illos adagio vtor. Videte, inquā, quid agatis boni viri, nam iste piscis paucorum hominū est, vt ille Scipioni dixisse fertur. Quod ita trāsfero: Politianus paucorum, id est, doctissimorum est, non turbæ litteratulorum, ac pædagogorum, & vulgi. Ergo omnes docti te vnū admirantur, & fatentur te omnes, qui sexcentis abhinc annis scripserunt, facilè superare, hoc est, te illes, non illos te, ne quis me reciprocis argumentis vti, aut amphibologicè loqui credat, & doctrinam, & eloquentiam in te esse coniunctas. Non enim quis non eloquēs dici debet, si suo quodāmodo vtitur stylo, cùm cōplura, & varia sint genera dicendi. Sed epistolam plicabo, quoniam festinat tabellarius: mox plura audies. Hæc scripsi tumultuariè, cùm in Pauli Cortesij domum diuertissem, qui est planè tuus, & omnem impetum aduersa-

riorum

riorum sustinet. Tuum erit scuto, & parma tela susci-
pere, & in eosdem retorquere, nisi mauis, vt suprà dixi,
irridere. Vale. Pridie Idus Februarias.

ANGELVS POLITIANVS LVCIO
Phosphoro pontifici Signino S. D.

IRASCERIS obtrectatoribus nostris eruditissime Phosphore, quòd in Miscellaneis portẽta me loqui verborum dicant, et vt hominem (quod ais) doctum fateantur, ita negent eloquentem. Tum quòd illud etiam crimi nentur, tantas me in vnum Picum laudes contulisse, vt alijs omnino nullas fecerim reliquas. Me verò ista, Phosphore, nihil mouent: neque enim vlla sermonum talium noua mî facies, inopináue surgit. Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi. quin ad ea ne responderem quidem, nisi te ita velle sentirẽ, cui negare nihil possum. Portenta igitur verborum quæ vocent isti, fateor ignoro: nisi si portenta credunt, quæ ipsi noua nunc primum vocabula vel audiunt, vel intelligunt. Nam ego nec verba vlla peperi cinctutis nõ exaudita Cethegis, nec vllos habeo, nisi receptissimos auctores. Non tamen ex eorum sum numero, qui cessare Latinam linguã magna ex parte patiuntur, dũ quisque illa reformidat, quæ vulgò hactenus ignorata sunt. Siquidem eò res redijt, vt ne magnorũ quidem auctorum linguã tutò loquamur, quoniã vulgò minus innotuerit. Itaque barbaris vti malumus, q̃ Romanis vocibus: et cùm siligineus domi sit panis, emendicato furfure magis vescimur. Quòd autem mihi eloquentiam sic adimunt, vt doctrinam concedãt, nõ modo equidem non succenseo, sed & gratias ago. Noli quæso amori erga me tuo nimis indulgere Phosphore, nec pa-
Marcus Varro. rum laudari putes, si Marci Varronis exemplo lauder, quẽ & ipsum veteres scientiæ multæ, nullius eloquẽtiæ esse

esse crediderunt. Ego sanè, mi Phosphore, nec eloquentiam mihi vindico, nec doctrinam agnosco. Si cui tamen in Miscellaneis etiam citra eloquentiam sciolus videor, bene habet, vici: nam isthuc ipsum quærebã. Quò enim eloquentia mihi in hoc opere non ad persuadendum, sed ad docendum parato? Quod autẽ de stylo scribis, vtiq; verum puto, non continuò peius esse, quod variet, cùm sit ipsius eloquentiæ non vultus, non color vnus. Quapropter nec adhuc quisquam suffragijs est omnibus habitus eloquens, siue quòd sibi quisq; præ ceteris placet, siue quòd alios alia dicendi forma plus capit. Demosthenem cogita, & Ciceronẽ, illius quibusdam sicca oratio, Demadi lucernam olere, Aeschini etiam (si dijs placet) barbara videbatur: hunc Caluus exanguem, & tritum, Brutus fractum, & elumbem, quidam ieiunum, atq; aridum: contrà alij tumentem, & inflatum, nec satis pressum, exultantemq; supra modum, & superfluentem: alij frigidum in iocis, alij parum antiquum, quidam etiam in dicendo viro molliorem, superstitiosumq;, & peregrinis quasi legibus nimis addictum putauerunt. Neq; verò hæc ideo refero, quò me putem cum talibus cõferendũ: non enim sic insanio Phosphore, sed vtendum magis nominibus fuit, vt stomacho isti tuo potius occurrerem. Nam quid ego de Pico Mirandula dicã? Hi sunt inuidiæ nimirum, Phosphore, mores. Sed viuat ille, viuat modò, nec eat alio deinceps, q̃ quo pede iã cœpit, etiã liuor ipse fatebitur non modò eum non supra modum, sed longè etiam infra modũ fuisse à nobis laudatum. Cuius tamen præconium non video quid aliorum titulis offecerit, quos in hoc ipso Miscellaneorum libro concelebramus. Reliquum est vt tibi agam, Phosphore, gratias, qui me hominẽ tenuissimæ fortunæ, neque multæ admodum lit-

Demosthenes. Cicero.

teraturæ, ne visum quidem tibi adhuc, ita diligas ipse et pontifex & doctissimus, vt etiam cõtentiones honoris, dignitatisq; meæ causſa suscipias. Sed & Picus debere se tibi plurimum sentit, salutemq; tibi, & Corteſio suo nomine iussit adscribi. Laurẽtius quoque Medices noster visus est epistola tua magnopere delectari, quẽ scito esse hominẽ tui studiosissimum: quod esse verum tum denique agnoſces, cùm periculum feceris. Vale. Florentiæ, pridie Kalend. Martias. M. CCCCLXXXXI.

ANGELVS POLITIANVS LVCIO
Phoſphoro pontifici Signino S. D.

ACCEPTA epistola tua, statim ad Laurentium cucurri. Expoſui quid optares. grata voluntas, gratus illi tuus animus. Denique pro munere accepit, quod pro munere poscis. Quam ad eum dediſti epistolam, nondum mihi quidem legendam dedit: sed tamen vt & doctam laudauit, & amoris erga se pleniſsimam, ac si per occupationes liceat, reſponſurum se tibi vel hodie promisit. Vale. Florentiæ, pridie Idus Maias. M. CCCC LXXXXI.

ANGELVS POLIT. CASSANDRAE
fideli Venetæ puellæ doctiſsimæ S. D.

O DECVS Italiæ virgo, quas dicere grates, quàsue referre parem, quòd etiam honore me tuarum litterarũ nõ dedignaris? mira profectò fides, tales proficiſci à femina (quid autem à femina dico?) imò verò à puella, & virgine potuiſſe. Non igitur iã Muſas, non Sibyllas, nõ Pythias obijciãt vetuſta nobis ſæcula, nõ ſuas Pythagorei philoſophantes feminas, non Diotimã Socratici, nec Aſpaſiã, ſed nec poëtrias illas Græca iactent monimenta, Teleſillã, Corinnam, Sappho, Anyten, Erinnem, Praxillam, Cleobulinam, & ceteras: credamúsque facilè Romanis

Mulieres litteris pollentes.

manis iam Lælij, & Hortensij filias, & Corneliã Gracchorum matrem fuisse matronas quantumlibet eloquentissimas. Scimus hoc profectò, scimus, nec eum sexum fuisse à natura tarditatis aut hebetudinis damnatum. Sed enim veterum sæculorum talis ista penè publica laus fuit, vt in quibus etiam vilissimos seruos ad extremum peruenisse quondam vel litterarum, vel philosophiæ fastigium reperiamus. At verò ætate nostra, qua pauci quoque virorum caput altius in litteris extulerunt, vnicam te tamen existere puellam, quæ pro lana librum, pro fuso calamum, stylũ pro acu tractes, & quæ non cutem ceruſſa, sed atramento papyrum linas. Id verò nõ magis vsitatum, nec minus rarum, aut nouũ, quàm si de glacie media nascantur violæ, si de niuibus rosæ, si de pruinis lilia. Quòd si conatus ipse pro miraculo iam cernitur, quid de profectu studiorum tanto dicemus: Scribis epistolas Cassandra subtiles, acutas, elegantes, Latinas, & quanquam puellari quadam gratia, virginali quadam simplicitate dulcissimas, tamen etiam mirè graues, & cordatas. Orationem quoque tuam legimus, eruditam, locupletem, sonorã, illustrem, plenámque lætæ indolis. Sed nec extemporalem tibi deesse facultatem accepimus, quæ magnos etiam oratores aliquando destituit. Iam verò in dialecticis implicare nodos inenodabiles, explicare ab alijs nunquam solutos, nunquam soluendos diceris. Philosophiam verò sic tenes, vt & defendas acriter quæstiones propositas, & impugnes vehementer, audèsque viris concurrere virgo, sic scilicet in doctrinarum stadio pulcerrimo, vt non sexus animo, non animus pudori, non ingenio pudor officiat. Et cùm te laudibus nemo non attollat, summittis ipsam te tamen, & temperas, nec minus ad hu-

mum modestè cunctorum de te opinionem, quàm verecundè virgineos oculos, reuerenterq; deijcis. O qui me igitur statim sistat istic, vt faciem virgo tuam castissimã contempler, vt habitum, cultum, gestúmque mirer, vt dictata, instillatáque tibi à Musis tuis verba quasi sitientibus auribus perbibam: denique vt afflatu, instinctuq; tuo consummatissimus repentè poëta euadam, nec me carminibus vincant aut Thracius Orpheus, aut Linus: huic mater quamuis, atque huic pater adsit, Orphi Calliopea, Lino formosus Apollo. Mirari equidem antehac Ioannem Picum Mirandulã solebam, quo nec pulcrior alter mortalium, nec in omnibus (arbitror) doctrinis excellentior. Ecce nunc etiam te Cassandra post illum protinus cœpi, fortasse iam cum illo quoque venerari. Tibi verò tanta incepta Deus Optimus Maximus secundet: & cùm receſseris à parẽtibus, is auctor contingat, & consors, qui sit ista virtute non indignus: vt quæ nunc propemodũ sua sponte naturalis ingenij flamma semel emicuit, ita crebris deinceps aut adiuta flatibus, aut enutrita fomitibus effulgeat, vt à nostrorũ hominũ præcordijs, animoq; nox omnis, geluq; penitus & languoris in litteris, & inscitiæ discutiatur. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano S. D.

PERGENS nuper ex vitæ instituto ad scribarũ Mediolanensiũ decuriam, complures adolescentes, qui ibi versantur, remisso aliquantisper principis negotio, certatim intentos offendi ad legendũ dispertitũ, quẽ in manibus habebant inter se librum. Roganti quidnã operis noui emersisset, Miscellanea, inquiunt, Politiani. Cõscendo, ac inter eos sedeo, tum vnà incipio auidissimè legere. Quippe delector ingenijs ætatis nostræ, quæ nõ solũ malla-

manca nõ sit, sed iam planè in Romanæ antiquitatis ve-
stigia abeat. Verùm cùm parum temporis impendere li-
ceret, ex bibliopolæ taberna codicem requiro. Affertur
à puero meo statim cùm domi essem, eũ intentius euoluo
in primis verbis, imò in ipsa inscriptione, quòd in Lau-
rentij Medicis nomine liber apparuerit, animus valde
cœpit delectari. Tum ipsa præfatio multã litteris spem
ostendere, specimenq; quoddam pulcerrimũ præ se fer-
re visa est. Capita subinde libri excurro, vbique summa
eruditio, vbique fastidij expultrix blanditur varietas.
Et (quod plurimũ ingenij ac laboris postulauit) tot tan-
torumque auctorum testimonio res agitur, vt quicunq;
suggillare aliquid ex istis lucubrationibus tuis tentaue-
rit, canis latrator haberi possit, non demorsor. Nollem
cum Domitio tanquàm cũ larua (quando olim inter mor-
tales desijt esse) pedem te sæpius conferre. Iuuit enim,
quantum potuit, rem litterariam, inter primos situm, &
puluerem veteribus excutere studuit: politiora in dies
Politiani æmulatione, vel exemplo præsturus, si vixis-
set. Non tamen aliter eum abs te peti arbitror, quàm pri-
mi pili hominem. Mors illum (vt scis) immatura præri-
puit, emendaturum fortasse, si quid inconsideratius exci-
derat. Satius est (vt tu inquis) candidatum, vt autẽ ego,
philosophiæ virum consularem aliorũ errata notatis lo-
cis coarguere, nomini autem parcere. Verùm in hanc ip-
sam sententiam ambiguus tendo, quia pugnis aërem cre-
ditur verberare, aut cõmentitia nugamenta sectari, ex-
tantem qui nullum habet, in quem suscepta videatur
oratio. In hac tamen opinionis ambiguitate vacillan-
tem, certum in ea parte me esse sentio, qui prodesse vo-
luerunt, diem capitis illis dicendum non esse. Fuit in-
ter nos Domitius, & monimenta reliquit famæ non

pœnitendæ. Te æternitas manet, sincipitio capillo eam prehendisti. Cupio, & pro humano iure abs te peto, vt ùm in ijs Miscellaneis, quæ edidisti, centurionem te es- e velueris, iam in reliquo opere, quod inter manus (vt arbitror) multiplex & eruditum est, tribunum, aut planè positis castris legatum te facias, & imperato- rem. Nam quibus centum capita placuerint, ij longè maiore numero delectabuntur. Idib. Nouemb. M. CCCC LXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS

Ad Laudatoriam Iacobo Antiquario suo S. D.

VTINAM quas in me confers epistola tua laudes, ita veras esse, nec ab humanitate magis, quàm à iudicio profectas, alijs, mihiq; persuaderes, vt ego statim de hac ipsa epistola tua, iudicium semper grauissimum Laurentij Medicis agnoui. Nam cùm tibi ille summus hominum in omni vsu, plurimùm sermonibus tuis deferat, tum se videre ait neminem, cui tu litteris, probitate, prudentiáque concedas. Crederem verò facilè, quæ sic ex animo, quasiq; dicam vero vultu de me scribis, ac proprijs omnino laudibus fauerè, nisi testimonio isti, præter cō- scientiam meam, fama quoque ipsa publicè in omnes tuæ humanitatis obstreperet. Quare totam equidem sic ac- cipio laudationem, non vt illam meis meritis, sed vt tuis moribus assignem, tantò plus tibi me debere sentiens, quantò ipse minus mihi debebam. Quod autem ad Mi- scellanea nostra attinet, aut ego fallor, aut nihil in eis æquè fructuosum, quàm libertas illa, & simplicitas in- cauta fortasse, sed & ingenua tamen, ac si minus à pru- dentia, certè à caritate profecta cōmunium studiorum, quæ prima videlicet in huius sæculi scriptoribus desi- deratur. Nam quòd me pedem conferre cum Domitio nol-

nolles, equidem quid spectes intelligo, nec ego non aliquid istiusmodi iam tum videbam, cùm personam mihi illam censoris odiosissimam imponebã, diligentiamq; penè improbam, iactationi verborum, cãtilenæq; cuilibet expositam, neglectis cautionibus affectans, ad sarcienda litterarum damna, solertiam omnem pro virili parte dirigebam. Semper autem sum veritus, quã denique in partem meum tale consilium, non dico ab obtrectatoribus raperetur, sed à prudentissimis etiam hominibus, ijsdẽq; cautissimis acciperetur. Quanquàm autem omnino vt conuenire mihi tecum, id est, cum viro amicissimo, doctissimóque necesse est: tamen quia suo cuique corde quædam peruidentur, dicam ad ea nonnihil, quæ mihi in hac epistolæ tuæ parte sapiẽter obijcis, & amicè. Cum mortuo negas, quasi cũ larua, decertandum. Mihi verò contrà videri solet: etenim quod aduersus mortuos pronuntiamus, pro vero accipi tam solet, quàm debet: vt item quod aduersus viuentes plerunque odij, vel inuidiæ suspicione laborat. At iuuit ille rem litterariam. quis neget? An non isto nomine sic à me laudatur, vt à nemine magis, & quidem in eadẽ ipsa pagina, qua & reprehenditur? Sed erat inquies, emendaturus ea, si diutius vixisset. Quî scià verò isthuc? An vsquequaque de ingeniorum profectu bene sperare est? aut non huius ipsius postrema quæque mendosiora? Quid? quòd futurus in dies ambitu honorum minus otiosus, opinione quoque sui magis inflatus? Sed fac emendaturum fuisse. Num igitur ob id inter scriptores omneis, vnus à censoria virgula. Domitius asseretur? vnus erit iste (si dijs placet) gallinæ filius albæ? Iam cur dissimulari quoque nomen oporteat, cuius in auctoritate venenum, si quod est ipsius commentariorum, velut anguis in herba delite-

Cũ mortuis an decertandũ.

In Domitiũ Calderinum.

ſcat? Ego verò ſic Domitiũ ſtudioſis, quaſi foueã viatoribus oſtendo. Nec autem obliuiſci videor humanitatis, quin potius (vt iã non ſperare modò, ſed etiam exploratè videor iudicare poſſe) melius aliquantò de vita merebor cenſura iſta mea, quàm forſan alius indulgentia. Adde quòd illuſtribus factum id quoque exẽplis, niſi cui tamen leuis eſt auctor Horatius, Enniũ, Plautum, Luci-
Horatius in veteres poẽtas. lium, Doſſenniũ, totamq; illam cohortẽ poẽtarũ veterũ ſemel iugulans, & quidem reclamante populo. Quid? nõ in Senecã quoq; Aulus Gellius magna libertate verborum incurrit? Non eundem Quintil. atro notat calculo? Non Marino Ptolemæus diem dicit? Eratoſtheni Strabo? Theſſalo Galenus? Hermagoræ Cicero? Non omnes denique philoſophorũ ſcholæ maximè cũ prioribus digladiantur? Nec cuiuſquã ſanè parcitur nomini, dũ pro ſe quiſq; certat publico bono. Sed iſta, inquies, grauiora. Fateor, at idem cur nõ liceat in leuioribus? Certè Plato Philoſophorum princeps, etiam ſine præfatione honoris nugari dicit Aeſchylum, tragœdiæ ſummũ (ſi quidẽ Ariſtophani credamus) auctorem, quòd in leuicula re diſſenſerit ab Homero. Nec ego tamen cauſſam Domitij damnaui totam, ſed vt iam decuriatus hominem, ſic ipſum neutiquam neglegenter expendi critica lance, diſſimulaturus in plenum, ſi non aliquo certè habendum numero credidiſſem. Et videbatur ita mihi rectum ſanè tũ, cùm illa meditabar. Qui tamen idẽ facilè iam, libenterq; muto factum, te diſſentiente, cuius mihi protinus vt debet, etiã pro magnis rationibus eſt auctoritas. Ceterùm quoniam de eo nobis integrum non eſt, vbique diuulgatis exemplaribus, & quidem pluribus, quàm vt vllo modo retexi queant, velim tu tibi de cetero ſecundum reliquum candorem tuum contrarias parteis in mei gratiam

ſumas,

sumas, & vt homo doctus homini nō indoctißimo fauēs, eloquētiæ tuæ blāditijs impetres, vt hanc aduersus Domitiū (quando ita vis) pugnam tam ceteris videar nō ab insectādi studio proteruiter, aut maleuolè, quā me scio à certo sensu, & vero simpliciter, & sedulo suscepisse. Quod si feceris, maximo mihi fueris inuitamēto ad cetera quoq; edenda, quæ domi quotidie, nec (vt quidē spero) minus elaborata proximis, excudūtur. Vale. Ioannes Picus Mirādula nullius homo magis, quàm sui simillimus salutē tibi à me suo quoq; nomine iußit adscribi. Florentiæ, pridie Kalend. Decemb. M.CCCCLXXXIX.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano suo S. D.

SCRIPSI ad te optima fide, sciens fore, vt litteræ meæ pari candore animi acciperentur. Quod factum nō muto, & ita contigisse sicut optabam, valde lætor. Superuacua est in Domitium excusatio, in quem omnes (sic enim dixerim) vehellas vtilitate publica discentium, à te susceptas fuisse arbitror. Neq; eas à me vel minimo verbo repunctas esse velim, vel notatas contraria censura. Sed optassem, quod amplius opere edito liberum nō est, temperatum esse frequentius à persona, dum rem incesseres. Vtcunque tamen id studium susceperis, more optimi agricolæ quidquid sentium occurrebat, sulcis tuis penitus cum radicibus extirpatum iri te voluisse non dubito. Nec vetus adhiberi exemplum oportuit, vbi negotium præsens non caret laude. Equidem scriptis tuis deesse id tantum sentio, quòd priscam ætatem non vixeris, cum qua memoriam omnium sæculorum consecutus esse videris, industriæ, ac laboris similitudine. Hoc testimonium qui non dederint, infelici nati sunt Musarum partu, & adulterino. Noli igitur longi in-

cubatus fetura nos in expectatione macerare, sed acceptо etiam in tui nominis securitatem spо̃sore Pico, cuius tota vita gloriarum plena est, à quo in amicorũ gregem per te receptũ iri omnibus votis expeto, cuius vestigia semper adoro, quidquid ex altilium cohorte domi nascitur, spectãdum, legendum, ediscendum emittas, detenturus eos omneis in fidibus tuis, qui aliquo virtutum simulacro aut harmonia ducuntur. Vale. Chalcus tibi salutem dicit, tuus est, & Antiquarius tuus est, vterq; velut dexteræ tuæ digitus haberi cupit. Mediolani, quinto Idus Decembris M. CCCCLXXXIX.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano suo S. D.

PVDOREM nuper mihi fecit Hieronymus Donatus, qui receptam à Republica personam magno apud hunc principem æstimatu agens, officium meũ singulari humanitate præuenit. Sed tu quoque in causſa. Nam ad eum, simul & ad me scribens, ita inter sese vtrãque epistolam commisisti, vt maiorem meritis de me opinionem tuam apud illum testatus, plus pignoris (quod aiunt) deposueris, quàm mea pecunia posſit redimi. Vnde statim legendũ misit, quod (pace tua) falsò prædicabas. In mea itidem epistola demonstrasti illum esſe dignum, quẽ veneremur, cumulata optimarum artium laude. Equidẽ institueram ad eum quod scripseras deferre, sed mei ingenij remissa natura, quasi perendinandi ius vsurpans spatium dedi homini præstantissimo, vt istiusmodi verecundia me conspergeret, quam longè tamen æquiore animo fero, quàm testimonium tuum, quod magnis verbis, nullo alioqui ad veritatem confinio pertinentibus, ita confers, vt nihil potius agere coneris, quàm vt inter dulce resonantes tibias carmen aliquod demeruisſe videar.

dear. Equidē prolotos digitos me habere nō sentio, quibus mysteriū Philosophiæ ab istis sanctißimè, ac penitus tractatū contingere liceat: profanus sum, & procul limen adoro. Satis est tale arcanum inter eorum manus versari, quos idoneos perspeximus ad restituenda humana, & diuina animorum exercitamenta: quæ paulò antè ex disciplinis disciplinæ censebantur, congesta barbaricè terra in oculos miseræ, & toto orbe in vnam sepulturam redactæ Philosophiæ. Mihi certè in partē felicitatis tribuo, quòd hoc sæculo nasci contigit, in quo velut è cælo delapsi homines expultricem immunditiarum curā litteris adhibentes effecerunt, vt vbi Picus, Phœnix, & id auium genus auspicatißimum est, obstrepere anser amplius nō debeat. Licuit Hermolaū de facie cognoscere, licuit eū dißerentem audire de fato, de fortuna, de casu. Quæ res vt populari captu difficilis est, et in primis à Peripateticis operosè tractata, ita ab eo reddebatur perspicua, vt omnē illam cælestium caussarū seriē, veluti catenam quandā ante oculos ponere videretur. Sæpè ad pacem, sæpè ad gratiā, in quæ templa vterq; nostrum diuinæ rei caussa pergebat, cōuenimus. Mira in eo comitas, lepor, multus, totam mentem ad afflatū diuinū refert, cuidā terrestri numini similis. Cū Hieronymo nondum frequens congressus, quoniā etsi cultura litterarū in eo eminentiū plurimum inuitat, vt ei fiam quàm familiarißimus: quod facile futurum perspicio, quàm cum viro in officium semper expositō, & obuio: negotij tamen publici ratio, quæ nusquam suspicione vacauit, me deterret, & ab eius honestißima ac frugifera consuetudine retrahit. Vnde dolor, ira, & indignatio frequenter macerant animum meum, vt in singulari, ac diu alioqui, multisque rebus perspecta fide alienam

Hermolaus Barbarus laudatur.

nam delationẽ cauero oporteat, iucũdißima in vitá fru-
ctus amißione, atque iactura. Verùm propius eum in-
tueor, quoties in regiam venit, delectorq; amœnitatibus
ingenij, quas prudentia, & grauitate condiuit: qualẽ im
amplißima Republica oportuna ad honores ſubſellia for
titum eſſe decet. Sed ſolicitudine quadam pungor (id ſci
licet curat homuncio) ne per quos linguæ Latinæ orna-
menta reſtituuntur, per eoſdem aliquando Italicum im-
perium in vnam Rẽpub. cedat. Veneti enim in omni tem
peſtate ſapientes viri, quòd ſuperbiam ſuam nimis infen
ſam omnibus eſſe intelligerent (ampulloſa nanq; quorũ-
dam imperitia, & oſtentatione id accidebat) nouato nu
per in melius more, eos legatos circummittunt, qui &
molliant animos, quibus cum agunt, & familiariùs com-
mercia miſceant, atq; patefacto, quod prius ſenioribus
tantũ licebat, etiam iuuentuti, & gliſcenti Philoſophiæ
aditu honoribus, & præmijs ornãt. Incredibile eſt, quã-
tum iſti proficiant. Sed quoniam imperium non niſi fato
dari cernimus, quid ſit euenturum, alij viderint. Nos in-
terea cõmunibus ſtudijs gratulamur, quæ aſſertores vos
habent maximos, & primæ claßis viros. Bene profectò
nobiſcum agitur, quòd lucernã à vobis anteferri conti-
git, quotidie aliquid excuditur poſteritate dignum. Id
magnopere ad mei animi lætitias pertinet. Illud tantum
mea intereſſe vt putes, velim, quòd quã operã præſtare
nequeo, in aliorũ induſtria libenter intuear: vltrà one-
rari nõ patior, quàm hominẽ poſtremæ tribus, ſine præ-
rogatiua ferẽtis ſuffragia. Vale, & Pico omniũ, qui vi-
uunt, laudẽ ſupergreſſo, me ſæpius, & iterum commen-
da. Mediolani XVI. Kal. Ian. M. CCCCLXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Antiquario ſuo S. D.

AR-

ARGVIS mendacem, quòd in epistola mea proxima stylum, litteras q; tuas apud eruditissimum virum quasi plus nimio laudauerim. Sed hoc ita docte facis tamen, vt quibus me verbis accusas, iisdem prorsus absoluas. Quo fit, vt non alio magis iudicij mei ratio mihi cõstet, quàm quòd abs te sic reprehenditur eloquenter. Nisi fortè parum verus ob id ego testis (testis enim planè, non laudator) quòd attigi testimoniũ de te, nec impleui: verùm cogita quàm sit arduum verbis exæquare laudes, quæ fidem sic excedant, vt eis nec tu quidem protinus assentias, qui iàpridem satisfeceris. Quòd autem me Ioanni Pico Mirandulæ, Hieronymoq; Donato, & Hermolao Barbaro, tantis in omni litteratura viris, quantos olim non meminimus, adnumeras, equidem irrideri me putarẽ nisi persuasissimum haberem, fallite duntaxat amore nimio, quẽ solere ait Plato in iudicijs cæcutire. Ceterùm ego tam me scio cũ talibus nec ingenio, nec doctrina, q; nec natalibus, nec fortuna debere conferri. De imperio verò, quòd ais, fors ipsa viderit, aut si quis est in magnis rebus meæ quoq; preci, & voto locus: vtinam denique apud eos resídat, qui sint illo quàm dignissimi. Picus noster vnicè te diligit, nec autẽ plus de meis verbis, quàm de tuis epistolis: quin eas nunc me tibi dictante cùm maximè legit, curatq; describendas: sed & mirè gaudet q, Hieronymum Donatum iuxtà secum probes: tum quòd inter vos cohæseritis tu & Barbarus, non inuicè modò, sed & in cõmune consultum putat. Idem penè me quoq; prouocat in te redamando, nulli scilicet hominũ concedentẽ. Quare velim mihi pro meo in te studio Chalcum perpetuò vel patronũ si patitur, vel si hoc mauult, amicum magnũ, quibus potes machinis retineas. Vale. Florentiæ, quarto Kal. Ian. M. CCCCLXXXIX.

Amantiũ iudicia.

IAN

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano suo S. D.

PERFERVNTVR quotidie ad te manipulatim ex toto doctißimorum hominum cœtu litteræ, quæ tuæ laudi multum videntur afferre, qua eas fronte accipias ignoro, opinor tamen indißimulata, & familiari. Quòd verò scribunt, sæculo gratulantur, & tibi. Interea Pomponij epistola plurimum me delectauit, quam mihi legendam nuper tradidit Bernardus noster, adolescens in tua schola tornatim expolitus. Cupio tamen ex te scire, an tibi ex tam referta multorum laudatione quidquam vindices. Nam sapientes viri, in quorum sententia te esse arbitror, quidquid inspexerint in se boni, nõ sua opera id partum, paratumue, sed naturæ, & Dei beneficiũ tributum esse credunt. At verò qui illud sibi acceptum referunt, hi proculdubio lenæ purpurißatæ cõparandi sunt, aut Poggianæ fabulæ: Et nos pomanatamus. Sæpè eas cogitationes immigrare in te (sic enim puto) quæ ad alicuius rei vestigium iã tenendum spectent, sed extrarias, & tuæ menti quasi quibusdã igniculis collucentes haud dubiè sentis. Itaque cùm te alicuius humani decoris conscium cernis esse, supra hominem te, ne vno quidem digito, efferre debes. Ego enim is sum, qui te amem, atque etiam colam virtutem tuam: sed rursus qui donum cælitus datum in te agnoscam, quò & vetera illustres lõgæuitate rubiginata, & surgenti, atque ad æmulationẽ laudis adnitenti sæculo manum porrigas. Vale. Mediolani Kalend. Septemb. M. VIIII D.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Antiquario suo S. D.

QVAERIS ex me per epistolam, qua tandem fronte doctißimorum hominum tam crebras litteras, meis referfertas

fertas laudibus accipiam: & an quippiam mihi ex illorum testimonio plus vindicem. Prudenterque me admones, & benevolè, ne meum esse putem quod diuini beneficij sit, néue supra hominem efferar. Denique sic epistolam claudis, vt esse in magna spe, vel expectatione potius studiorũ, litterarumq; nostrarũ videaris. Equidem (vt planissimè dicam) sentio me tibi in suspicionem veniisse, quasi plus nimio sim gloriæ auidus, quòd vt quas à doctis hominibus proximis aliquot mensibus acceperim litteras, earum exemplum statim isthuc Bernardo Riccio miserim, quò tibi protinus ostenderẽtur. Vt autem sic ineptirem, non mea me voluntas, verùm ipsius Bernardi, optimi quidem iuuenis, sed mei nimium amantis, assiduæ propè obsecrationes impulerunt: præsertim qui te quoque ipsum magnopere id velle, atque etiam contendere assereret. Non igitur vt auras quasi captarẽ, quod à meis moribus procul abest, sed vt amicis obsequerer, quorũ me semper iudicio permiserim, crebras istuc epistolas illas missitabam: quas tamen propè meminеram non iuratorum testium, sed blandientiũ esse amicorum. Quòd igitur rogas, qua eas denique fronte suscipiam, planè fateor læta: sic enim soleo quæcunque à viris & amicis, & doctis proficiscuntur: ceterùm sic ipsemet mecum cogitare soleo. Si fallitur qui me laudat, danda mihi opera est, ne iterum fallatur, atque interim habenda gratia: sin autem minimè fallitur, aut idem nec etiam fallit, atque ita maior sum, quàm mihi fortasse videor? aut si fallit, animandi mei, vel conciliandi, vel irridendi gratia fallit: quorum primum mihi expedit, alterum non displicet, tertium cadere in amicum non solet. Itaque ratiocinationem sic colligo, vt aut ego ne doctus quidem sim, quod isti vel opinantur,

vel

vel dictitant aut sim certè, qualem prædicant. Sed quoniam vir esse nemo doctus potest, quin sibi ipse quoque videatur: prima enim docti hominis conditio est, vt ipse se norit: ego verò mihi doctus non videor: sequitur omnino ne sim doctus. Sed hoc ipsum tamen non falli me in eo, quo plerique opinor falluntur, nisi diuini esse muneris intelligerem, etiam plus ceteris fallerer. Ibi verò, fateor, nisi mediocriter, cum me admones ne supra hominem efferar, scilicet periculum est hoc in me, qui quidem adhuc in primis litterulis hæsitem, quasdam verò arteis ex ijs ne attigerim quidem quæ Philosophiæ studio famulantur: cùm sit eorum quoque qui disciplinas omneis, omnemq; sapientiam prohibuissent, celebris illa sententia, sic ad ea, quæ natura in promtu haberet, nostræ mentis aciem, sicut ad solem noctuæ oculos caligare. Procul hæc à nobis insania sit, vt quantum absimus adhuc, non dico à summis, sed vel à mediocribus viris, ignoremus. Assentatiunculis autem quorundam, aut item obtrectatiunculis & ineptis, & leuibus, non magis equidem aut attollor, aut deprimor, quàm vmbra ipsa mei corporis. Non enim quia longior illa, & extensior manè ac vespere sit, meridie verò breuior, & contractior, ob id ego quoque statim maior, proceriórque mihi manè ac vespere, quàm meridie ipso videri debeo. Quòd autem fore suspicaris, opera, studio, industriaq; mea, vt & vetustati squalor abstergatur, & ad frugem iuniores perueniãt, vide quæso ne tibi verba det amor erga me nimius. Ego certè (nescio autem vitióne mentis captus, an consilio magis adductus) magnum quoddam omnino molior, facturúsque operæ pretium videor, modò vires animum subsequantur. Vale. Fæsulæ, ante VII. Kalend. Septemb. M. CCCCXCI.

Vmbra corporis.

NGE-

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER QVARTVS.

IACOBVS ANTIQVARIVS Angelo Politiano S. D.

D quintum Idus Aprilis seceſſeram Ticinum. Poſtridie eius diei cùm officij cauſſa præfectum arcis, humaniſſimum virum Iacobum Puſterlam conueniſſem, perbenignè me exoſculatus, ſecunda, inquit, noctis vigilia de Laurentij Medicis obitu præuolans tabellarius ad principem contendit. Hoc nuncio attonitus, oculos cùm in terram defixiſſem, éſtne, inquã, nobis iratus deus, vt in illo omniũ ſapientiſſimo viro, tot ſpes, tot virtutum imagines, & ſigna, tanquam ad vaſa conclamãs ſuſtulerit? ſed de Italiæ calamitatibus mox. Quæ enim ab eminentiſſimis locis mala ingruunt, niuibus, cùm in montium cacuminibus liqueſcentes ingentia efficiunt flumina, ſimillima eſſe ſolent. Biduo póſt Mediolanum regreſſus offendi ſermonẽ varium: ea nanque de mœſtiſſima re iã populus erat certior. Alij de cælo ædem Liberatæ paulo antè, quàm Laurentius decederet, tactam: alij deſperata eiuſdem ſalute, Petrum Leonem medicum, qui ægrotanti aſſederat, ſeſe in puteum præcipitaſſe affirmabant. Dedi compluſculos dies dolori meo: neque poſſum, mi Politiane, magnopere non torqueri: & vt meipſum aſſiduè magis vrgeã, tum mea, tum aliorum cauſſa facit. Scis quã illum veneratione proſequebar, quóue quaſi reſtituta vice, meipſe cõplectebatur animo non ignoras: qui vnus omniũ vitæ

Laurentij Medicis mors.

mcæ præsidiũ in pleraq; fortuna à me cẽseretur constantissimũ. Sed in cõmuni rerũ aceruo plura sunt. Sæpe enim inter Scyllam & Charybdim positus, Italiã nõ minus tẽperabat, quàm isthmus ille, qui inter Ioniũ, & Aegeũ, ne inter se cõcurrentia maria confundantur, natura cõstitutus esse videtur. Scio in clarissimo iuuene Petro Medice ab vniuersa ciuitate, quod nostrũ dolorẽ plurimùm extenuat, patris auctoritatem prorsus confirmatã esse: idq; decretum publicum, quoniam in vnius familiæ incolumitate totius Reip. salus versatur, perpetuò mansurum & speramus, & cupimus. Laurentij tamen desiderium lenire nequeo: & quod recenti vulneri accidere solet, quò magis frigescit, eò grauius dolet, in me sentio. In ista verò tua ingenti studiorum calamitate, atque iactura, quid abs te optem video, quid impetrare possim ambigo: Faciam tamen quod in cõmuni luctu assolet: ac per ipsius Laurentij felicem memoriam, vt abstersis aliquantisper lacrymis, quo ille emigrauerit animi terrore, quidue anteà ad suos sit præfatus, in vtriusque nostrum consolationem (totam illius vitam splendoris, & laudis plenam, tuis aliquando lucubrationibus ad posteritatem peruenturam non dubito) quibus honoribus sit elatus, cui quoque monumento, & quibus eulogijs intulerint, perscribas, & rogo, & obsecro. Vale. Mediolani, XVIII. Kalend. Aprilis. M. CCCCXCII.

Petrus Medices.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Antiquario suo S. D.

VVLGARE est, vt qui serius paulò ad amicorũ litteras respondeãt, nimias occupationes suas excusent. Ego verò quò minus maturè ad te rescripserim, non tã culpã confero in occupationes, quanquã ne ipsæ quidẽ defuerunt, quàm in acerbissimum potius hunc dolorem, quem mihi

mihi eius viri obitº attulit, cuius patrocinio nuper vnus ex omnibus litterarũ professoribus, & eram fortunatissimus, & habebar. Illo igitur nunc extincto, qui fuerat vnicus auctor eruditi laboris videlicet, ardor etiã scribendi noster extinctus est, omnisq; propè veterum studiorum alacritas elanguit. Sed si tantus amor casus cognoscere nostros, & qualem se ille vir in extremo quasi vitæ actu gesserit audire, quãquàm et fletu impedior, & à recordatione ipsa, quasiq; retractatione doloris abhorret animus, ac resilit, obtemperabo tamen tuæ tãtæ, ac tam honestæ volũtati, cui deesse pro instituta inter nos amicitia neq; volo, neq; possum. Nam profectò ipsemet mihi nimiũ & inciuilis viderer, & inhumanus, si tibi & tali viro, et mei tã studioso rem ausim prorsus vllam denegare. Ceterùm quoniã de quo tibi à nobis scribi postulas, id eiusmodi est, vt facilius sensu quodã animi tacito, & cogitatione comprehendatur, quàm aut verbis, aut litteris exprimi possit: hac lege tibi iam nũc obsequium nostrum astringimus, vt neque id polliceamur, quod implere non possimus, tua certè causſa nõ recusemus. Laborauerat igitur circiter menses duos Laurentius Medices è doloribus ijs, qui quoniã viscerũ cartilagini inhæreant, ex argumento Hypochondrij appellantur. Hi tametsi neminẽ sua quidẽ vi iugulant, quoniã tamen acutissimi sunt, etiam iure molestissimi perhibẽtur. Sed enim in Laurentio fatóne dixerim, an inscitia, incuriaq; medentiũ id euenit, vt dũ curatio doloribus adhibetur, febris vna omniũ insidiosissima cõtracta sit, quæ sensim illapsa, non quidẽ in arterias, aut venas, sicuti ceteræ solent, sed in artus, in viscera, in neruos, in ossa quoq;, et medullas incubuerit. Ea verò quòd subtiliter, ac latenter, quasiq; lemibus vestigijs irrepserat parum

Laurentij Medicis obitus.

primò animaduersa: dein verò cùm satis magnam sui significationem dedisset, non tamen pro eo ac debuit diligenter curata, sic hominem debilitauerat prorsus atq; afflixerat, vt non viribus modò, sed corpore etiam penè omni amisso, & consumto distabesceret. Quare pridie quàm naturæ satisfaceret, cùm quidem in villa Caregia cubaret æger, ita repentè concidit totus, nullam vt iam suæ salutis spem reliquam ostenderet. Quod homo, vt semper cautissimus intelligens, nihil prius habuit, quàm vt animæ medicum accerseret, cui de cõtractis tota vita noxijs Christiano ritu confiteretur. Quem ego hominem posteà mirabundum sic propè audiui narrantem, nihil sibi vnquam neque maius, neque incredibilius visum, quàm quomodo Laurentius constans, paratúsque aduersus mortem atque imperterritus, & præteritorum meminisset, & præsentia dispensasset, & de futuris item religiosissimè, prudentissimeq; cauisset. Nocte dein media quiescenti, meditantique sacerdos adesse cũ sacramento nuntiatur: ibi verò excussus, procul, inquit, à me hoc absit, patiar vt IESVM meum, qui me finxit, qui me redemit, adusque cubiculum hoc venire, tollite hinc obsecro me quàm primùm, tollite, vt domino occurram. Et cum dicto subleuans ipse se quantum poterat, atque animo corporis imbecillitatẽ sustentans, inter familiarium manus obuiam seniori ad aulam vsque procedit: cuius ad genua prorepens, supplexq;, ac lacrymans: Túne, inquit, mitissimè IESV, tu nequissimum hunc seruum tuum dignaris inuisere? At quid dixi seruum: imò verò hostem potius, & quidem ingratissimum qui tantis abs te cumulatus beneficijs nec tibi dicto vnquã audiens fuerim, & tuam toties maiestatẽ læserim. Quod ego te per illã, qua genus omne hominum complecteris, caritatem,

tatẽ, quæq; te cælitus ad nos in terrã deduxit, nostræq; humanitatis induit inuolucris, quæ famẽ, quæ sitim, quæ frigus, æstum, labores, irrisus, contumelias, flagella, & verbera, quæ postremò etiam mortem, crucémque subire te compulit: per hanc ego te salutifer IESV quæso, obtestórque, auertas faciem à peccatis meis: vt cùm ante tribunal tuum constitero, quo me iam dudum citari plenè sentio, non mea fraus, non culpa plectatur, sed tuæ crucis meritis condonetur. Valeat, valeat in caussa mea sanguis ille tuus IESV pretiosißimus quem pro asserendis in libertatem hominibus, in ara illa sublimi nostræ redemtionis effudisti. Hæc atque alia cùm diceret lacrymans ipse, lacrymantibusq;, qui aderant, vniuersis iubet eum tandem sacerdos attolli, atque in lectulum suũ, quo sacramentum commodius administraretur, referri. Quod ille cùm aliquandiu facturum negasset, tamen ne seniori suo foret minus obsequens, exorari se passus, iteratis eiusdem fermè sententiæ verbis, corpus ac sanguinẽ dominicum plenus iam sanctitatis, & diuina quadam maiestate verendus accepit. Tum consolari Petrum filium (nam reliqui aberant) exorsus, ferret æquo animo vim necessitatis admonebat, non defuturum cælitus patrocinium, quod ne sibi quidem vnquam in tantis rerũ, fortunæq; varietatibus defuisset, virtutem modò, & bonam mentem coleret, bene consulta bonos euentus paritura. Post illa contemplabundus aliquandiu quieuit: exclusis dein ceteris, eundem ad se natum vocat, multa monet, multa præcipit, multa edocet, quæ nondum foras emanarunt, plena omnia tamen (sicuti audiuimus) & sapientiæ singularis, & sanctimoniæ: quorum tamen vnum, quod nobis scire quidem licuerit adscribam. Ciues, inquit, mi Petre successorẽ te meũ haud dubiè agno

scent. Nec autẽ vereor, ne non eadẽ futurus auctoritate in hac Rep. sis, qua nos ipsi ad hanc diẽ fuerimus. Sed quoniã ciuitas omnis corpus est (quod aiunt) multorum capitũ, neq; mos geri singulis potest, memento in eiusmodi varietatibus id consilium sequi semper, quod esse quàm honestißimum intelliges, magisq; vniuersitatis, q̃ seorsum cuiusque rationem habeto. Mandauit & de funere, vt scilicet aui Cosmi exemplo, iusta sibi fierent, intra modũ videlicet eũ, qui priuato cõueniat. Venit dein Ticino Lazarus vester, medicus (vt quidem visum est) experientißimus: qui tamen serò aduocatus, ne quid inexpertum relinqueret, pretiosißima quædã gemmis omne genus, margaritisq; conterendis medicamenta tentabat. Quærit ibi tum ex familiaribus Laurentius (iã enim admißi aliquot fueramus) quid ille agitaret medicus, quid moliretur. Cui cùm ego respondissem, epithema cũ concinnare, quo præcordia fouerentur: agnita ille statim voce, ac me hilarè intuens (vt semper solitus) heus inquit, heus Angele: simul brachia iam exhausta viribus ægrè attollens, manus ambas arctißimè prehendit. Me verò singultus, lacrymæq; cùm occupauissent, quas celare tamen reiecta ceruice conabar, nihilò ille commotior, etiã atque etiam manus retentabat. Vbi autem persensit fletu adhuc præpediri me, quò minus ei operam darem, sensim scilicet eas, quasiq; dißimulanter omisit. Ego me autẽ continuò in penetrale thalami conijcio flentem, atque habenas (vt ita dicam) dolori & lacrymis laxo. Mox tamen reuertor eôdem, siccatis, quantum licebat, oculis. Ille vbi me vidit, vidit autem statim, vocat ad se rursum, quæritq; perblandè, quid Picus Mirandula suus ageret. Respondeo manere eum in vrbe, quòd vereatur ne, illò si veniat, molestior sit. At ego, inquit, vi-

Picus Mirandula.

cißim

ciſsim ni verear ne molestum ſit ei hoc iter, videre, atq; alloqui extremum exoptem prius, quàm planè à vobis emigro. Vin' tu inquam, accerſatur? Ego verò, ait ille, quam primùm. Ita ſanè facio: venerat iam, aſſederat, atq; ego quoque iuxtà genibus incubueram, quò loquentem patronum facilius, vtpote defecta iam vocula, exaudirẽ. Bone Deus, qua ille hunc hominem comitate, qua humanitate, quibus etiam quaſi blanditijs excepit! Rogauit primò ignoſceret, quòd ei laborẽ hunc iniunxiſſet, amori hoc tamen, & beneuolentiæ in illum ſuæ adſcriberet, libẽtius ſeſe animam editurum, ſi prius amiciſsimi hominis aſpectu moriẽtes oculos ſatiaſſet. Tum ſermones iniecit vrbanos, vt ſolebat, & familiares. Nonnihil etiam tunc quoque iocatus nobiſcum, quin vtroſque intuens nos, Vellem, ait, diſtuliſſet me ſaltem mors hæc ad eum diem, quò veſtram planè bibliothecam abſoluiſſem. Ne multis: Abierat vixdum Picus, cùm Ferrarienſis Hieronymus, inſignis & doctrina, & ſanctimonia vir, cæleſtisque doctrinæ prædicator egregius, cubiculum ingreditur, hortatur vt fidem teneat: ille verò tenere ſe ait inconcuſſam: Vt quàm emendatiſsimè poſthac viuere deſtinet: ſcilicet facturum obnixè reſpondit: Vt mortem denique, ſi neceſſe ſit, æquo animo toleret: Nihil verò, inquit ille, iucundius, ſi quidem ita Deo decretum ſit. Recedebat homò iam, cùm Laurentius, Heus inquit, benedictionem pater prius, quàm à nobis proficiſceris. Simul demiſſo capite, vultúque, & in omnem piæ religionis imaginem formatus, ſubinde ad verba illius, & preces, rite ac memoriter reſponſitabat, ne tantillum quidem familiarium luctu aperto iam, neq; ſe vlterius diſſimulante, commotus. Diceres indictam ceteris, vno excepto Laurentio, mortõ.

Hieronymus Ferrarienſis.

Sic scilicet vnus ex omnibus ipse nullam doloris, nullam perturbationis, nullã tristitiæ significationem dabat: cõsuetũmq; animi rigorem, constantiã, æquabilitatem, magnitudinẽ, ad extremum vsque spiritum producebat. Instabant medici adhuc tamen, & ne nihil agere viderentur, officiosissimè hominem vexabant, nihil ille tamen aspernari, nihil auersari, quod illi modò obtulissent: non quidem quoniam spe vitæ blandientis illiceretur, sed ne quẽ fortè moriens, vel leuissimè perstringeret. Adeoq; fortis ad extremum perstitit, vt de sua quoq; ipsius morte nonnihil cauillaretur: sicuti cum porrigenti cuidam cibum, rogantiq; mox quàm placuisset, respondit: quàm solet morienti. Post id blandè singulos amplexatus, petitaq; suppliciter venia, si cui grauior fortè, si molestior morbi vitio fuisset, totũ se post illa peruenctioni summæ, demigrantisq; animæ commendationi dedidit. Recitari deinde euãgelica historia cœpta est, qua scilicet irrogati CHRISTO cruciatus explicantur, cuius ille agnoscere se verba, & sententias propè omneis, modò labra tacitus mouens, modò languenteis oculos erigens, interdũ etiam digitorum gestu significabat. Postremò sigillum crucifixi argenteũ margaritis, gemmisq; magnifice adornatum defixis vsquequaque oculis intuens, identidemq; deosculãs expirauit. Vir ad omnia summa natus, & qui flantẽ, reflantemq; toties fortunã vsqueadeò sit alterna velificatione moderatus, vt nescias vtrũ secundis rebus constantior, an aduersis æquior, ac temperantior apparuerit. Ingenio verò tãto, ac tãfacili, & perspicaci, vt quibus in singulis excedere alij magnũ putant, ille vniuersis pariter emineret. Nã probitatẽ, iustitiã, fidẽ, nemo, arbitror, nescit ita sibi Laurẽtij Medicis pect⁹, atq; animũ quasi gratissimum aliquod domiciliũ, templumq; dele-

Laurentij laus.

delegisse. Iam comitas, humanitas, affabilitas quãta fuerit, eximia quadam in eum totius populi, atq; omniũ plane ordinũ beneuolentia declaratur. Sed enim inter hæc omnia liberalitas tamen, & magnificẽtia exsplendescebat, quæ illum penè immortali quadam gloria ad deos vsque prouexerat: cùm interim nihil ille famæ dũtaxat caussa, et nominis, omnia verò virtutis amore persequebatur. Quanto autem literatos homines studio complectebatur, quantũ honoris, quantũ etiam reuerentiæ omnibus exhibebat, quantum denique operæ, industriæq; suæ cõquirendis toto orbe terrarũ, coëmendisq; linguæ vtriusq; voluminibus posuit, quantosq; in ea re, quàm immanes sumtus fecit, vt nõ ætas modò hæc, aut hoc sæculum, sed posteritas etiam ipsa maximam in huius homi nis interitu iacturam fecerit! Ceterùm consolantur nos maximo in luctu liberi eius, tãto patre dignissimi. Quorum, qui maximus natu, Petrus, vix dum primum, & vigesimũ ingressus annũ, tanta iã & grauitate, & prudentia, & auctoritate molem totius Reip. sustẽtat, vt in eo statim reuixisse genitor Laurentius existimetur. Alter annorum duodeuiginti Ioannes, & Cardinalis amplissimus (quod nunquã cuiquam id ætatis contigerit) & idẽ pontifici maximo, non in ecclesiæ patrimonio dũtaxat, sed in patriæ quoque suæ ditione legatus, talẽ, tantũq; se iã tam arduis negotijs gerit, & præstat, vt omnium in se mortalium oculos conuerterit, atque incredibilem quandam, cui respõsurus planissimè est, expectationẽ concitauerit. Tertius porrò Iulianus impubes adhuc, pudore tamen, ac venustate, neque non probitatis, & ingenij mirifica quadam, suauissimaq; indole totius sibi tam ciuitatis animos deuinxit. Verùm vt de alijs in præsenti taceã, de Petro certè ipso cohibere me nõ possum, quin

Petrus Medices.

Ioan. Medices, post Leo. x. pont. max.

Iulianus Medices.

Patris de filio testimonium.

recentire testimoniũ hoc loco paternũ adscribã. Duobus circiter ante obitum mensibus, cùm in suo cubiculo sedens (vt solebat) Laurentius de Philosophia, & litteris nobiscum fabularetur, ac se destinasse diceret reliquam ætatẽ in ijs studijs mecum, & cum Ficino, Picoq; ipso Mirandula consumere, procul scilicet ab vrbe, & strepitu: negabam equidem hoc ei per suos ciues licere, qui quidem in dies viderentur magis, magisq; ipsius & consiliũ, & auctoritatẽ desideraturi. Tum subridẽs ille, Atqui iã, inquit, vices nostras alumno tuo delegabimus, atque in eum sarcinã hanc, & onus omne reclinabimus. Cumq; ego rogassem an adhuc in adolescente tantũ virium deprehendisset, vt eis bona fide incũbere iã possemus: Ego verò, ait ille, quanta eius, et quàm solida video esse fundamenta, laturum spero haud dubiè quidquid inædificauero. Caue igitur putes Angele, quenquã adhuc ex nostris indole fuisse tanta, quantam iã Petrus ostendit, vt sperẽ fore atque adeò augurer (nisi me ipsius ingenij aliquot iã experimenta fefellerint) ne cui sit maiorum suorum concessurus. Atque huius quidem iudicij, præsagijq; paterni magnum profectò, & clarum specimẽ hoc nuper dedit, quod ægrotãti præstò fuit semper, omniaq; per se penè etiã sordida ministeria obiuit, vigiliarum patiẽtissimus, et inediæ: nunquamq; à lectulo ipso patris, nisi cùm maximè Resp. vrgeret, auelli passus. Et cùm mirifica pietas extaret in vultu, tamen ne morbum, aut solicitudinem paternã mœrore suo adaugeret, gemitus omneis, & lacrymas incredibili virtute quasi deuorabat. Porro autẽ, quod vnum tristissima in re pulcerrimum, seu spectaculum videbamus, inuicem pater quoq; ipse, ne tristiorẽ filium tristitia sua redderet, frontẽ sibi ex tẽpore velut aliã fingebat, ac fluentes oculos in illius

gra-

gratiã continebat, nunquã aut consternatus animo, aut fractus, doneo ante ora natus obuersaretur. Ita vterque certatim vim facere affectibus suis, ac dissimulare pietatem pietatis studio nitebatur. Vt autem Laurẽtius è vita decessit, dici vix potest quãta & humanitate, & grauitate ciues omneis suos Petrus noster, ad se domum cõfluentes, exceperit, q̃ & appositè, & variè, & blandè etiam dolentibus, consolantibusq̃; pro tempore, suamq̃; operã pollicentibus responderit. Quantã deinde, & q̃ solertem rei constituendæ familiari curã impenderit, vt necessitudines suas omneis grauissimo casu perculsas subleuarit, vt vel minutissimum quenq̃; ex familiaribus deiectum, diffidentẽq̃; sibi aduersis rebus collegerit, erexerit, animauerit, vt in obeunda quoq; Rep. nulli vnquã aut loco, aut tẽpori, aut muneri, aut homini defuerit, nulla deniq; in parte cessauerit. Sic vt eã planè instituisse iã viam, atq; ita pleno gradu iter ingressus videatur, breui vt putetur parẽtem quoq; ipsum vestigijs cõsecuturus. De funere autem nihil est, quod dicam. Tantum ad aui exemplum ex præscripto celebratum est, quẽadmodum ipse, vt dixi, moriens mandauerat. Tam magno autẽ omnis generis mortalium concursu, quàm magnum nunquã ante memineri mus. Prodigia verò mortem fermè hæc anteceſſerunt, quanquam alia quoque vulgò feruntur. Nonis Aprilibus, hora fermè diei tertia, triduo antè, quàm animam edidit Laurentius, mulier nescio quæ, dum in æde sacra Mariæ Nouellæ, quæ dicitur, declamitãti è pulpito dat operã, repente inter confertam populi multitudinem expauefacta, consternatáque consurgit, lymphatoq̃; cursu, & terrificis clamoribus, Heus heus, inquit, ciues, an hunc nõ cernitis ferocientẽ taurum, qui tẽplum hoc ingens flammatis cornibus ad terram deijcit? Prodigia.

Prima

Prima porrò vigilia, cùm cælũ nubibus de improuiso fe daretur, continuò Basilicæ ipsius maximæ fastigiũ, quod opere miro singularem toto terrarum orbe testudinem supereminet, tactum de cælo est, ita vt vastæ quæpiam deijcerentur moles, atque in eam potißimum partem, qua Medicæ conuisuntur ædes, vi quadam horrenda, & impetu marmora iãmania torquerentur. In quo illud etiam præscito non caruit, quòd inaurata vna pila, quales aliæq; in eodem fastigio conspiciuntur, excussa fulmine est, ne non ex ipso quoq; insigni proprium eius familiæ detrimentum portenderetur. Sed & illud memorabile, quòd vt primum detonuit, statim quoque serenitas reddita. Qua autem nocte obijt Laurentius, stella solito clarior, ac grandior suburbano imminens, in quo is animam agebat, illo ipso tẽporis articulo decidere, extinguiq; visa, quo compertum deinde est eum vita demigrasse. Quin excurrisse etiam faces trinoctio perpetuo de Fæsulanis mõtibus, supraq; id templũ, quo reliquiæ cõduntur Medicæ gẽtis, scintillasse nõnihil, moxq; euanuisse ferũtur. Quid? quòd & leonũ quoq; nobilissimum par, in ipsa qua publicè cõtinentur cauea, sic in pugnã ferociter cõcurrerit, vt alter peßimè acceptus, alter etiã leto sit datus. Arreti quoque supra arcẽ ipsam geminæ perdiu arsisse flammæ, quasi Castores feruntur, ac lupa idẽtidẽ sub mœnibus vlulat⁹ terrificos edidisse. Quidã illud etiam (vt sunt ingenia) pro monstro interpretantur, quòd excellentißimus (ita enim habebatur) huius ætatis medicus, quando ars eũ, præscitaq; fefellerant animũ desponderit, puteoq; se spõte demerserit, ac principi ipsi Medicæ (si vocabulum spectes) familiæ suæ nece parentauerit. Sed video me, cũ quidẽ multa, et magna reticuerim, ne fortè in speciẽ adulationis incidere,

lon-

longius tamen prouectum, quàm à principio instituerã. Quod vt facerem, partim cupiditas ipsa obsequẽdi, obtemperandiq; tibi optimo, doctißimo, prudentißimóque homini, mihiq; amicißimo, cuius quidẽ studio satisfacere breuitas ipsa in transcursu non poterat: partim etiã amara quædam dulcedo, quasiq; titillatio impulit recolendæ, frequentandæq; eius viri memoriæ. Cui si parem, similemq; nostra ætas vnum forte atque alterum tulit, potest audacter iam de splendore nominis, & gloria, cũ vetustate quoque ipsa contendere. Vale. XV. Kalend. Iunias. M. CCCCXCII. in Fæsulano ruſculo.

CAESAR CARMENTVS
Angelo Politiano suo S. D.

POLITIAS tuas, hoc est, Miscellaneorum librum ostendit nuper mihi Iacobus Rufinus, amœnißimi homo ingenij, tibiq; amicißimi. Nihil mehercules illis mũdius, nihil acutius, nihil doctius, ista vna cẽturia (vt equidem sentio) non modò Gellium, & id genus alios æmularis, sed longè superas. Fama quanquàm magnus es, scriptis certè maior: quare ætati huic nostræ gratulor. Est enim præsenti in sæculo, quod admirari possimus, ne semper veterum ingenia suspiciamus. Ego per te cùm multa didicerim, tibi me debere fateor, cunctáque mea polliceor: Amicos habes supremæ fortunæ viros, nos humili de plebe sumus, qui quasi fores amicitiæ tuæ pulsamus. Quid tu tenuis hominem sortis despicies? Interdum gratas dapes vilis quandoque iuuat, atque appetitur oliua. Porrò quòd & ipse litteras istas profitear, nihil velim carum me tibi reddat: nam professio adeò ieiuna est: in hoc laude dignus, quòd ad studia ista anhelem, non quòd profitear. Quali enim simus doctrina, ipsi probè scimus: iter in dẽsis tẽtamus tenebris, lucella secta

mur

mur: quãdiu tantum congesserimus quantũ sit satis prò victu annorũ aliquot, mox Athenas, id est, Florentiã ad capiendũ abs te cultum ingenij proficiscemur: absentem quæso, & incognitum, si potes, dilige interea, & Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Cæsari Carmento suo S. D.

IGNOSCE occupationibus Cæsar, neq; me vel superbũ crede, vel inofficiosum, quòd ad tuas hactenus literas nõ rescripserim. Melior diei pars lectionibus variis mihi teritur, reliqua datur amicis opera. Noctẽ sibi quies, & somnus cũ precibus, horario, et stylo diuidũt. Ac (ne manifesta dissimulem) recrastinator quoq; natura sum maximus, nec ad diem facilè soluo, quanquàm omnino aliquando soluo quod debui: quorũ alterũ dũ redditur (vt verũ fatear, nõnihil dolet ob ignauiam: alterũ me, quoniam redditum non est, semper excruciat. Venio nunc ad epistolas tuas, quas equidẽ, quoniã sunt elegantissimæ plenæq; mearum laudũ, cupiebã sic inuicem ferre laudibus, vt par pari relatum cognosceres. At enim si fecero, credet aliquis me forsitan huius denique spe mercedis, abs te anteà fuisse laudatum. Quare malo equidẽ tibi hoc officium debere, quàm meas laudes adducere in suspicionem, præsertim sic abs te rhetoricè dictas, vt ob eas ipse quoque mihi placeã, qui scio veras non esse. Sine igitur, quæ de me scripsisti, mora aliqua temporis roborari, talionemq; tum denique à nobis expecta. Nunc vsurã laudationis tuæ gratuitã quæso permitte dies aliquot, nequis argutulus dicat, nos inter nos (vt illi apud Terentium faciunt) tradere operas mutuas. Vale. Florentiæ, Idib. Ianuar. M. CCCCLXXXVIII.

ANGELVS POLITIANVS
Tristano Chalco suo S. D.

SIGNIFICAS mihi litteris tuis decuriam scribarũ tota sic delectari Miscellaneis nostris, vt inde me quoq; videlicet auctorẽ, quanto vix credibile sit amore prosequatur. Equidem habeo gratiã studijs meis, et vigilijs, in quibus acriter ab ineunte ætate, si minus cum dispendio bonæ valetudinis, certè sim periculo maximo versatus. Etenim quãuis ipsa sibi litterarum tractatio satis grande præmiũ sit, adeò scilicet suauis, et iucũda, tamẽ istiusmodi fit accessionibus, vt nullũ vitæ genus esse putem cũ litterati hominis otio, dũmodo nõ sterili, conferendum. Nec enim plures Iasoni, & Cadmo satu dentiũ nati sunt hostes, quã mihi satu Miscellaneorũ nati amici. De Tertulliano, quod requiris, Quintus Septimius Florẽs Tertullianꝰ appellatur, eiusq; legi libros, præter Apologeticũ, de pallio, de carnis resurrectione, de corona militis ad martyria, de virginibus velandis, de habitu mulierũ, de cultu feminarũ ad vxorẽ, ad Scapulã, de persecutione ad Fabiũ, de exhortatione castitatis, de patientia, de monagamia, de præscriptionibus hæreticorũ cõtra Hermogenẽ, aduersus Praxeam, Valentianos, Marcionẽ, Iudæos, hæreticos omneis. Ipse quorundã, præter hos, librorũ meminit à se cõpositorũ, qui nec extãt. Lactãtius, vt in omnibus eruditũ doctrinis, ita in eloquẽdo duriorẽ perhibet. Augustinus lapsũ quibusdã locis miratur, quãuis hominẽ doctissimũ, Cyprianus sua frequẽter scripta de illius fõtibus irrigauit. Reliqua super eo libellus Hieronymi virorũ illustriũ suppeditabit. Ex apologetico verò nimiũ tibi deerat, quod et huic epistolæ totum subnexui. Tu ceteros tamẽ etiã libros caue putes cũ apologetico cõferẽdos. tũ illud scio, volumẽ esse, quod desideras, prope immẽsum. Nã quod ad operã scilicet attinet meã, libenter equidẽ de illa tibi verbis eisdẽ spondeo, quibus Tertulliani libri.

Publio

Publio Septimio de ciuium fortunis Antonius. Quid cõcupiscas, tu videris. Quod concupieueris, certè habebis. Vale. Florẽtiæ, pridie Idus Ian. M. CCCC LXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS
Tristano Chalcosuo S. D.

Marianus Genazanẽsis theologus.

SCRIBIS Marianum Genazanensem Theologiæ consultum, qui sacras istic ad populum conciones habet, tanta esse omnium admiratione apud nos, vt eorum fa-cile fidem, quæ de ipso in Miscellaneis prædicauimus, absoluerit: Iri ad hunc plenis vndique vijs, allici lepõre verborum, suspendi sententiarum grauitate, flecti omneis orationis impetu, et viribus. Fatebor quid mihi vsu venerit, cùm primum hîc apud nos concionari cœpit. Acceßi vt audirem, sic quomodo alios consueueram, explorabundus, & penè (vt verum dicam) contemtim. Sed vt habitũ vidi hominis, & statum, quasiq; indolem quandã in oculis, & vultu minimè vulgarem, cœpi aliquid expectare iã quod essem probaturus. Ecce tibi igitur, præfari incipit, Arrigo iam tum aures, canora vox, verba electa, grandes sententiæ. Denique agnosco incisa, video mẽbra, sentio circunductum, capior numero: tũ partiri pergit, attendo: nihil impeditũ, nihil inane, nihil ibi quod caudã traheret: Texit deinde argumentorum nexus, illaqueor: retexit, expedior: inserit alicubi narratiunculas, ducor: modulatur carmen: teneor: iocatur nonnihil, rideo: premit, vrgétque veris, do manus: tentat affectus mitiores, statim mihi per os lacrymæ: clamat iratus, terreor, ac veniße iam nollem. Denique pro re ipsa, quam tractat, & figuras variat, & vocis flexus, & vbique actionem gestu commendat: Mihi verò etiam (vt fatear) crescere in ipso pulpito, nec supra sui modò, sed omnino supra hominis mensurã sæpe est visus.

Ac

Ac dum sic omnia, quasi singula contemplor, cessit miraculo iudicium. Putabã fore tamẽ, at consumta postmodũ nouitate, minus in dies me caperet. Ceterum contrà accidit, idẽ enim postridie, quasi alius audiebatur, sed illo ipso melior, qui pridie visus optimus. Nec tu illud corpusculum contemseris, inuictum, infatigabile est: vt non aliunde magis reparare vires, quàm de laboribus ipsis videatur. Quis inde autẽ tantum vocis, tantum spiritus, tantum virium, ac laterum speraret? Adde quòd & rusticatus quandoq; sum, domiq; cum ipso familiarius egi: & quidem nihil vidi placidius, nihil tamen etiã cautius. Non eius absterret seueritas, non item corrumpit facilitas. Alij cùm se magistros ecclesiarum profitentur, credunt sibi ius esse in homines vitæ, & necis: itaq; sic intẽperanter potestate abutuntur, vt nunquã superciliũ, nunquã pædagogi vultũ, & verba illa tetrica deponãt. Hic autem noster sic modũ tenere didicit, vt in ipso tantum pulpito censuram exerceat: cùm descendit, inuicem ciuilitas excipiat. Quare sic à me, sic à Pico itẽ Mirandula meo (bone deus, quo viro!) frequenter aditur, vt nullo magis q̃ sermone illius, & consuetudine, tristitiam literati laboris discutiamus. Nam Laurẽtius ipse Medices elegans ingeniorum spectator, quantum homini tribuat, nõ modo substructo protinus insigni cœnobio ostẽdit, sed multò etiã magis assiduitate quadã, cultuq;: sic vt vnã cum illo ambulatiunculam omnibus fermè vitæ vrbanæ discursibus anteponat. Itaq; te quoq; hortor, inspicias hominem (si potes) & explores, etiam de proximo, laudabis & hîc Politiani tui iudicium. Nec illi molestus vnquam venies, nescit offendi. Non enim is est, qui lucem refugiat, & oculos: puto, quia bona conscientia testibus omnimo gaudet, quamuis vtique non desideret.

Ecclesiarum magistri superciliosi.

Vale. XI. Kalend. April. M. CCCCLXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS
Antonio Pizamano S. D.

QVID esse hoc dicã vir doctissime, quòd illo ipso tẽpore, quo vos Ioanni Pico Mirãdulæ, me præsente, tu Grimanus cũ, non iam tuus potius, quàm meus, quanquàm mentito nomine, quanquàm dissimulata patria, quanquã sub mille inuolucris exhibuistis, non alium prius, aut libentius sermonem, quàm de vobis ipsis, licet aliò reuocãtibus, ac propemodum resistentibus iniecimus? An non, obsecro, vos surda, & ignara quædam naturæ consentientis ratio non modo personam detrahere illam vobis intempestiuã, sed & exprobrare fucum falsarum illiusmodi apud amicos imaginum videbatur? adeon' autẽ vos tum fuisse ferreos? adeon' quæso in illo malè mehercules lepido proposito pertinaces, vt cùm de vtroque vestrũ, tam ardenter vterq; nostrum sic à vobis, quasi certè nõ à vobis, quærebamus, & cùm apud vos de vobis ipsis, vt apud alios, tam ex animo, tamq; amanter loquebamur, duritiem tamen, aut obstinationem potius latẽdi, fallendiq; nos tandem semper retinueritis? O' (si nõ ita induxissetis animum) qui cõplexus, & quanta illa nostra extitissent gaudia. Quem diem nobis inciuili illo, ne dixerim crudeli cõmento, quem fortasse etiam vobis inuidistis. Etenim ego, ne posteà quidem lætitiam iudicij toto persensi pectore, cùm sub articulo vno temporis mihi vos pene prius abstulistis, quàm obtuleratis. Nam etsi enimus omnino inclinabat eôdem, vix tamen credere audebam vos eos esse bona fide, qui videlicet eratis: nec enim vel ab eis me anteà potuisse, vel tum quoque non iterum posse falli existimãbam, qui se nuper fefellisse cõfitebantur: vt ne illud quidem tantillum voluptatis liberum,

rum, sincerumq; mihi, & ab omni vacuum suspicione reliqueritis. Vt enim pisces, atque aues decepti semel ceteros etiam cibos, illi hamatos, hæ viscatos credunt: sic ab impostura nuper vestra, quod etiam merũ, sincerũq; fuit, esse id omne tamen dilutum mihi, atq; incrustatum penitus videbatur. Fecit isthuc ipsum olim in me Picus, verum longè ille mitius. Nam cùm me rusticantem temporarius versipellis adiuisset, ac sibi ludos pauliſper de amico cepisset, & de se quid sentirẽ callidè, quasi alienus exploraſſet: mox tamen vbi lusit satis, vltro se mihi ridens patefecit, vt omni prorsus erepta nube frui iam liberrimè suauissimi iuuenis præsentia, dulcissimóque colloquio licuerit, & veras audire, & reddere voces. Vos contrà immodici, nisi me fortuna reuertentem vestra ipsorũ cauſſa rure in vrbem, penè dixerim fugientibus in ipso limine obiecisset, taciti (quod adhuc abominor) taciti ambo, & ignorati mihi, tũ pro Venetis Vicentini, pro Pizanis, & Grimanis, nescio qui Porticenses discesseratis. Sed enim querelæ conticescant, seræ iam & nihil profuturæ, licitumq; amicis fuerit ludere aliquando ex suo commodo amicos, sicuti carissimos hominẽs etiam interdum numina solent, quod viri quidam sapientissimi prodiderunt. Venio nunc ad epistolas tuas elegantissimas, quas mihi, et Pico Lactantius noster diligentissimus reddidit, hoc est, vtranq; vtrique. Nam quod in hoc genere alteri datur, vtriq; profectò datur. Et quidẽ videris in eis mihi vel ob hoc ipsum neruos omneis tuæ cõtendisse humanitatis, vt quod peccaueras, antea te nobis coram diffingens, nunc absens eundem refingens pulcerrima vicissitudine redimeres. Etenim sic in litteris ipsis amor, humanitásque tua, & suauitas ingenij natiua quædam viuit, spirat, exhibetque se, vt non (quod soli-

tum est)in atramento, sed in penitißimis præcordijs intinxisse nobis scriptorium calamũ videaris. Ita quod ait Syracusius poëta, si quid nos anteà momordisti, nunc innoxium repetita etiam vtilitate reddidisti. Nã quòd breuiores fuerint epistolæ, dolemus quidem, sed eas arte lõgißimas, hoc est, à capite crebrò repetentes, facere dicimus. Sunt autem adhuc apud me litteræ quoq; aliæ tuæ, neque non simul & Grimani, quas abhinc annos fermè decem dedisti ad me. Nec illæ profectò indignæ, quæ tanquam semina iacerent adolescentes, qui quidem forent ad hanc vberrimam frugẽ peruenturi. Nempe igitur sicuti amatores munuscula suæ quisque Veneris diligenter seruant: anellum puta, catellan, sudariolum, violã quoque, nõnunquam rosam, flosculum: sic ego tuas illas, & item Grimani litteras amoris veri gratißima pignora, non modò paulò incuriosius non habeo, sed & sub oculos crebrò reuoco, nunc mihi ipse, nunc amicis recitans, atq; ita memoriam redintegrans, ita affectus renouans, ita cõsuetudinẽ mihi vestram quàm sæpißimè asciscens. Quare abs te iure quodam meo postulo, ne istud ad me scribendi officium omittas, cuius fructum tanti faciam. Sed cùm tibi à studijs grauioribus otium suppetit, otium illud in me potißimum transferas, operamq; mihi aliquam saltem vacui temporis impertias. Debes hoc amori meo, debes certè humanitati tuæ. Dominicum verò Grimanum lætor equidem legationis honorificentißimè perfungi munere: cupio tamen eum saluum quàm primum recipias, ne diutius à Musis feriatur, & vt docto multis pro merito laudibus ob Remp. bene gestam, non tuo modò, sed meo quoque nomine gratuleris, salutes, amplectarisq; reducẽ, tum qua poteris significatione, vnum me quoque illi inter longa prosequentiũ offi-

cia

eia rẽpræsentes. De codice autẽ nihil te equidem hortabor. Errarẽ potius, si causſam tibi meam cõmendandam putarẽ. Tantum dixerim vehementer me illum deſiderare, qui lectus à me libenter, custoditus diligenter, etiam deinde fideliter remittetur. Ioannes Picus Mirandula, quaſi Roſcius quidam litterarij theatri, reſpondebit arbitror & ipſe ad tuas litteras, quas videlicet gratanter accepit. Te cordi, et Grimanum, mecum ſimul infixos habet, & quidem trabali clauo: laudat vtrunque vbique, quacunq; occaſione, nec occaſio illi tamen vnquã deeſt. Sed & Laurentio Medici tuas ego ad me litteras recitaui, fabulamq; illi ſimulati nominis ridenti narraui totam. Caſtigauit tamen ille me verbis, quòd cognitos deinde, nõ etiam inuitos in ædes ſuas adduxeram, vt veteris cælaturæ vaſa, gemmasq;, quando id vos cupere dixeratis, pro arbitrio ſpectaretis. Negaui me parem duobus. Nam ne Hercules quidem contra duos: quod eſt in prouerbio. Verùm amat ille vos, fauet propoſito, doctrinæq; iſti vir vnus ad omnia magna, et honeſta natus, educatus, exercitatus, nec mimore à vobis (ni fallor) ſtudio viſendus, quàm illa ipſa cælamina, quæ prius appetita, dein tamen oblata continuò refugiſtis. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Franciſco Caſæ ſuo S. D.

ACCEPI epiſtolã tuã, qua mihi ſignificas allatũ iſtuc eſſe de machinula Automato, quæ ſit nuper à Laurẽtio quodã Florentino conſtructa, in qua ſiderũ curſus, cum cæli ratione congruens explicetur. Aisq; te cupere vt quoniam famæ fides derogetur, ego ad te de ea ſcribã ſi quid comperti habeam. Geram tibi morem. Et quamuis longo interuallo id opus ruri agens, haud aſpexi: tamen eius vel quæ forma ſit, vel ratio, vel vſus, quantũ conſe

αὐτόματος τοῦ

qui memoria potero, breuiter exponam. Quæ si tibi explicatio paulò videatur obscurior, non nostræ omnino orationi, sed ipsius etiam rei, qua de agitur, subtilitati, atq; adeò nouitati velim attribuas. Columella est quadrata, quæ pyramidos modo in acutum desinens fastigiatur, altitudinis ferè trium cubitûm. Supra eam pro capitello planus orbis est aheneus auro, & coloribus distinctus, & in cuius altera parte omnis siderum errantiũ cursus explicetur, cuius est dimensio cubitali breuior, rotulisq; intrinsecus, denticulatis agitur, circulo immobili summum complectente margine̅, quatuor & viginti horarum spatijs distincto. Intraq; eum in summo versatili orbe, signa duodecim suis discernuntur gradibus. Interius orbiculi octo pari fermè inter se magnitudine visuntur. Ex ijs duo medium obtinent punctum, alter scilicet alteri infixus, sic vt inferior maiusculus solem, superior lunam repræsentet: à sole radius ad circulũ pertingens, in ipso quidẽ horas, in signifero verò menses, dies, graduumq; numerũ, verũq;, & mediũ (quod aiunt) solis motum pariter indicet. A luna item stylus prodit, ipsius horarum index, quæ scilicet inferius in limbo ipso maioris orbiculi designantur, perq; lunaris epicyclij transiens centrũ, signiferumq; contingens, medium sui sideris declarat motum. Alter itẽ indidem exoriens, lunarisq; centrum corporis, hoc est, epicyclij ora secans, verum eius locum manifestat. Quò fit vt & tarditas, celeritasq;, & motus, cursusq; omnis, & coitus item, pleniluniaq; visantur. Circũ hos orbiculi sex, quorũ vnus, quẽ Draconis caput, caudamq; vocant, solis pariter lunæq; defectus insinuat. Reliqui planetis attributi. Quorũ à singulis binæ eminent cuspides motuũ indices, perinde atq; in luna ostẽdim⁹. Sed ij retro quoq; graduntur, quod

Astronomici instrumenti descriptio.

quod nequaquam in luna vsuenit, vtpote cuius in contrarium feratur epicyclios. Ita & coniunctionum, & recessuum, & latitudinum ratio in singulis manifesta. Est præterea limbus alius signiferi instar. sex illos, quos dixi, planetarũ orbiculos supernè secans, vnde & oriẽtium gradus signorum, & dierum spatia, hoc est, quota sol ora exoriatur apparet. A quibus singuli planetæ orbiculis deferuntur, & vicissim interdiu quidẽ ad orientem, noctu verò ad occasum commeant. Contrà orbis ipse amplissimus noctu ad orientem, interdiu ad occidentem, quatuor & viginti horarum spatio planetas torquet. Quæ scilicet omnia cum cælo congruere ipso & ratio cõuincit, & peritissimus quisq; consentit. Nec est quòd mireris incredibilia hæc videri permultis. Quippe (vt est apud quendam) Tarda solet magnis rebus inesse fides. Vix ipsi, inquam, oculis credimus, cùm hæc quotidie intueamur. Atque adeò cùm legerem aliquando tale quiddam fabricatum Archimedem Syracusanum, vacillabat etiam in tãto auctore fides, quam planè hic noster absoluit. Et ipso quidem opere laus omnis inferior est: neque enim aliter laudari pro dignitate potest, nisi vt omnem illi laudem esse imparem fateamur. Ipsum certe artificem dubium est morũne, & probitatis, candoris q;, & sanctitatis, an ingenij magis causſa admiremur, sic vt & cælitus demissum, & in cælo ipso cælum didicisse existimemus. Vale. Fæsulis, VI. Idus Augustas. M. CCCCLXXXIIII.

ANGELVS POLITIANVS
Philippo Posco S. D.

GRATVM fecisti quòd epistolam, quòd versiculos misisti. Quæris quid sentiam, breue faciam. Recti sunt, fe-

festiui, arguti, pleni sensibus, & aculeis. Dicerē cōsummatos, nisi non cum sæculo hoc illos, sed cum vetustate cōmitterem. Quòd autem rogas, cur ego has particulas, quodquod, & adq;, per d, potius quàm per t, litteras notem, facile responsum. Ac ne aut te circunduci, aut etiā falli putes, pauculos testes, neque eos tibi non domesticos citabo. Est in atrio capitolino ad sinistram opinor ænei Herculis, haud ita pridem inuenti, marmor quoddā vetustis, ac iam penè exoletis incisum versiculis, quorū initium est: Hercules inuicte. In eo hoc quoque legitur,

Quodannis. Administrandum quodannis. Adstipulatur etiam huic scripturæ ille codex antiquissimus Virgilianus, qui istic in intima Palatina bibliotheca adseruatur, maiusculis characteribus exaratus de quo paucula mecū recognoscas licet ex Bucolicis modò, & Georgicis, ne totum tibi sit volumen explicandum. Pocula, inquit, bina nouo spumantia lacte quodannis. Et paulò pòst: Vt Baccho, Cererique tibi, sic vita quodannis. Et rursum: Degenerare tamen ni vis humana quodannis. Item: Nanque omne quodannis Terque quaterque solum scindendum.

Adque. Sed & illud, adque, pari ratione notatur. Neque te moueat quòd in ponte illo Anienis à Narse constructo deprehendas aliter: atque interruptum continuatur iter, nisi si illi inerudito sæculo standum putas. Ego Quintil. sequi malim, qui in primo de Oratoria institutione libro, velut frigidam eludit, quæ sit à multis seruata differentia, vt ad cùm esset præpositio, d, litteram, cùm autem coniunctio, t, acciperet. Itaque veteris adhuc scripturæ vestigia in codē inuenias Virgilio: vt, Adque humiles habitare casas. Ad mihi sese offert vltro. Adq; iterum ad Troiā. Adq; ære Menalca. Adque solo proceras erigit aluos. Adq; vtinā ex vobis vnus. Adque aduersos

Ad, & At.

deti-

detinet hostis. Et mille alia, vt minore etiam, quàm sum pollicitus, me pomœrio circũscribã. Quærit insuper de nobis Lollius noster, cur idem in verbo adgredior seruemus. Ducitq; eum (ni fallor) cùm consuetudinis vis, tũ Prisciani auctoritas. Sed ego à consuetudine hac praua ad rectam vetustatem prouoco. Inspice (si est otium) librum eundẽ, ita opinor inueneris: Adgredere ò magnos, aderit iã tẽpus honores. Et itẽ: Adgreßi: nã sæpe senex spe carminis ambos Luserat. Neq; mihi sanè hoc quidem loco non imbecilla etiam (adsit venia dicto) ac vacillans Prisciani videatur auctoritas: quippe qui etiã censeat, errore magis scriptorum, quàm ratione factum, vt adfatur, adludo, adrideo, adnitor, adsumo, d, retineant. Quis enim putet etiam in nummismatis ipsis Cæsaribus consecratis, id mendum admissum? in quibus cùm alia ad eundem modum, tũ certè adlocutio, d, littera notatur, nunquam l. Sed vos nimium belli homines, ac faceti, planè me luditis, qui domi Pomponium habeatis hominem totius antiquitatis, omnisq; adeò litteraturæ consultißimum. Itaq; ego ineptus etiam Athenas noctuam. Sed iam vale, nostrasq; Lollio occupationes excusa, ad quem scilicet nullas huic quidem tabellario litteras dederim. Vale.

Adgredior.

Numismatum fides.

Adlocutio.

Pomponius.

Lętus.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI Gottio Ragusino S. D.

CVM per hos quadragesimæ proximos dies enarrãdis populo sacris litteris essem occupatus, perlegi tamẽ libros carminũ tuorum, quos mihi tu pro singulari humanitate tua, mutuoq; inter nos amore dedicaueras. Hi me scilicet cùm voluptate maxima, tum maiore prorsus admiratione effecerunt. Nam quẽ nõ obsecro, suauitas illa tanta, lepor, elegantiaq; versiculorũ, tot aculei, sales, argutiæ, tanta eruditio, tãta varietas, tãtæ vbiq; Veneres,

Politiani eccleſiaſtes.

Gratiæq; delectent? Quis non attonitus audiat hominẽ ab Illyrio, mercimonijs (vt inquit Plautus) emundis, vendundisq; occupatum, florentibus adhuc annis, tantos in omni poëtice feciſſe progreſſus, vt non ſolùm cum ſuæ ætatis hominibus, ſed cum ipſa planè antiquitate cõferri poſſit? Perſequerer nimirum ſingula mi Ioannes, quæ ego in tuis poëmatis audacter contra veteres ſtatura deprehenderim, ni metuam, ne aut plus paulò indulgere amori, aut aſſentatiuncula aliqua videar te velle demereri. Sed planè ita ſentio, eſſe hos libellos ita examußim perfectos, atq; ad ſummũ abſolutos, vt ne ab liuore quidem iure valeant reprehẽdi. Debet autẽ tibi hoc noſtrũ (qualecunq; eſt) ſæculum, quòd tu videlicet par veteribus in hoc ſaltẽ laudis genere reddidiſti. Equidẽ gratias tibi ago immortaleis, vtpote quẽ tuis illuſtrando carminibus immortalitate donaueris. Ita enim mihi perſuadeo, tam lepida iſta poëmata, tam venuſta, tamq; ornata, & pulcra, omnem eſſe iniuriã temporum ſuperatura. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Roberto Saluiato ſuo S. D.

BEATVS es gratiæ mi Roberte, quem ſic docti certatim laudant, vt tum denique docti credantur, cùm te maximè laudauerint. Prodigioſus honor, ſed tuis meritis non indebitus. Facit enim ſedulitas erga hunc ordinem tua, non vt ineptus, aut adulator, qui laudet, ſed vt impius, aut ingratus habeatur, qui non laudet. Adeò quippe doctorum ſtudioſo fauetur, vt in ipſum nec inuido quidquã liceat. Quare ne, quæſo, morum talium pœniteat, quibus ad ſplendorem nominis plus multò proficitur, quàm triumphis. Nunquam enim veſtigia gloriæ obliterantur ab hominum doctorum impreſſa, non ingenio dixerim, ſed animo. Vale.

Studioſos doctorũ ab omnibus laudari.

ANGE-

ANGELVS POLITIANVS ANDREAE
Magnanimo suo Bononiensi S. D.

NEQVE desidiæ meæ, neq; occupationum culpa omnino est, licet harum quoque nonnulla sit, quòd ad epistolam superiorem non rescripsi hactenus, sed tuæ potius facilitatis, notæ iam sic omnibus, vt ob eam protinus & ego licere in te mihi omnia existimauerim. Qui si nomẽ hoc humani retinere studes, quod vsu penè iam fecisti tuum, nec irasci silentio nostro potes vllo pacto, nec debes. Quòd Miscellaneis nostris ita faues, vt Atticis quoque noctibus eas compares: equidem vellem minus vulgò humanus habereris, vt non ex ingenio tuo semper ad officium parato scribi talia, sed ex operis ipsius merito crederetur. Tu perge nihilominus ornare isto pacto me vel immerentem. Non minus enim plerunque delectat falsa, quàm vera laus: sicuti gratius accidit ferè quod dono datur, quàm quod ex debito. Vale. Florentiæ, XVII. Kal. Feb. M. CCCCLXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS
Andreæ Magnanimo suo S. D.

EFFLAGITARI scribis istic ab ijs, qui libros excudũt formis. Herodianũ meũ. Meum enim iure appello, quem quasi Latinitate donauerim. Tum rogas codicẽ tibi ipsum tuũ remittã aliquãdo nostra (quod illos cupere ais) manu emendatũ. Remitto, sed (vt verum fatear) leniter potius, quàm seuerè castigatũ: sic autẽ vt nostra errata plura in eo, quã librarij deprehendas: Crediderim tamen stylo ipsi certè meo, hoc est, interpretis, plus aliquantò veniæ deberi, q̃ auctoris: quoniã meliusculè respõdẽt ferè, quæ scribas, vbi sit liber quasi cursus, q̃ quæ vertas, vbi nihil extra præscriptũ. Accedit et illud, q̃ hoc mihi mun⁹ interpretãdi quasi leuioris operæ fuit, vtpote qui die-

Interpreti veniam deberi.

diebus pauculis dictauerim sic deambulans. Itaq; tantū abest vt mihi inde laudem petam, vt etiam abundè pulcrum fore putem, si vitauero grauiorem culpam. Quare cùm amicis reliquis, tum tibi in primis omnem huius operis defensionem non remitto solùm, sed etiam propè interdico, vosq; integros ad alia reseruo, quæ pòst edētur. Sed quanquàm plurimi sunt apud vos, qui mihi etiā plus nimio fauēt, vnus tamen es tu Andrea Magnanime, cognomento isto tuo gentilitio dignissime, quem equidem faciam plurimi, cùm quod ex bonis ortus, & opibus flores, & honoribus, tum vel maximè quòd ingenio es elegantissimo, moribus suauissimis, gratia penè quadam, quidquid ais, quidquid loqueris, imò etiam si nihil agis, nihilq; loqueris, singulari, ac vultu denique ipso (quod dicitur) homines deuincis. Itaque nihil quenquā metuo, vbi tu mihi studeas. Nunquam enim malè de Politiano sentiet, qui placere eum Magnanimo intelliget. Vnum tantum est, quòd à te nunc contendo. Cures pro reliqua in nostris rebus diligentia, vt quàm minimum quasi degenerēt ab origine, quæ mox volumina formabuntur: vtq; ne illæ ipsæ quidem adnotatiunculæ omittantur, quas marginibus adscripsimus. Inter eas verò etiam locos puto treis, quatuórue ad summum reperies, vbi fuit excusatione vtendum corrupti apud Græcos exemplaris. Ad hæc verò facilè procuranda, obeundáq; magis idoneum habere, magisq; ex vsu tuo neminem possis, quàm Alexandrum Sartium, ciuem tuum litteratum hominem nostriq; studiosum, tum (quod ego in hac re primùm puto) neutiquam in amici negotio dormitantē. Vale. In ruſculo Fæsulano, pridie Nonas Maias. M. CCCCXCIII.

AN-

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER QVINTVS.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Scalæ s. d.

ET tu mihi superioribus diebus apertè dixisti, & abs te auditũ multi retulerunt, nõ placere genus scribendi meum, propterea quòd ascita nimiũ verba, et remota consecter. Me quoq; esse quendã (sic enim soletis dicere) ferrumina- Ferrumi-
torẽ. Vox enim hæc apud te significare iãdiu cœpit eũ, nator.
qui verbis istis paulò minus vulgatis vteretur. Nam Hermolaum Barbarũ, quasi per iocum vocare ferruminatorẽ soles (vt audio) quia verbum fortasse istud aliquoties ille vsurpauisset. Sed ego, mi Scala, quemadmodum tibi facilè concedo vocẽ infrequentem non temerè recipiendam: sic è diuerso contenderim, non debere esse cuiquam fraudi quòd Latinas, & apud idoneos auctores reperitas in vsum reuocet, ac vetustis dare nouitatem studeat, nec vacare omnino patiatur, quæ temporum culpa prorsus in desuetudinem abierunt. Etenim si quæ cuique obuia sint, ea tantum noster sermo recipiat, nulla magis, quàm tabellionũ lingua vtemur. Ad Ciceronem verò q. me reuocas, auctorẽ quidem Latinæ linguæ summũ, nec tamen solum, quæro quid alijs facias, quorum testimonia vim sententiæ semper apud eruditißimum quenq; habuerunt? Quæro itẽ, quid vni saltem Varroni respondeas, Varro.
qui quidem sicuti Ciceroni palmam concedit orandi causſas, ita Latinè loquendi sibi retinet? Quæro etiã, an

quasi

quasi barbaros quosdam reijcias Liuiũ, Sallustiũ, Quintilianũ, Senecã, Plinijũ quoq; vtrunq;, multos alios præterea tot sæculorum suffragijs cõprobatos? præsertim cùm diuersissimè iã quidam dubiã fecerint palmã: velut apud Græcos Herodotus in historia, & Thucydides, apud nos autem Liuius, & Sallustius. Quid quòd & Cicero dissimillimus Demosthenis? Nihil enim adijci alteri, nihil alteri detrahi potest: videlicet orationis ille succus alteri quidẽ penè deest: alteri verò quasi superfluit.

Demosthenes. Cicero.

Ferrumino. Ceterum cur hoc ipsum verbum Ferrumino tanto cum risu profertur? cùm sit proprium, simplex, non malè sonans, non obsoletum, quo nec Plinius ipse propietatis adamator, nec Iurisconsulti abstineant, qui vocabulorũ sibi vim iure quodã suo præ ceteris vindicant. Eóne igitur, quoniam semel aut iterum sit vsus Hermolaus, meritò aut contemnitur, aut irridetur? Multa tu quidem (credo) scripsisti, non multa adeò tamen edidisti, quæ vulgò ferantur. Sed historiam certè cõponis, longum opinor opus, & arduum. Quod ergo in te statuis exemplum, sine bonorum quidẽ auctorum vocibus vtemur tutò? Fateor tamen rationem habendam vel materiæ, quam scribas, vel personæ, ad quam scribas, vel temporis, in quo scribas. Non enim idem Ciceronis actiones, & Apuleij Milesias fabellas decuerit. Alia enim quasi lingua, qua ludimus, alia, qua seria peragimus. Nec eodem sermone puerũ, quo doctũ hominẽ alloquaris. Nec rursus eodem modo ad amicos, quo ad ignotos, nec eodẽ ad principes, quo ad priuatos scribas. Quare Cicero quoq; tuus, fortasse autẽ & meus ita sibi dissimilis aliquando deprehenditur, vt non omnia perinde scribit, eiusdẽ prorsus esse auctoris videatur. Sed te cẽsorẽ scala facile ferimus, hominẽ tot annos in litteris nõ sine gloria versantẽ. Malè do-

doctos quosdam ferre ita non possumus, qui tamen ipsi quoque omnia exigunt ad Ciceronis gustum. Sæpé enim hoc vsu venit, & quidem cum magno meo interdum vel risu, vel stomacho, vt illa ipsa in nostris scriptis potissimum reprehenderent, quæ in bonis emendatisq; Ciceronis exemplaribus reperirentur, cùm tamen ipsi voces omnino barbaras pro Ciceronianis vsurparent, quas videlicet excusores isti nouorum librorum Teutones peruersissimè aliquando effinxissent. Iam præceptum illud Cæsaris, quod obijci protinus solet, vt tanquam scopulum refugiamus infrequens verbum, magis fortasse illo sæculo valuerit, quo Latinè adhuc omnes loquebantur, quàm nostro. Iure enim tum poterat argui, qui parum contentus foret ætatis suæ vocabulis. Nunc autem vulgò Latinus sermo nascitur, nec à nutricibus iam, sed à magistris discitur. Apud quos certè nulla magis haberi verba & vsitata debent, & recepta, quàm quæ de veteribus illis magnorum auctorum thesauris proferantur. Hæc ego ad te liberè quidem, sed & amicè scripsi, mi Scala, non tam meipsum videlicet asserens à risu tuo, quo equidem non offendor, quàm Hermolaum ipsum Barbarum leuiter defendens, hominem sæculi nostri eruditissimum, deq; litteris, & Philosophia, dum vixit, optimè meritum. Liceat autem mihi per te (vt opinor) quæ tua est in rebus omnibus æquanimitas, sentire aliud omnino in litteris, quàm tu sentias, dùmodo nulla inter nos amoris, hoc nomine, beneuolentiæq; mutuæ iactura fiat. Vale. VIII. Kalendas Ianuarias. M. CCCCXCIII.

Teutones nouorum librorum excusores.

BARPTOLEMAEVS SCALA
Angelo Politiano suo S. D.

CONVENERANT in coronæ modũ quidã docti videlicet, et litterati homines, ac cùm de studijs (vt ferè fit) sermo

sermo incidisset, de diuo Hieronymo frequētior oratio fuit, vt ne verbera quidem ante æterni iudicis tribunal, quòd Ciceronianus, non autē Christianus esset, tacerentur. Theodorus Gaza, qui et ipse fortè aderat, vir profectò, quantùm possum ego iudicare de litteris, præclara eloquentia, ridens facetè admodum questus dicitur iniuriam viro sanctißimo immeritißimè illatam. Ita cum risu soluta concio est. Sed quorsum fabella, inquies mi Politiane, deliciæ vrbis huius? quoniā et mihi quoq; nūc Theodoro aliquo opus est, qui me eximat de Ciceronianorum grege. Nam quis est tandē, qui me vsquam huiusmodi notauerit? qui ne inter mediocriter quidem eruditos connumerari iure queam. Sum enim quißpiā de populo (si nosse me vis) eloquentiæ Latinæ studiosus, affectatorq;, atq; admirator bonarum artium, ipse tamē triuialem vix aliquā eloquentiā, doctrinamq; consecutus. Nā testes profectò, qui id à te mendacij detulerunt, falsum te nimirum habuere, ne me indicta causſa condemnes. An ego Sallustiū, an Liuium despexerim? quorum altero nihil in scribēdo ingeniosius, aut exactius crediderim: alterius grauitatem orationis, atq; maiestatē admirari satis pro meritis nemo potest. Nam quod de Quintiliano addis, & Seneca, & Plinijs ambobus, diuersa ratio est, valde quidem tum rebus ipsis, tum elocutionis genere dißparibus. Sed quando ad has me modò disceptationes eleganti epistola tua reuocauisti, agam ego tecū iā amicius, vt voluisti, & liberius. Non enim stylum ego dūtaxat non probaui tuū aliquando, quia nimis affectata videretur oratio: sed & alia fuerunt, in quibus à tuis ego opinionibus facilè dissentirē. Neq; vnquam satis dignā putaui causſam, quæ tantas turbas cieret, vt Vergilius scriberetur pro Virgilio, siue à verendo, vt videri velle

Vergili⁹, an Virgilius.

vis,

vis, quia & Parthenius dictus sit: siue a virendo, quod multò magis placet. Quid tandem flagitij est, si hoc, vel illo potius modo pronunties? Minutior (mihi crede) res est, quàm quæ bona diutius ingenia distorqueat. Idem de duobus quoque aduerbijs dixerim totiens, et quotiens. Placet tibi ea scribi absq; n littera, & arbitror auctorẽ habere te, ac causſam cur ita placeat. At videbatur aliter Prisciano nobili Grammatico, idq; vsus cõprobauerat. Num capitale fuerit, si quid peccaris tale? Nam intelligo quod dici contendis oportere, ab frequentiore scribendi vsu reuocauisti, vt isto iam exemplo, et cõpremo, & redemo, vt alia multa prætermittam, non comprimo, & redimo dicendum sit. Et quidem i[illegible] fortasse [illegible] At indigna certè tot iam, tantisq; studiosorum hominũ digladiationibus. Aduleſcentem quoque dicere te pro adoleſcente aiunt. Quam ego opinionem tantum abest vt probem, vt tetrasticho etiã olim, cùm ex alijs quoq; idem audiuiſſem, ſum proſecutus. Neque alienum mihi nunc videtur, ſi hoc idloco appoſuero.

Totiens. Quotiẽs

Intelligo.

Compremo. Redemo.

Aduleſcens.

Nunquid aduleſcens ἀπὸ τῆς ἕδρας vt adulor
Fiet? & à cauda nomine, nomen erit?
Αἰσχρὸν τὸ ὄνομ' ἐστίν nomen tolle ergo pudendum
Cenſeo, quodq; adolet Papiriane voca.

A cauda.

Turpe hoc eſt.

Plura ſunt huius generis, quæ prætereire nũc neceſſe eſt, ne fiat fortaſſe faſtidium hinc lectoribus. Ferruminator tamen, de quo tu tã multa, dicẽdus eſt prius: quod verbum ſicuti aſperũ natura pronunciatũ eſt, ita minus vſu emollitũ arbitror: niſi eo proprie vtaris, & neceſſitate ſignificãdi quadã, vt illi ipſi, quorũ affers teſtimonia, factitaſſe mihi videtur, fugiendũ eſt. Ad alias enim rerũ notas duriter trãsfertur. Et r quidẽ littera natura aſpera eſt. τραχύτης γράμματός ἐστι, dit Dionyſius. Poëtæ quo-

Aſperitate autem offendit R.

que & ipsi, atque oratores, si quando in res inciderint paulò crudiores, vt eas exprimant accommodatius, asperentq; verbis, crebrius inferunt eas dictiones, quæ eius soni plus habent. Si enim geminaueris, multò rugire videtur asperior, vti in terra accidere videmus, & serra. Cuius ne ferre quidem stridorem aures quorundam possunt. Quid curro: nónne strepitum etiam præ se videtur ferre currentium? Quid autem carri? num canthorum quasi fragore quodam pertundunt auditi? Ex eodem videntur genere error, marræ, susurri, barrhi, horror, ferrum, terror & huiusmodi sexcenta, quæ enumerasse abste est. Adde quòd adeò absoletum puto, vt vix é pluri-

Ferrumẽ. [illegible] inueniat, qui ferruminandi vim, naturamq; nunc planè teneat, aut vnde sit dictum. Nam si Liuius ferrumen posuit pro bitumine, aut bitumen est ferrumen, aut aliud quiddam, quod ego ignorare me fateor, neque inueni adhuc, etsi multum, diúque quæsiuerim, qui scire id se profiteretur: nouisse arbitror te tamen, atque Hermolaum, virum certè in litteris ijs nostris minimè contemnendum, qui ita & vtamini liberè, atque insolentiã verbi defendatis. Hermolaum enim etiã sum ob virtutis excellentiam admiratus, nedum ferruminatorem non riserim. Nanq; inter eos qui hac tẽpestate bonis artibus excelluerunt, libenter cõnumerem. Verùm vt quod sentio fatear, è nostris temporibus plus spei mihi videntur illa præstare, quàm rei. Ac soleo idsæpe cũ Landino nostro, quicũ propter cõmune litterarũ scribendi publicarum munus cõgredior frequẽtius, neq; est de quo colloquamur, quàm de ista vestra humanitate auidius: soleo, inquã, præ antiquis nos appellare homullulos, qui etsi ipse quoque multa scripserit appositè, atq; eleganter, edidit tq;, vt inde subtimere scriptis suis possit, si vetustatis

gan-

candidissimum illum splendorem non attigerint: nihilominus tamẽ, quæ viri modestia est, haudquaquàm repugnat obstinatius. Plusculum verò nescio quid quàm ego, videtur huic ætati tribuere. At ipse cùm rem militarem, cùm litteras, cùm philosophiam, cùm picturas, sculpturasq; nostras, reliquaq; ætatum ornamenta considero, et confero cum vetustioribus, quid putas? cadunt animi, pudereq; incipit nostrorum studiorum, nisi astrologia forsitan redimat, et solatium afferat prostratis. Quæ adeò iam insaniæ redegit nonnullos rerum profitenteis futurarum scientiam, vt ne vespertilionum quidem, aut papilionum, & cicindelarum motus vllos fieri sine fato putent. Verùm enimuero non frustra erit, opinor, ad nepotes, & posteritatem prouocatio: & profectò tua maximè opera, qui meliorem nobis legendo, & docendo Florentinã reddidisti iuuentutem. Multa iam, & magna videntur iacta esse fundamenta gloriæ litterarum: sed nõdum ad frugem quod dicitur, peruentum, nisi me aut iudicium animi mei, aut desiderium consequendæ tantæ dignitatis fallit: at in desiderio quidem, antiquo prouerbio, vel celeritas mora est. Nunc venio ad eum locum, qui est in tuis litteris de scriptis meis, vt hac quoque de re, quod est, non differar. Quæ scripsi ego quidem, parũ multa sunt: edita verò nulla, nisi quæ aut imprudentiore in ætate pueriliter penè exciderunt, aut extorsit necessitas. Non enim digna mihi visa sunt, quæ in manus eruditorum emitterentur: vt autem legerentur ab indoctis, non fuit desiderium: quid enim nisi vanum inde, atq; infructuosum expectandum fuit? Contra illorum opinionem, qui prius etiam quam atramentum (quod aiunt) exaruerit, informatores habent librorum paratos, & multa millia eiusdem scripti exemplaria per Italiam, or-

bemq; terrarũ legenda diſſeminant: vt quaſi latioribus ex campis vberiores famæ ſuæ fructus percipiant: ingenti profectò de ſe potius, dèque viribus ſcribendi ſuis, quàm de aliena virtute proferre ſentẽtiam videntur. Id tamẽ ineſt in re periculi (niſi fallor) quòd quæ ita ediderís, non in nonum preſſa annum (quod Flacco placet) ſi quid humano more aberraueris, ad limã vix redire poſſunt ſine dedecore: quod etiam quibuſdam, qui feſtinantius ſua impreſſere, accidiſſe certum eſt: ſed detur iſta venia doctioribus. Quonam pacto feremus eos, qui rerũ ignari cunctarum, blaterant tamen & ipſi multa, atque oblinunt, necdum finita informant, vnde ſunt Nymphales, quos vocant, vnde Morgantes, Dryadésque, & infinita penè monſtra, quæ vulgò decantantur, vt vel hinc facta nota aliqua videatur informaturæ arti, quæ iſtam occaſionem præbuerit indoctis, doctisq; ita inſaniendi, vt ſit verũ illud, quod dicitur, Nihil beatum eſſe ab omni parte. Sed certè ſum longior, amoris vinculo extractus, quo te complector, colóque atque admiror. Quæ reſtant, reſtant autẽ plurima, agemus coràm melius cùm voles, vel domi otioſius, ſi fortè plebeias ſpectatorum turbas vereamur. Vale. Domi, pridiè Kalend. Ianua. M.CCCCXCIII.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Scalæ ſuo. S. D.

ITA reſpondebo ad epiſtolam tuã Scala doctiſſime, qua mihi multa, ſed leuicula obijcis, vt iocer interdũ tecũ liberius, et cauiller: quod quoniã et liberale eſt, et ad imitationẽ tui ſuſceptũ à nobis, credo non ſuccenſebis. Ac primò quidẽ quòd vereris ne te inter Ciceronianos numeremus, ſuſpicione iſta falſa te libero. Nec eſt cur Theodorũ deſideres ob id aliquẽ: tale nihil de te (crede mihi)

mihi) homines existimãt. Nec verò ego id vnquã dixi: nõ sum tam temerarius, nec audax, nec mendacia qui loquar libenter. Nam quòd Liuium modò, & Sallustiũ probas, Quintilianum, Senecã, Plinios ambos reijcis, caussa est, opinor, quòd otium tibi nondum fuit historiam scripti tanti, etiam horum virtutes inspicere. Sed & affectatã videri tibi orationem meam facilè patior, quoniam dictandis epistolis scriba publicus assuetus probare eum stylum maximè debes, qui à vulgari consuetudine minus abhorreat. Nec in eo tu reprehendendus tamen, quoniã plerunque ad indoctos epistolæ istæ vestræ mitti solẽt: nos contrà, qui iuuentuti veterum scripta prælegimus, delectum habere verborum sententiarúmque didicimus. Nec ipsi nobis, vt auribus indoctorum seruiremus, eloquentiæ meliorem partẽ sponte abscidimus. Hoc vos affectatum fortè putatis, quo maiestas quædam potius linguæ continetur, & sanctitas. Ex quo Sallustium quoque ipsum, quem iure mecum probasti, quidam tamẽ vt affectata scribentẽ notissimo epigrammate incesserunt. Iam quòd minuta quæpiam, quæ ad orthographiam potissimum pertinent, adeò improbas, vt penè tragœdias excites, rogo te mi Scala, ne mihi inuidiam istam facias, nec ob id turbas cieri, aut studiosorũ digladiationes misceri, aut distorqueri bona ingenia clamites, propterea quòd Vergiliũ scribere malo, quàm Virgiliũ. Non enim, puto, ad pileum seruos ideo voco, non aduersus optimates armatam multitudinem concito: quin deierare tibi persanctè possum, nunquam me ob eam caussam nec cum quopiam verba commutasse, nec in eo mihi aliquem repugnasse præter te vnum. Diu verò ista, qualiacunque sint, nõ iuuentus modò nostra, sed & doctores plerique pronis auribus acceperunt, vt nec Landinus ipse

Sallusti⁹,

Landin⁹,

præceptor olim meus, nunc autem vtriusq; nostrũ collega, magnæ vir in litteris & auctoritatis, & celebritatis, aliter iam pronuntiet, quàm Vergilium. Quòd si tu Virgilium mauis, non equidem clamo flagitiũ te facere. Quid enim mea id refert? Non te scilicet docendũ suscepi, sed Florentinã iuuentutem. Ceterum de isto quidem, quæ dicenda videbãtur, abundè in Miscellaneis exposui: simul ijs respondi obiter, qui modum statuere nostræ industriæ conabantur, ac me in crimen vocabant, quòd ad hæc minuta, & vilia non conniuerẽ, quasi verò ista me vel à linguæ vtriusque, vel ab ipsius denique philosophiæ, ceterarumq; artium bonarum professione auocauerint. In quibus iam multos annos magno quidem cum labore, nescio verò an & cum laude adhuc aliqua
Vergilio. versor. Nam quòd me credidisti Vergiliũ putasse à verendo deduci, risi, fateor, nõ mediocriter. Quis enim ad te ista detulit, quæ ne cogitaui quidem? Sed audi ad cetera, de quibus adhuc nihil quidquã mandaui litteris, ne
Totiẽs & Quotiẽs. me nugis duntaxat istis censeri putes. Totiens & quotiens defendis auctore Prisciano, ceu verò non & ipse hoc semper affirmauerim, analogiam quidem postulare quoties, toties, sicuti decies, & millies: Prisciano autem auctore etiam n litterã in his duobus, vt in illo, multo-
Multotiens. tiens, interponi. Nec verò negat Priscianus & sine litte ra n vtrunque vsurpari, sed et n ait interponi quoniã, credo, quibusdam rectius ita tum videbatur. Esse autem hoc vitium seræ iam, & affectæ Latinitatis aduerbium quoque illud multotiens testatur, quod arbitror apud idoneos non reperies. Illa verò ætas, & item paulò supe-
Centiens. Milliens. Vicensimus. rior centiens quoque, & milliens, item vicensimus, triensimus, interposita n littera vsurpabat, quod in Pandectis ipsis archetypis, Iustiniani principis, vt erratum

libra-

librarij semper inducitur. Iam intellego vt dicã potius, quàm intelligo, vetustis exemplaribus adducor, præsertim si nec grammaticorum repugnet auctoritas, nec analogia. Sic enim intellego videtur, vt pellego. Tum ab interlego formari ait hoc verbum Priscianus, r littera in l conuersa: sicut à perlego illud pellego. Rursusq; idẽ quo loco e verti ait in i, à lego affert diligo. De hoc autem intelligo penitus tacet. Postremò alibi quoque et intellego, inquit, intellexi: quod antiqui dicebãt interlego interlexi. Vides igitur vt interlego apud antiquos fuit, de quo versa r littera in l, postmodò intellego sit factum. In adulescentem verò tetrasticho etiam lusisti, verba scilicet Græca Latinis admiscens: ne perdidisse operam te credamus, quòd homo senex in Græca schola sedere cœperis sub magistro, Catonem puto illum Censorium æmulatus. Et sunt quidam tui familiares, qui latere cauillum nescio quod in calce dicant istius epigrammatis, quod equidem nec agnosco, nec credo. Nam & tu homo prudens non temere ieceris in alterum, quod in te facilè reijciatur. Et me adeò morum non pœnitet, vt si turpiculè, aut nequiter quippiam dixeris, pertinere id ad me ideo credam. Verùm vt iocos tuos omittam, si modò ibi iocus est vllus, rogo te, vnde expiscatus adulandi verbum Græco intellectu deduci à cauda, nulla penè inter se similitudine, cùm transpositis potius litteris credatur ab adludendo? Sed adulescentem scribi negas oportere u littera, cùm adoleo dicamus. Quæro autem ego nunc abs te, cur non inde adoltus potius quàm adultus? videlicet nescis quanta sit harum cognatio inter se litterarum, nec apud Latinos modò, sed & apud Græcos. Aut te illud saltẽ fugit, o littera nouitiã fuisse o litterã, qua etiã aliquæ Italiæ ciuitates

Intellego, sicut Pellego, &c. Interlego

Adulescens.

o littera nouitia.

caruerint, & eius loco u posuerint, vt Thusci mystri, et Vmbri. Quo nomine in vetustis adhuc vrbis monumentis, & sacerdus pro sacerdos, & epistulis pro epistolis, & nungento pro nongento, multaq; itē ad id exemplum conspiciuntur, quæ tamen ego nō omnino sequor: sed et cur non sequar, certa ratio est. At enim adulescens nō modò in veteribus libris cum littera u, plerunque reperitur, sed & tertiam quoq; à fine producit syllabā, contra originis naturam, quod ille indicat versus: At leuis ille deus, cui semper adulescentum. Sicuti apud Maronem, Vpilio, sicuti fortè apud antiquos omneis, iucundus. Nec pro his tamē ego, vt pro aris, & focis pugno. Tantùm admoneo leuiter studiosos, quid obseruē. Sæpè item (quod Cicero ait) scientiam mihi reseruo, vsum loquendi populo concedo. Ceterùm quòd multa præterire te dicis in hoc genere, ne lectoribus fastidium parias: quæ sunt quæso ista, quæ præteris? An Carthaginienſis, quod ego dicere malo, quàm quod vulgò soletis Carthaginensis? Quid autem habetis, præter inueteratum diu errorem, quod hic obijciatis? Principio ille ipse Priscianus, quem tu nobilē grammaticum vocas, Carthaginiensem dici regula præcipit: post hoc illius auctoritati plurimùm videlicet addit Ennianus versus, quē Tullius citat, Hostē qui feriet, mihi erit Carthaginiensis. Si enim Carthaginensis legatur, metrū (sicuti vides) claudicauerit. Postremò libros quoque proferre possum, quādo voles, cōplureis vetustissimos: possum & epigrāma citare, quod in antiquo marmore incisum Romæ adhuc in Trāstyberina regione spectatur, quæ nostræ obseruationi subscribant. Sed venio iā ad Ferruminatorem, quē tu vitas (vt vtar Flacci verbis) cane peius, & angue. Quo si vtendū nō est, propterea quòd litterā habeat r geminatam,

Sacerdus. Epistula.

Vpilio. Iucūdus.

Carthaginiensis.

Ferruminator.

tam, profectò isto exẽplo mi Scala, nec tu ferrum militiam, nec agricolæ terram suam relinques, imò nec marrã. Nam tot errata illa tua verba (sic enim iocari libet) hoc est quæ habeant r litterã geminatã, nõ minus vtique in vsu sunt, quàm quæ mollia putas. Ac si audiendus mi Scala sis, cogemur omnes iã lallare pueriliter, & quod ridendum sit, ad Alcibiadis labdaciſmum confugere. At si propriè vtare, inquis, fortaſſe non pecces, sed tantum si transferas. Quasi verò aut hoc tralationi repugnet, aut non ferè sæpius apud bonos quoque auctores, verbum hoc de suo in alienum domicilium immigrauerit. Nam quòd ais nescire te, quid nomine ferruminis vsurpetur, equidem ignosco. Non enim fortaſsis euoluere grammaticos nostros Græcis occupatos licuit, à quibus enarratur. Pro bitumine autem cur accipias non video, tũ profiteor indicaturum quid apud Liuium valeat, modò tu locũ ostendas, vbi Liuius vtatur. De Hermolao tu quidẽ prudenter quòd excusas, inuidiã credo metuens: Sed redi quæso mecum in memoriam, quàm & tu eum ardẽter superioribus diebus accusaueris, & ego cõstanter defenderim. Nec enim ob aliud infamaſtis hoc ferruminandi verbum, quàm quòd illo est vsus Hermolaus. Nam in meis certè adhuc scriptis nõ reperitur. Est et aliud quiddam, quod me fateor in epistola tua valde mirari: qui enim derogas plurimũ sæculo huic, in quo viuimus, parumq; putas eruditum, si cum veteribus cõferatur, idem tamen sæculi eiusdẽ tantũ auctoritatibus mecũ pugnas. Sed & arrogantes, temerariosq; iudicas, qui sua scripta publicent, ac propagari formis patiantur: quasi verò qui rectè scribant, non eo pacto pluribus etiam prosint. Isto vtantur cõsilio tuo, qui miseras chartas oblinũt, vt eas videlicet perpetuis tenebris sepeliant. Me verò nec

Errata verba.

pudeat emendare sequentibus scriptis, si quid in prioribus quandoque deliquerim: quòd videlicet (vt quidam inquit) & scribendo proficiam, & proficiendo scribã. Nec enim minor eo nomine vel Hippocratis, vel Augustini, vel Ciceronis est gloria, quòd publicata diu à se quædam nouis subinde editionibus damnauerũt. Sed video me longius prouectum, dum pluribus epistolæ tuæ quasi capitibus respondeo. Dabis veniam (quæ tua est humanitas) non loquacitati modò, sed libertati quoque meæ: quorum alteri occasionem tua dedit epistola, ad alteram me inuitauit exemplum. Videtur autem nescio quo pacto decere amicos, vt in sermonibus, ita etiam in epistolis quædam inter se quasi velitatio, qua solitos vti plurimùm Socraticos illos emunctæ naris homines accepimus: vt videlicet in dicendo eruditionem, in audiendo patientiam experirentur. Vale. Florentiæ.

BARPTOLEMAEVS SCALA
Angelo Politiano S. D.

DIXIN' tibi edentulum esse me? Sum antè protestatus cum sene tibi ætate iam confecto, atque effœto viribus rem fore: sum verus. Iubeo receptui canant signa. Non commiserim mi Politiane, vt his conditionibus isto me ludo includã. An ego inermis, imbellis, ignauus, tremulus miles descendam in puluerem, & in campum ad insulsam, ac ridiculam velitationem? Nam cùm Hercule congressus, quem tot, tantáque euicta mõstra trãsferunt in cælum, herbam do iam, manusq;, & ferues victum precor. Ne sæui, triumphi die ductus inter captiuos addere ad pompam potero, atque ad numerum. Nam certè agere potes (iam mihi videtur) non de litteris modò nostris, sed & de litteris quoque ipsis triumphum. Quòd me ita dignum putaueris, cui adeò accurate

tatè respondéres: quódque tantum scribendo honestaueris, atque extuleris etiam supra modum, etsi is semper mos fuit tuus, tamen hac quoque noua in me nunc humanitate, debere tibi multum fateor. Admirabilis est profectò ornatus epistolæ tuæ, doctrina noua planè, atque incredibilis, inusitata, incomparabilisque facundia. En habes quid sentiam de scriptis tuis, etiam chirographo confirmatum, si quid maleuoli obloquerentur. Ipse cum his vulgatioribus epistolis, vt feci hactenus, me oblectabo, contentus hac obscuriore sorte, quando præclariora vos nati annis (vt ferunt) melioribus occupauistis. Tu certè, præter ceteros, mi Politiane, naturæ multum debes. Illa tibi ingenium istud, quo agere tam multa, atque memoriam, qua omnium ferè rerum reminisci potes, dedit: vt corporis modò prætermittam dotes, quæ nonnihil & ipsæ habere à quibusdam putantur momenti, ad felicitatem, & fortunæ commoda: quæ profectò iuuare natiuam virtutẽ, nisi ipsa sese deserat, vehementer solent. Cæcus sit funditus, qui hæc non viderit. Ceterùm sine epistola, nam melius id fieri coràm puto, cùm oportunè agi res possit, omnibus de rebus, de quibus scribis (est enim quod dici contrà possit) transigemus. Vale. Florentiæ. M. CCCCXCIII.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Scalæ suo S. D.

Si tu edentulus, mi Scala, tua tamen fuerat dentata epistola: sensi equidẽ. Nam penè morsu me fregit, & pepercit illa tamen nonnihil: atq; ita mecũ lusit, vt vrsa interdũ cum catello solet. Stultus ego, qui non statim vetrano toties coronato cesserim, videlicet tyrunculus adhuc, ense leuis nudo, parmaq; inglorius alba. Tu tamẽ magnificè hoc, sicut alia, qui ne dignũ quidẽ me putes ira. Nã

quòd

Hercules. quòd Hercules abs te vocor, non mihi ob id placeo: siè enim pigris canibus (vt inquit ille) nomen erit Tigris, Pardus, Leo. Vincere autem non magis te potui, quàm Pygmæi. Herculem ridiculi apud Philostratum Pygmæi, quos ille omneis correptos leonis pelle inuoluit. Ceterùm triũphare de litteris non est meum. Quando enim mihi illæ hostes? Gotthorum laus ista, & Hunnorum, non mea est. Sed & occupare præstãtiora quî potui quæso? qui quidem te concionante forsan adhuc in cunis vagiebam. Postremò si quem tibi honorem habui, mi Scala, merito tuo me fateor habuisse. Si quid rursus te pupugi per iocum, iam nunc equidem muto factum. Quòd verò laudes in me tantas ore pleno congeras, amor in caussa. Sed tamen hoc ita interpretor, vnam mihi laudem hanc esse laudum omnium maximam, quòd abs te merui laudari etiam falsò. Si quid est quod agere prætereà coràm velis, nulla mora in Politiano tuo. Vale.

BARPTOLEMAEVS SCALA
Angelo Politiano S. D.

TANQVAM qui asperiora præguſtauerũt, si deinde in mitiora inciderint, sapere videntur dulcius: ita sum ipse modò isto saccaro tuo istoq; nectare epistolæ recreatus: atq; vt quod est fateor, nescio quomodo acciderit, quæ scribũtur à te cũcta, tuũ sapiunt salẽ, ac te referũt. Hoc quod postremò ad me misisti muneris, magis tuũ est, scilicet cõcitaui ego te, vt video plusculũ, & in caussa fui ipsemet mihi cõmutati styli. Ego floribus Austrum Perditus & liquidis immisi fontibus apros, Vergiliano prouerbio: & oleum immiscui liquidæ lixiuiæ nostrum. Sed redij in viam, & mihi crede, quæ minus habent concitationis, atque animorũ, grauiora sunt: quod tamẽ forsitan

sitan poëtæ negauerint, quorum buccina sæpè inflatior melius complet aures. Dedisti iam errori veniam, quod te dignum fuit, sic Heroës quondam magnanimos facitasse accepimus. Ac tibi quoque illud apud Maronẽ dicitur: At tu Romane memento, &c. Nosti carmen. Generosa profectò mens, quæ aut non commouetur iniurijs, aut acceptarũ vel multa obliuiscitur. Quod dixi te de litteris triũphaturũ, non eũ sensum habet, vt ego te litterarũ dicere hostem voluerim, quarũ professoribus nihil est auttua domo, aut [illegible] hospitalius: sed sunt illæ loco positæ, celso atq; aspero: &, Qui cupit optatã cursu contingere metã, Multa tulit fecitq; puer, sudauit, & alsit. Te nihil deterruit, nihil reuocauit, non anni domuêre decẽ, nõ mille carinæ. Tulisti de litteris triumphum, id est, eas habuisti in potestate quæ immortalitẽ admodũ gloria decorarent. Neque Gothi mihi triumphasse de litteris, aut omnes illæ Barbaræ gentes videri solent: quippe quæ eas ne norint quidem, neque nomen audierint, nedum adierint armis, atque expugnauerint. Nec solent illæ quidẽ machinas vereri præliares, & tormenta: studio, atque officio leniuntur, vt noster de literis apologus fortasse non vsquequaque insulsus reperitur ostendere. Nec quod de occupatis à vobis locis ipsi, penitus absurdum est. Nam & nostriores in euangelio operarij, nõ minimã mercedis retulerũt. Ortum tiora certè sunt ista tẽpora (quis negauerit?) nostris tẽporibus quantum ad litteras saltẽ pertinet. Voco autẽ nostra, vagitus illius tui tẽpora, in quibus & librorum, & præceptorum, ex quibus quasi fonte quodam certo litteræ hauriuntur, penuria permagna fuit, suo quisque Marte quid possent vires experiebatur, vnde multa vitia inhæserunt mentibus. Ego certè, qui illius ætatis imbibi

aquu-

aquulam, vix ad vestrum hunc modũ depurare turbidã possum, & ad liquidum istud tempestatis huius reuocare. Hos ego vocaui annos meliores, nisi tu aliter sentias. Vale. M. CCCCXCIII. Florentiæ.

ANGELVS POLITIANVS
Antonio Vrceo Codro suo. S. D.

COMPOSVI propemodum libellum Græcorũ epigrammaton, quem sæpè vt edam familiares mei me rogant, & pertinere dicunt (ita enim mihi palpantur) non ad Latinorum me[illegible] ad [illegible]culi gloriã, si Latinus homo tã diu iam dormientes excitem [illegible] sas. Non enim poëmare[illegible]critur vllũ citra sexcentos annos à Gr[illegible]cis conditus, quod patienter legas. Sunt hos die t[illegible]men vnus & [illegible]ter, qui nonnihil dicuntur conari, quãquàm adhuc [illegible]n appareat. Vt igitur hos ipsos vel euocem, vel irriten, cogitabam libellum qualemcunque hunc nostrum publicare, modò tu non dissentias. Etenim in ea re tuum consilium sartum tectum habere placet. Aut igitur libellus hic probabitur ab ijs quoque ipsis, qui componere putantur, atque ob id magna mihi omnium gloria tribuetur: aut improbabitur, & meliora ipsi fotasse scribent. Itaque rursus hoc ipso nomine bene audiam. Mitto interim quædam tibi ex ipsis nõ delecta, sed fo[illegible]ita: mentior, imò delecta potius, siquidem illa potissim[illegible], quibus [illegible] veteribus Græcis (nisi tamẽ hoc nimis imprudẽter) certaui. Tu confer tamen, & vtcunque displicuero præcepta crede, quibus poteram placere. Lege verò primùm, quod in Apelleam Venerẽ post tot antiquorum composui. Quam Plinius etiam noster Anadyomenen vocat, & victam Græcis versibus ait: à quibus tamen sit illustrata, quæ laus ad me non attinet, illo qui non tempore factus eram.

Eis

Εἰς Ἀφροδίτην τὴν ἀναδυομένην.

Κύπριν Ἀπελλίας ἔργον χερός, ὡς ἴδον, ἴσαν
Δαρὸν θαμβάλεον, τὴν ἀναδυομέναν.
Τᾶς ἄτε παρθενικᾶς, ἄτε καὶ φιλοπαίγμονος, αἰδοῖ
Τὰν ὄψιν μίγδαν ἴλαχεν, ἠδὲ γέλως.
Καὶ τᾷ μὲν ἐαθάμιγγας ἁλίβρικτοιο καράνω
Δεξιτερᾷ θλίβεν καὶ κελάρυζεν ἀφρός.
Ἦν δ' ἄρα τᾶς ποτίδεν τις ἐμοὶ φόβος· ἁ δέ νιν λαιᾷ
Εσκιπε τὰν ἄβαν τὰν ἴθ' ὑποβρύχιον.
Καὶ γὰρ ἔως λαγόνων ὕφαλος πέλε. καὶ τὶς ἔτι φρὴξ
Ματρὸς ἀπ' ὠδίνων ὄμφακα μαστὸν ἔχεν.
Ἀ τοίαν ποκ' Ἄρης ἔχε δεσμός, ἐκ ἀποδύνα
Οὐδὲ ἀφαιστιάδας ἔβλαψε παλυκτοπίδας.

In Venerem emergentem.

Venerem Appelleæ opus manus vt vidi, steti
Diu attonitus, Venerem, inquam, Anadyomenam.
Nunc virginis, nunc etiam iocis indulgentis, pudor
Ipsam faciem simul sortitus est, & risus.
Et manu quidem guttas salo perfusi capitis
Dextra stringebat, & strepitabat spuma.
Erat verò vtique humoris quidam mihi horror. at sinistra quidem
Tegebat pubem adhuc demersam.
Et enim laterum tenus in mari erat, & quidem adhuc horror
Matris ex partus doloribus acerbum vber habebat,
Si talem olim Mars habuisset vinctus, non exui
Ne Vulcaniæ quidem valuisset pedicas.

Sed & in armatam Venerem tamdiu post alios ita lusi.

Εἰς Ἀφροδίτην ὡπλισμένην.

Τίς τί σάκος κρατεῖς Παφίη, λόγχην τε τινάσσεις;
Καὶ θώρηξ ἐνίδυς, καὶ κόρυς ἀμφίφαλος;
Μίμνας ὅτ' ἐς σοὶ Λήδοτα πολεμήια ἔργα
Τᾷ τρυφερᾷ, λείπεις δ' ἱμερόεντα γάμον.
Ἀλλ' οὐκ ἐς λᾶάν θωρήσομαι, ὅπλα δ' Ἄρηος

Ev-

Ενδύο μ' ὡς κ' Αρης, ἐκλελάθοιτο μάχας.
Εμ γὰρ ἐμοὶ μώνᾳ καὶ τεύχεα καὶ Κύπριν εὑρών,
Οὔποτ' ἐμῶν λιχέων ἔσσεται ἀπωλόσων.

In Venerem armatam.

Ad quid scutum tenes Paphia, hastam verò quatis,
Et loricam induta es, & galeam crista tam?
Memento quòd non tibi data sunt bellica opera
Delicatæ, curam verò habes dulcium nuptiarum.
At non ad pugnam armor, arma autem Martis
Induor, vt Mars obliuiscatur pugnæ.
In enim me sola & arma, & Venerem nactus,
Nunquam à meis cubilibus secubabit.

In matrem quoque Lacænam, trito Græcis argumento ad hunc modum:

Εἰς Λάκαιναν.

Προφυγόντα μάχας τὸν ἑὸν παῖδ' ὡς ἐνόησε
Σπαρτιάτις μάτηρ, φασγάνῳ ἀντίασεν,
Καὶ κτάνε τὸν δύσανον ὅν ἔτραφεν, ὅν τέκεν αὐτά.
Τᾶυτα δ' ἰκετόμεν λοιξ ἐπιδερκομένα:
Εἰ τοῖόν σ' ἐδόκουν, οὐκ ἂν τέκον. ἐξέφυ Λακαίνας
Ὡς πᾶις, οὐκ ἐθέλων ὡς Λακεδαιμόνιος.

In Lacænam.

Effugientem prælium suum filium vt cognouit
Spartana mater, en se occurrit,
Et interfecit miserum. quem nutrierat, quem pepererat ipsa.
Huiusmodi autem conuitijs insectata est toruè intuens:
Si talem te putassem, non peperissem. peri Lacæna
Vt filius, non volens vt Lacedæmonius.

Nec reuerebitur Politianum quisquam, cuius heroicis versibus de organo musico meos Elegos, & quidem pauciores opposui: quos & ipsos adscribam.

Εἰς τὸ ὄργανον.

Χάλκεον δονάκων ὁρόω σίχον, ἀλλὰ τις αὐτῷ
Τέχνᾳτιν κρύβδην τὸν πολύθρουν κίλαδον;

Οὗτος

Οὗτος ὁ τοῖς τροχαλοῖς ἐτερότροπα λάκ]υλα παλμοῖς
Δινεύων, τρομερᾶς τ' ἀμφισοβῶν σελίδας.
Ἀλλὰ πολυσπερίων, πόθεν οἱ τόσ⊙ ἐσμὸς ἀκτῶν;
Οὐκ ἀβρᾶς ἀσκὸς λιχθαλίδος ὄπιθεν;

In organum.

Aereum fistularum conspicio ordinem: sed quis in ipso
Efficit occultè multisonum strepitum?
Is, qui citis vicissim motos digitos moribus
Versat tremulasq; vtrinque agitat tabellas.
Sed dispersorum vnde ipsi tantum agmen flatuum?
Non vides folles geminos retrorsum?

Extant etiam nobilissima duo epigrammata in puerum super Hebri glacie ludentem, sicuti Latinum quoq; non inuenustius, quod Augusto tribuitur: sed cum Græcis illis ita quidem Græcè contendimus.

Εἰς παῖδα.

Παῖς Ἕβρῳ ἐπέβρωσκε πεπηγότι τυθὸς ἀδύρων.
Κρυσάλλου δ' ἐάγη μαρμαρόεν λάπιδον.
Καὶ ὣ μὲν ὀλισθαίνων πίεν εἰς βυθόν. ἀλλ' ἀλίαντον
Κρατὸς ἵκετροι λίθην ὀσφακόεις παγετός.
Σκῆνος ἀὲ ἐνλόμυχον ἑοβίων ταχὺς ἔπασεν ὁλκός
Τῷ πυρὶ δ' ἡ μήτυρ μᾶνον ἔλωκε κάρη.
Εἶπε δ' ἐπισονάχουσα, τί λύσμορ⊙ ὑιὸν ἔτιξας;
Ἀξ ὡς τοιχείοιν βρῶμα γένοιτο δυοῖν.

In puerum.

Puer Hebro insiluit concreto paruulus ludens,
Glaciei verò fractum est marmoreum solum.
Et sic quidem labens cecidit in profundum, ast immadefactum
Capitis abscidit collum testacea glacies.
Corpus vtique abditum fluctuum præceps traxit vorago.
Igni autem mater solum dedit caput.
Dixit virò ingemiscens, Quid infelix filium peperi?
Vtique vt elementorum cibus fieret duorum.

Hoc autem, quod sequitur, non cum Græcis iam, sed cū

Latino commisimus. Vertimus enim vetustum poëtæ Pulicis in hermaphroditum, quod vulgus Antonio Panormitano falsò adiudicat: in quo laboriosissimum fuit reddere totidem versibus, ac penè verbis, imò vel syllabis eandem gracilitatem. Latinum Pulicis hoc est:

Cùm mea me genitrix grauida gestaret in aluo,
Quid parèret, fertur consuluisse deos.
Mas est Phœbus ait, Mars femina, Iunoq; neutrum:
Cumq; forem natus, hermaphroditus eram.
Quærenti letum, Iuno sic ait, occidet armis,
Mars cruce, Phœbus aquis, fors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquas, ascendo, decidit ensis
Quem tuleram casu, labor & ipse super.
Pes hæsit ramis, caput incidit amne, tuliq;
Femina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.
Nunc audi nostrum Græcum, si placet.

Ἔγκυος οὖσα γυνὴ, τίκτειν περὶ φοῖβον, ἄρκα,
Ἥρην, τὰς ἅμα τρεῖς ἐξερέεινε θεούς.
Ἄρσενα φοῖβον, ἄρην θῆλυ φάτο, κ' ἀδίτερον οὔ
Ἥρη, πάντ' ὑγιῶς, ἀνδρόγυνος γὰρ ἔφυ.
Ἐρομένῃ ὃ μόρον, μόρος οἱ ξίφος ἤλασεν Ἥρη,
Στωρὸς Ἄρης, φοῖβος κύματα, πάντ' ἀπίβη.
Δένδρῳ ἐφεζήκει, πίπτει δ' οἱ ξίφος αὐτὸς ἐπ' αὐτῷ
Ἥρπεν εἰς ποταμὸν κύμβαχος, ἐκ δὲ ποδοῖν
Ἥρθη ἀπ' ἀκρεμόνων. θάνε γὰρ θῆλύς τε, καὶ ἀρσὴν,
κ' οὐδίτερον, σαυρῷ, κύμασι, καὶ ξίφεϊ.

Grauida quum esset mulier, de fetu, Phœbum, Martem,
Iunonem, simul tres interrogaunt deos.
Marem Phœbus, Mars feminam, & neutrum tu
Iuno, omnia sanè, Androgynus enim natus est.
Quærenti verò mortem, mors ei ensis dixit Iuno.
Crux Mars, Phœbus fluctus: omnia contigerunt.

Arbori

Arbori insistit, lapsus est autem ei ensis, ipse super ipsum
Cecidit in fluuium supinus: ex verò pedibus
Sublatus est à ramis: perüt igitur feminaq; , & mas,
Et neutrum, cruce, fluctibus, & ense.

Sed nimis tibi sum fortasse molestus, itaque iam desinã. Prius tamen illud testabor, me non ideo certasse cum tã præclaris ingenijs, quæ diu comprobauit antiquitas, præsertim in arena ipsorum, quòd inde mihi victoriam vel sperarem, vel quærerem: sed quòd hoc magis videbar illa cogniturus, & quo minus in experiundo consequerer. Tu tamen qualiacunque sint ludicra hæc mea, velim diligenter explores, agniturus & in ceteris eiusdem generis, quæ vel tam scripsi, vel adhuc scripturio, prorsus eundem gustum. Vale.

ANTONIVS CODRVS VRCEVS
Angelo Politiano S. D.

IN magnis Iulij caloribus redditæ fuerunt mihi litteræ tuæ Angele doctißime, quibus non grauatus es ad me mittere pauca quædam Græca ex multis, quæ composueras epigrammata, cum Græcis & Latinis certantia. Ego quibus verbis isti tam promto, ac tam liberali in me animo gratias agam, non reperio. Dedisti enim mihi senescenti, quid comparare, & quid comparando discere possem. Et certè mihi visus es & Latinus vir terßißimus, & Græcus facundißimus. Quòd autem scripsisti te cogitasse libellum ipsum epigrammatũ publicare, modò non dissentirem: quid est quod fieri, aut dici, aut cogitari à Politiano poßit, in quo dissentiat Codrus? Equidem non sum tam socors, nec tam mihi placeo, vt verbis tuis vel elicitus prodeam, aut tam quam cristatus gallus cantaturus exultem. Egóne paucis admodum litteris, & mediocri ingenio dotatus tibi

Ne fiat: siue, Absit.

viro in omni doctrinæ genere peritissimo consilium dabo μὴ γένοιτο. Et certè miratus sum nō parum, quæ te ratio ad hoc scribendum exhortata fuerit: nisi fortè meus erga te singularis amor, & vitæ meæ plusculi anni cōmouerunt. Quod si ita est, scribam libēs quod sentio: ea tamen lege, vt si quid inconditum, aut insuaue hîc tuas aures mordaci aceto lotas offenderit, non me, sed teipsum accuses, qui tacentem, ac penè sopitum excitaueris. Contuli igitur, vt iussisti, epigrammata tua cum Græcis: & tantum abest, vt Græca vituperare velim, vt illa plurimum comprobem. Verùm in tuis versiculis nescio quid plus gratiæ, & dulcedinis mihi esse videtur, quod magis sentiri, quàm monstrari potest. Præterea non eo inficias versus hexametros ex paucis quidem, sed longioribus particulis compositos, suam in tempore seruare auctoritatem, qualis est apud Hesiodum, πλειάδων ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων. Et apud Vergilium: Pastorum musam Damonis & Alphesiboei. Et alij eiusmodi plures, tam apud Græcos, quàm apud nostros poetas. Sed versiculi sanè ex pluribus dictionibus cōpacti, scatētibus dactylis elegantiores, rotūdiores, ac leniter magis currentes, iudicio meo existimandi sunt: vt, ἄνδρα μοὶ ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὅς μάλα πολλά. Et: Si quis in hoc artē populo non nouit amandi, Me legat, & lecto carmine doctus amet. Et hoc præcipuè in elegis, seu epigrammatis apparet. In pentametris verò longas dictiones libenter audio, vt τὴν ἀναθυομένην, & ὡς λακεδαιμόνιος. Habent enim nescio quem Græciensis consuetudinis modum: Postremò quantū decoris, ac gratiæ versibus præbeant epitheta non tantum perpetua, sed & nouè excogitata, & argutæ sententiæ, nemo non eruditus intelligit. In tuis versibus, vt ad te redeam, hæc omnia inueniuntur.

Pleiadib⁹ ab Atlante genitis exorientibus.

Virum mihi dic Musa per quā exercitatum, qui valde multa. Anadyomene, & vt Lacedæmonius.

untur. Nam ipsi & partibus multis aptè cohærentibus, & dactylis frequentibus leguntur, ac scanduntur, & sentètijs fortasse argutioribus, quàm Græci versus cõcluduntur. Quanti me putas feciſſe epithetum illud, ὄμφακα μασὸν: Et illam variatam ſimilitudinem μόρον μόρου: & alia id genus multa, quæ multiplicè in ſe habent doctrinam, & voluptatem. Sed quibus verbis laudabo illam ſententiam, qua in fine Veneris Anadyomenes vſus es, vbi ſcripſiſti: ſi Mars ligatus talem habuiſſet Venerem, noluiſſet vnquam vinculis Vulcanijs diſſolui? Angele mi obſeruande, nõ tibi blandior, ſed ex animo loquor: in alijs quidem non es Græcis inferior, in hoc verò etiã es (vt ſentio) ſuperior. Quare non te tantùm hortor vt edas, quæ ſcripſiſti, ſed rogo, & obteſtor. Ede, ede quàm celerrimè, vt & tu gloria, & litterarum ſtudioſi doctrinã tua frui poßint. Nam vel euoces, vel irrites ad ſcribendum eos, quos noſti, vel non bene audies omnino, & ſummopere laudaberis. Sed tecum in hoc ſtadio currentibus licebit (mihi crede) potius terga tua, quàm pectus videre. Et ſi nulla alia te ad hanc editionem cauſſa moueret, vel hæc te impellere debet, rũpantur vt ilia, non dico Codro, qui tuus eſt, ſed illis, quos ego ſanè nõ video, ſed tu fortaſſe cognoſcis tibi eſſe non amicos: vt intelligant te, quod iam Latinè feciſti, Græcè non minus poſſe, & indoctis prodeſſe, & doctos ſummopere delectare. Et tandem ſi non vis alijs prodere, prode mihi, qui rerum tuarum, vt ſum, ſic ſemper ero lector ſedulus, ac amplificator. Sed hæc ſatis ſint in ijs præcipuè caloribus, qui neſcio quomodo vobiſcum, certè nobiſcum grauiter agunt. ἐπὶ κεφαλὴν καὶ γούναϛα σὺν θ' ἅλα. vt ſcribit Heſiodus. Vale, & memento nos Epigrammaton Græcorum volumen integrum expectare. Tibi me commendo,

Acerbum vber.

Mortem mors.

Quoniã caput & genua Sirius deſiccat.

do, & si Picus princeps noster istic est, me illi seruũ suũ esse insinuato. Bononiæ, quinta luce Iul. M. CCCCXCIIII.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Modesto Pratensi suo S. D.

ROGASTI me sæpius, vt tibi nomina colligerem veterum iuris conditorum, non qui citentur ab alijs, sed quorum sint ipsorum verba pro legibus in Iustiniani principis digestis, quas & pandectas appellamus. Ego verò quoniã te longius distuli, quàm fortasse singularis amor erga me tuus merebatur, ne sine fœnusculo mora ista fuerit, etiam titulos, numerumq; librorum tibi perscribam, de quibus quinquaginta digestorum volumina consarcinantur. Volo enim tibi hoc quoque apponere quasi condimentum studiorum tuorum, in quibus te multam ponere operam, multumq; proficere, quod mihi sæpè præceptores tui narrant, vnicè gaudeo. Nam cùm tu nostris laribus à puero fueris innutritus, probauerimq; semper ingenium, mores, animum, fidelitatemque tuam, nihil abs te mihi penè seiunctum puto, laudesq; tuas perinde amplector, vt meas. Sed vt ad rem redeam, septem omnino & triginta fuere conditores iuris, quorũ de verbis digestorum leges, velut centones quidã consuuntur. Et quorundam ex his mentio est in titulo de origine iuris, quem tibi non damus in solutum, propterea quod est in ære tuo. Vetustißimus autẽ omniũ, sicuti mihi videtur, Q. Mutius Scæuola est P. F. Pontifex maximus. Cuius apud Cic. quoq; plurima mentio. Huius huc accersitur vnus tantum liber definitionũ. Gallus deinde Aquilius, qui Ciceronem orantem iudex audiuit, & quẽ familiarem suum Cicero idẽ in Topicis appellat. Huius tantũ responsis irrigantur digesta. Labeonis verò eòdem ascisciuntur libri octo pithanon, id est, credibiliũ, seu verisimilium,

Pandectę.

Conditores iuris quot.

Q. Mutius Scæuola.

Gallus Aquilius.

πιθανῶν.

milium, & item posteriorum decem. Fuit autem Labeo, quem vocat Horatius insanum, de cuius ingenio, natura, studijs, ac doctrina multa scribit Gellius in Attic. Nocti. Saluij quoq; Iuliani digestorum nonaginta libri, de ambiguitatibus vnus, ad Minutium sex, ad Vrseium quatuor. Floruit hic Hadriani temporibus, & iudicanti fuit in consilio, magnæ vir auctoritatis, auunculus etiã Digij Iuliani, deinde principis. Aduocantur & Neratij Prisci regularum quindecim, membranarum septem, responsionum tres. Hunc sibi putatur Traianus amicorum consensu successorẽ destinasse, sic vt ei dixerit aliquando: Commendo tibi prouincias, si quid mihi fatale contigerit: eundemque mox Hadrianus imperator habuit in consilio. Volusius quoque Mætianus iurisconsultus est habitus celeber, quo multum est vsus Hadrianus idem: quiq; docuit M. Antoniam principem, cognomento Philosophum. Veniunt huc igitur illius quoque libri fideicõmissorum sedecim, publicorũ quatuordecim: sed Mætiani nomen in Marcianũ deprauatur à librarijs. Fuit enim Marcianus ipse quoq; iuris auctor, à Didio Iuliano principe iussus occidi, qui libros huc contulit institutorum sedecim, regularum quinque, de appellationibus duos, publicorum duos. Item singulares, quos Græci monobiblos, bis titulis: de delatoribus: hypothecariæ: ad s. c. Turpilianum. Iulius quoque Celsus Hadriano fuit in cõsilio, qui Digestorum libros vndequadraginta composuit. Sed & Valens, qui fideicõmissorum septem. Marcellus quoque, qui digestorum scripsit vnum & triginta, responsorum vnum, sex ad leges. Item Iabolenus, cuius accitii huc libri sunt. Ex Cassio quinque, epistolarum quatuordecim, ad Plautium quinq;. Claruit his tempori-

Labeo.
Saluius Iulianus.
Neratius Priscus.
Volusius Mætianus.
Marcianus.
μονοβίβλους.
Iulius Celsus.
Valens.
Marcellus.
Iabolenus.

Serbidius Scæuola.

bus etiam Serbidius Scæuola, cui M. Antonius philoſophus operã dedit, ac deinde factus imperator, multum illo eſt vſus. Hic & Seuerum docuit illum, qui ſibi poſt Pertinacem magna virtute imperium parauit. Docuit & Papinianum, de quo mox dicemus. Sed Scæuolæ huius libri deducuntur in Iuſtiniani Pandectas, Digeſtorũ quadraginta, quæſtionum viginti, reſponſorum ſex, regularum quatuor, de quæſtione familiæ vnus, quæſtionum publicè tractatarum vnus. Huius auditor (vt diximus) Papinianus libros ad Pandectas affert, quæſtionum triginta ſeptem, reſponſionum vndeuiginti, definitionũ duos, de adulterijs vnum, ædilitium vnum. Hic habitus omniũ eſt acutiſſimus, eumq; vocant hiſtoriæ iuris aſylum, doctrinæ legalis theſaurum, ſic vt ab illo ſtudioſi legum, qui profeciſſent, appellati Papinianiſtæ quandoque fuerint: amicus & Seuero principi, ſed à condiſcipulatu, neque nõ affinis per ſecundam vxorem, ſucceſſor eidem quoque in adminiſtratione fiſci. Denique moriens Seuerus filios ſuos non alij magis, quàm Papiniano commendauit. Erat autem præfectus vrbi Papinianus, ac plus potẽs in aula quàm volebat. Itaque ſæpè deponere nocitura potentiam fruſtra conatus, tãdem ab Antonio Caracalla Seueri filio militum gladijs obiectus, & ſecuri percuſſus eſt, quòd excuſare parricidiũ noluiſſet. Huius aſſeſſores in præfectura Iulius Paulus, & Domitius Vlp. quos quidã ex veſtris Græco vocabulo Coryphæos appellant, quoniã quaſi verticẽ legitimæ diſciplinæ cũ Papiniano tenuerunt. Feruntur & Vlpiani libri ad edictum tres & octoginta, ad Sabinum verò vnus et quinquaginta, ad leges viginti pro tribunali decẽ, de officio proconſulis decẽ, regularum ſeptẽ, fideicõmiſſorum ſex, opinionũ ſex, de adulterijs quinque, de appellationibus

Papinianus.

Papinianiſtæ.

Iul. Paul'. Domitius Vlpianus.

qua-

quatuor, de officio Cõsulis tres, institutorũ duo, de cẽsibus sex, responsorũ duo. Tum singulares hi. Regularũ rursus de sponsalibus, de officio præfecti vrbi, de officio præfecti vigilum, de officio curatoris Reipublicæ, de officio prætoris tutelaris, de officio quæstoris. Sed quamuis tam multa scripserit Vlpianus, tamen Paulus aliquantò est (vt Græcè dicam) polygraphoteros: eius enim numerantur hi libri: Ad edictum octoginta, quæstionum viginti sex, responsorum viginti tres, breuium viginti tres, ad Plautium duodeuiginti, ad Sabinum sedecim, ad leges decem, regularum septem, sententiarum vel factorũ sex, sententiarum iterũ quinq;, ad Vitellium quatuor, ad Neratiũ quatuor, fideicõmissorum tres, decretorum tres, de adulterijs tres, manualium tres, institutorum duo, de officio Procõsulis duo, ad legem Iuliã, vel, vt aliter lego, ad legẽ Aeliã duo: item ad legẽ Aeliã Sentiã tres, de iure fisci duo. Monobibli autẽ, regularũ rursus, regularũ tertiò, de pœnis paganorum, de pœnis militum, de pœnis omnium legum, de vsuris, de gradibus & affinibus, de iure codicillorum, de excusationibus tutelarũ, ad regulam Catonianã, ad s. c. Orficianum, ad s. c. Tertyllianum, ad s. c. Syllanianum, ad s. c. Belleianum, ad s. c. Libonianum, seu Claudianum, de officio præfecti vigilum, de officio præfecti vrbi, de officio prætoris tutelaris, de extraordinarijs criminibus, hypothecaria, ad municipalem, de publicis iudicijs, de inofficioso testamento, de septemuiralibus iudicijs, de iure singulari, de secundis tabulis. Ad orationem diui Seuери, ad orationem diui Marci, ad legem Velleam, ad legem Cinciam, ad legem Falcidiam, de tacito fideicommisso, de portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur, de iuris & facti ignorantia, de adulterijs, de instructo et

πολυγραφότερος, qui plura scripsit.

Id est, singulares libri.

instrumento, de appellationibus, de iure libellorum, de testamentis, de iure patronatus, de iure patronatus quod ex lege Iulia & Papia venit, de actionibus, de cõcurrentibus actionibus, de interceßionibus feminarum, de donationibus inter virum & vxorem, de legibus, de legitimis hæreditatibus, de libertatibus dandis, de Senatusconsultis. Fuere autem Paulus, & Vlpianus præfecti ambo, sed quidam factos ab Alexandro dicunt, quidam verò ab Heliogabalo, qui tamen Vlpianum remouit vt virum bonum. Ceterùm Alexander vtrunque magno in honore habuit, maximè autem Vlpianum, qui consiliarius ei quoq; fuit, & scrinij magister. Nec vnquam ad eũ solus admissus quisquã est, nisi præfectus, atque Vlpianus. Tum siquando alter adhibitus, semper tamẽ Vlpianus rogari iubebatur. Sabinus autem ille, ad quem libros Vlpianus scripsit, puto etiam ad quem Paulus, & Pomponius, vir fuit insignis, & consularis, ab Heliogabalo iussus occidi, cuius filius etiam Fabius Sabinus Alexandro fuit gratißimus, & Cato sui temporis dictus est: Nescio autem an hic filius idem sit Sabinus, qui Consularis, ac Præfectus vrbi per tumultum fusti percussus in populo, & occisus, atque in publico derelictus fuerit. De illo quoq; ambigitur vterne de iure scripserit, filius an pater. Scripsit verò iuris ciuilis tres, ex Proculi singularem, sed & epistolarum libros octo. Põponij quoque collati sunt eôdẽ libri, scilicet ad Quintum Mutium, lectionum vndequadraginta, ad Sabinum quinque & triginta, epistolarum viginti, variarum lectionum quindecim, ad Plautium septem, fideicommissorum quinq;, Senatusconsultorum quinq;, regularum vnus, enchiridij duo. Caium verò citat & Boëtius in Ciceronis Topicôn cõmẽtarijs. Huius huc adhibiti sunt

Sabinus.

Fab. Sabinus.

Pomponius.

Caius.

ad edi-

ad edictum prouinciale libri duo & triginta, ad leges quindecim, ad edictũ publicũ quindecim, qui soli tũ reperti fuerunt, Aureorum septem, dodecadelti, hoc est duodecim tabularũ sex, institutionũ tres, de manumissionibus tres, fideicõmissorũ duo, de casibus vnus, regularũ vnus, dotalitiorũ vnus, hypothecariæ vnus. Sumserũt haustus, qui Tribunianũ iuuerũt, ex Venulei quoq; stipulationum libris vndeuiginti, Actionũ decem, de officio Proconsulis quatuor, de pœnis Paganorum vno, publicorum tribus de interdictis sex. Item ex Mauriciani, ad leges sex, ex Terentij Clementis ad leges viginti, ex Africani quæstionum nouem, ex Florentini institutorum duodecim, ex Tertulliani de castrensi peculio vno, ex Iusti constitutionum viginti, ex Triphoniani disputationum libris vno & viginti, ex Callistrati de cognitionibus sex, edictorum monitoriorum sex, de iure fisci quatuor, institutorum tribus, quæstionum tribus, ex Menãdri militarium quatuor, ex Modestini responsorum vndeuiginti, Pandectæ duodecim, regularum decem, differentiarum nouem, excusationum sex, de pœnis quatuor. Item ex eiusdem Monobiblis, de præscriptionibus, de inofficioso testamento, de manumissionibus, de legatis & fideicõmissis, de testamentis, de eurematicis, de enucleatis casibus, de differentia dotis, de ritu nuptiarum. Ex Tarruntij Paterni militarium quatuor, ex Macri militarium duobus, publicorum duobus, de officio præsidis duobus, Icoston, seu verius Icaston duobus, de appellationibus duobus. Ex Arcadij de testibus vno, ex Rufini regularum duodecim, ex Anthi, siue Publij Furij Anthiani patris edicti quinque libris, ex Maximi ad legem Falcidiam, ex Hermogeniani epitomatum sex libris. Hæc est denique tam iuris conditorum,

Δωδεκάδελτος.

Venulei⁹.
Mauricianus.
Terẽtius Clemens.
African⁹.
Florẽtin⁹.
Tartyllianus.
Iustus.
Triphonianus.
Callistratus.
Menander.
Modestinus.
Tarrũtius Patern⁹.
Macer.
Arcadius.
Rufinus.
Anthus.
Publius Furius.
Maxim⁹.
Hermogenianus.

rum, qui symbolam dederunt, quàm librorũ quoque, & titulorum, quibus vestræ Pandectæ se debent, exactior nomenclatura. Nam ceteri non intexuntur, sed tantùm citantur: quidam tamen in codicibus deprauatis, quamuis omnino immunes, munificibus tamen adnumerantur. Tituli prætereà nonnulli, sicuti de excusationibus, penè integri Græcè sunt editi, quos indoctus aliquis (vt apparet) in Latinum transtulit. Sed & hæc (vt opinor) & alia pleraque nostras aliquando vigilias desiderant, quas vtique nos (modò vita suppetat, ac modò paululum quid otij contingat) nimium quàm libenter tribuemus, sed prius tamen Philosophiæ satisfaciendum, cui nũc totos (vt scis) penitùsque nos tradidimus. Erit opus omnino Barptolemæi Sozini Senensis doctoris excellentis, imò verò planè singularis, opera nobis, & consilio. Quem equidem Papinianum alterum videor audacter posse appellare sæculo nostro. Vale.

Titulus de excusationib⁹ Græcè scriptus.

Barptolemæus Sozinus.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER SEXTVS.

ANGELVS POLITIANVS Philippo Beroaldo suo S. D.

ERTIOREM me per litteras iãdiu multi fecerunt, veniſſe iſtuc ad vos quendã, qui noſtras adnotationes venditet in Statij Siluulas, easq; ſe iactet ex noſtris auctographis deſcripſiſſe. Puto eſſe autem non quas, me prælegente, ſtudioſi exceperunt, ſed quas ego aduleſcens vi-

uen-

uēte adhuc Domitio, marginibus domestici codicis adscripseram: videlicet offensus iam tum, quòd multa ille parū perspectè prodidisset, quæ ferè omnes tamen quasi cælitus demissa mirabantur. Quare visum est adnotationes istas, qualescunque sint his ad te litteris, quasi quibusdam characteribus insignire, ne vel aliena fortè mihi tribuantur, vel propria subripiantur. Scribere autem ad te potissimùm libuit, vt maior in teste foret auctoritas: præsertim quoniā vulgari ista primùm Bononiæ cœpta sunt, qua tu in ciuitate iure diu principem locum tenes inter nostri ordinis professores. Ergo in epistola prima negamus à Vergilio Culicis pastoris defleri mortem, quod Domitius credidit. Nec probamus, quod ille de hymnis Homericis dubitauit. In equo maximo Dacum attonitum, & iturum castris Catonem, secus atque idem accipimus. Pelleásque ceras legimus, nō Apelleas, quas & Lysippo tribuimus. Noctem designari dicimus per tempus, quo superis terrena placent. Nec mitis apud nos Tonans, imò Taras, quo Neptuni statua innititur, cuius apud Nonium Lucilius, cuius (vt omittam Græcos) etiā Plinius meminit. Lætus quoque huic dono, non lætius, ipsi legimus. At in Violentilla, vocalis vmbra ritum spectare illum nobis nuptiarum videtur, de quo in problematis Plutarchus. Sed & quæ dulcis imago prosiluit, ad speculum potius pertinet. Nec illud, Tam Thybridis, sed magis, Iam Thybridis arces admittimus, vt & falsus huic pinnas, non autem falsas. Nam Minoa corona, quæ sit alia quàm Ariadnes? Tum nec apud Statium Chiron (quanquàm hoc tamen alicubi legitur) pater Thetidis est accipiendus. In Thyburtina quoque villa, pulchrè de Leone dictum illud aspexit, quod torua belluæ frons, torui oculi, nec talis hiems tectis,

Adnotationes Politiani in Statij siluas.

ctis, Epiphonema. Nec vbi de Chalcidos fluctibus mentio fit, res mirandæ in comparationem, sed fretorum angustiæ vocantur. Reprehendimus & illud, vt admodum frigidum, quod de amne ridente, deq; Nymphis existimat anhelantibus: nec probamus Aniene in fonte, sed Anien & fonte. Proq; Tiburno Tiberinum recipimus, explosis locorum genijs. Tum quòd ille sibi algentia vindicat, ipsi publicum diu probamus. Conquerimur & quòd apud eundē, pro Lucrimis domibus, Laciniæ sint, nullo idoneo sensu contra exemplarium fidem, reclamantibus & syllabis duabus. Sed nec maiorem lyram trahi per vim patimur ad Vergilium. Dissentimus & Gallici soterijs, vt in illo: Liceat enthea vatis. Item in illo: Hinc alti gaudens. Nec verò Galiciæ syllabam reformidamus, Phœbum tamen affirmamus loqui, non Aesculapium. Sed in Hetrusci balneo, primùm illud ita legimus: Tu quoq; muta, feræ, volucer Tegeææ sonore, quo Mercurius, testudoq; monstratur. Nec auertite, pro exuite, sed aduertite volumus, & quod ibidem maximè deprauatum, nos ita corrigimus: Vix locus Eurotæ viridis cùm regula lõgo, Sinadá distinctu variat. Huc illud etiã pertinet: Non lumina cessant. quo excitari oculos colorum varietatibus ostenditur, Nec pro vasis labra, sed pro summis accipimus aut vasorum partibus, aut fistularum. In Kalendis Decembribus, latere palmam putamus, præ magnitudine ipsa dactylorum. Deridemus & Hæmum, & Spasionem, quod tamen & Merula refellit. In Glaucia, lectionē pluribus locis improbamus, vt: Atq; ipsos reuocabat ad oscula postes &, Turba cataste. sed et illud, At legisse iuuat. Deniq; parabolen quoq; succisi papaueris, nõ à Vergilio tantũ, sed ab Homero vsq; repetimus. In Pollij villa, miramur planè tantum de Prætorijs esse silen-

silentium. Sed & per Epexegesin legimus illud, Aspicit et Phœbi tenerum iubar. In arbore Attedij, credimus est Cacozelon, vt æstuare ad fulmen redigatur. In Psitacho querulæ iam sponte fores vidētur, quoniam quidē querulæ antea quoque, sed non sponte, quia brutorū voces etiam interdum querelæ dicantur. Nec verò agnoscimus illam de Blesci pueri obitu consolationem. Sed & in Leone Mansueto, nouum pudorem, non vt Domitius interpretamur, imò autem nec omnino fleuisse Cæsarem suspicamur. In Lucani genethliaco, duos ita versiculos corruptos integramus: Et siquà patet, aut diem recepit, sertis mollibus expleatur vmbra. Nec aliam præter Argo ariolamur puppem temerariam Mineruæ. De Nerone quoque, de Orpheo, de vrbis incendio, de Pollæ laudibus diuersa sentimus ab ipso. Nec penetrasti legimus in epistola ad Pollium, sed penetrali. Porrò in Hercule Surrentino falsò ludi Actiaci pro Pythijs accipiuntur. Falsò item illud de Parthenope ridente, Parua suæ simulacra coronæ. Verbum quoque degenerauit, in suum locum restituimus, in quem scilicet illud subierat dedignatur. Etenim in Propemptico, pro Thebaide posuit Domitius Achilleida. Sed & in Hetrusci lacrymis malè illud: Aeternásque vltro sacrauimus vmbras. Et item illud, Præcipuos sed enim meritò surrexit in arcus. In Earini coma, puer Sangarius, nobis haud dubiè Ganymedes est. Nec concussum vulnere torpens, ipsi legimus, imò corpus: sicuti crinis apud nos, qui est apud illum vertex. In Ecloga ad vxorem, leuicula mutatio hæc. Etenim tua, pro illo est, mens tua, totum pene Poëtæ confundit intellectum. Non approbo Lechias, neque enim syllabæ ferunt, in via Domitiana, nec item cœnum populeum. Versiculum quoque illum,

Sed

Sed grates ago strictus, atque tanti est, sic equidem in exemplaribus inuenio, Sed grates ago, seruitúsque tanti est. Damno & lutras, in lyrico ad Septimium. Nec qui Libyam doceant, sed qui deceant, defendo. In Epitrapezio, nos hoc spatium, quod ille, an spatio. Nos infrà stet mensura pedem, quod ille pedum. Nam illud, Aut eleæ lucis, ipso refellitur syllabarum vitio. Sed & Torani alumnum confinxit ipse sibi, pro Timaui. Recusat & in Saturnalibus ad Grippum, Cereos arentes, hendecasyllabi ratio. Versiculus quoque ille sic domi nostræ, Nil mutas, sed idem mihi rependis. Iam genitrix Sipileia, in Abascantio, non Domitij fuit emendatio, sed publica omnium diu lectio. Quod tamen attulit ipse, Iam laceras, & quæ sequuntur, quodq; Meropen vocauit eam, quæ sit Aerope, proprium fuit ipsius. Sicuti humeri iubati, pro fortibus, non quod verius, pro puerilibus. Illud quoq; sic ipse restituo: Quod cupis ipse iuberi, Da capitolinis, & cetera. In Protreptico ad Crispinum, Respuo Nemeam, respuo Nubigenas illos cõmentitios clypeos, cum tyronibus: & quo loco tributa ibi sunt, ego Thoraca repono. Multa in Epicedio quoque patris, aliter apud nos, vt vatẽ, & nil dulce sonantem, vt Phrygius silex, qui mihi Niobam significat, non Hecubam, vt quod mensis vocabulum putat ipse, nos participium. Legit ibidem, qualis & ille dies: at ego, quàm tuus ille dies. Nec vmbram philaceida, Protesilaum, sed Alcestim credere malo. Certè in carmine ad somnũ, non ab Aethõte, sed ab Oeta deduco Oeteos. Multa in Epicedio quoq; pueri vel notaui, vel emendaui. Puta illud, Quis error? quem luimus tãtis mœroribus ecce lacertis. Et illud, Nimirum cũ vestra domus, et quæ multa parum cohærenter intercisa supplet, & ipsum

similij

simij vocabulum, quod ibi nusquam. Præterea, nitantes, nihili vocem. Sed nec à Iuuenale Statium taxari, quasi circulatorem crediderim. Ferè autem sunt hactenus, quæ notauimus adulescentes in libri nostri margine, quibus iste nos homo nimium familiaris circunduxit. Sed his tamen (vt arbitror) longè sunt & plura, & meliora, quæ quartodecimo ferè abhinc anno nobis eadem publicè Siluulas enarrantibus excepta sunt. In quæ se diu iam casu incidisse, vir admodũ litteratus Tydeus Acciarinus, quo Consentiæ tempore profitebatur, eleganti nobis epistola significauit. Nactus autem fuerat, vt mihi poste à renunciatum est, quæ Franciscus Puccius Florentinus collegisset, auditor ille quidem noster olim, deinde verò in eadem schola etiam professor, qui Neapoli nunc agitat magna cum laude, doctus vtraque lingua iuuenis, nec absurdo ingenio, siue tu prosam condere, siue carmen iubeas. Itaque nihil institor iste vester, aut magnũ circunfert, aut nouum. Sed vides, vt notaui locos, non explicaui. Sanè quoniam commentarios non faciebam, sed epistolã, quæ meo quasi pecori notas mureret, mox (vt spero) commẽtarios quoque in eadem siluas publicaturus, breuissimos illos quidem, sed tamen prorsus (vt Plautinum verbum penè amissum reuocetur) amusitatos. Tu interim (quæ tua erga me beneuolentia est) vbi res tulerit, imponas (quæso) plagiarijs pudorem. Vale, Florentiæ, Kalend. Aprilis. M. CCCCXCIIII. Franciscus Puccius. Amusitatos.

PHILIPPVS BEROALDVS
Angelo Politiano suo S. D.

VIDE mi Politiane in studijs nostris politissime, quãte, & quidem meritissimo faciam. Quidquid ex officina isthac tua luculenta depromitur, id omne probum, excoctum, ac emaculatum esse habeo persuasissimum. Imò

(quæ tua est in litteris curiositas, & excellentia) siquid tibi adhuc adulescenti parum elimatum per incuriã elapsum foret, id tamen apud me, & reliquos, qui bene sentiunt, fieret perfectissimum, vel ob idipsum, quòd à Politiano proueniret. Tanta enim tua iãpridem claritudo, & æstimatio, vt posis vel obsoletis nitorẽ dare, fastiditis gratiam, nouis auctoritatem. Et vt semel finiam, hæc apud me tuorum studiorum reuerentia est, hunc tibi honorem deferre soleo, quem diuus Augustinus scriptoribus canonicis autumat sese retulisse, vt te nusquã errori confinem esse credere ausim. Non ex amore iudicium hoc est, sed ex iudicio amor. Testes sunt scholastici sexcenti, testis est pulpitum illud, ex quo cottidie profitemur, me identidem esse præconẽ, & buccinatorem tuæ singularis eruditionis. Quid multa? publicè, priuatim, domi, foris, in gymnasio litterario, extra gymnasium, vbique locorum, vbique gentium, vbique temporum Politianus à Beroaldo extollitur, celebraturq; meritissimo præconio. Tibi me virtus tua fecit amicum. Perlegi libenter, quæ ad me peramanter, & officiosè scripsisti: perlegi libentius, quæ in Merulam eloquenter, & cordatè exarasti. Qui instar Zoili iam sibi cognomentum Homeromastigis adoptauerat: qui in cunctos sæculi nostri litteratos, non dentes, cùm edentulus foret, acuebat, sed linguam vibrabat virulentam: qui pati æquo animo non poterat virtutem in iuuenibus soboleſcentem. Qui ad maledicendum faberrimè formatus ingemiscebat, imò (vt verius loquar) disrumpebatur orientem solem à plerisque omnibus iãpridem adorari, quàm occidentem. Mors hominis declarauit, quàm gratus foret omnibus. Videtur enim Merula ex gaudio esse procreatus, ita cũcti mortales ex illius obitu gaudẽt. Quod

Merula Homeromastix.

ad

ad me attinet, vellem viueret, vellem peperisset crimi-
nosissima adnotamenta, quæ in me fertur diu parturisse,
vt ita inter veteranum & tyronem pugna foret conspi-
cabilis. Forsan forsan didicisset se cornutam bestiam irri-
tasse, & momordisse remorsurum, & quòd nostro se-
quitur de vulnere sanguis. Nanque nobis neque machæ-
ra hebes est, neque stylus retusus. Quòd si mortui in nos
scripta publicabuntur, cogemur aduersus mortuum su-
scipere certamen, & vicem talionis implodere: quan-
quàm non me fugit, quàm parum plausibilis futura sit
ista contentio, & quòd cum mortuis non nisi laruæ lu-
ctantur. Gratias tibi vberes ago, & habeo pro honorifi-
ca illa nominis mei mentione, quam amanter nimis inse-
ruisti epistolæ in Merulam graphicè luculentérque cõ-
scriptæ: Quæ enim mihi vberior laus, & verior contin-
gere potest, quàm laudari à laudatissimo nostri tempo-
ris, eruditissimóque? Quòd scribis nescio quem perin-
de ac fugitiuum istinc huc migrasse, tuásque vel po-
tius sub nomine tuo adnotationes in siluulas Statij ven-
ditare: quis hic sit haud equidem noui, neque quispiam
est hac nota notabilis: nemo prorsus apud nos visitur,
qui aliquid imulget, aut nomini tuo obscurum, aut eru-
ditioni derogaturum. Adnotatiunculæ autem illæ tuæ
breues, & concisæ, quas ad me dedisti, quibus subnotan
tur magis, quàm explicentur loca reconditiora Siluula-
rum aduersus Domitij interpretamenta, effecerunt, vt
siluulas veluti in transcursu relegerem. Iámque & ipse
in sententiam tuam non tam pedibus eo, quàm assensu
litterario. Nihil potest esse verius, nihil pensitatius. Va-
le, decus litterarum, & me (quod facis) ama mutuiter. Si
rarenter ad te scribo, caussa est aceruus occupationum,
quibus iugiter distineor. Verũ, vt inquit ille, & non of-

ficiosus amo. Iterum salue. Vale. Ex Bono. pridie Idus Apriles. M.CCCCXCIIII.

ANGELVS POLITIANVS
Philippo Beroaldo suo S. D.

ADEO testibus nō indiget amor erga me tuus, & studiorum similitudine conciliatus, & multis roboratus officijs, vt qui Bononia Florentiam veniunt, statim quasi soleuniter quò mihi se magis approbent, in tua cohorte se numerent. Vellem tamen vt laudare me tam verè posses, quàm plenè soles: quanquàm hoc ipsum laudari abste, laus est (vt mihi quidem videtur) non amplamodò, sed & vera. Lætor autem placuisse tibi, quæ ad Merulam scripserim, qui vtinam nobis ereptus tam subitò nō
Obrusa. fuisset. exegissemus ad obrusam quidquid ille vnquam literis mandauerat. Ac puto (quod cum modestia dictū sit) perierat Merula, nisi periisset. Nunc cineres, & ossa persequi non libet, ne si liceat quidem. Nec est quod vlla exspectemus illius scripta quasi posthuma, coruos delusit hianteis. Nam nec Centuriæ vsquam, nec Plautinæ quæstiones comparent. Ita lepidus homo posteris imposuit. Dignus omnino tamen, quem professores non contemneremus, nisi professores ipse omneis contemsisset. Quod porro ad notas attinet, quas nobis necessitas quædam pene retentantibus extorsit, satis mecum præ-
Pueritia. clarè agetur, si pueritiam sapere, non etiam puerilitatem
Puerilitas. videbuntur. Vale. Florentiæ, IX. Kalend. Matas. M.CCCCXCIIII.

FRANCISCVS PVCCIVS
Angelo Politiano suo S. D.

ME verò ipsum recens ista Miscellaneorum editio, vt delectauit sane plurimum ob eximiam laudem, atque adeo immortalem, quā tibi pulcerrimo hoc opere partam

tam candidè sum pro amicitia nostra gratulatus: sic certè in eo commouit, atque pupugit nõ parum, quòd arcana illa, & verè dixerim, mysteria litterarum, quæ diu nos ac singulatim ab oris tui oraculo exceperamus, vt his quasi pro iure nostro placeri nobis, & gloriari possemus, peruulgatis nunc his libris, non magis nostra, id est, sectatorum tuorum, quàm populi, atque adeò scholasticorum omnium erunt. Et de Aristotele quidem præceptore suo conquestum esse per epistolam Alexandrũ regem Gellius scribit, quòd is scriptis, ac publicatis philosophiæ secretioribus operibus priuatum illum discipli næ profectum auditoribus suis inuidisse videretur. Et ita tamen legendos dedit libros illos Aristoteles, vt ab his tantum intelligi possent, qui eum prælegente n audiuissent. Rescribens enim regi affirmat τὸς λόγος ϗ ἐκδεδομέ νους ϗ μὴ ἐκδεδομένους, vt iam nostra multò æquior expostulatio videri debeat, quòd Miscellanea tua sic dilucidè, ac distinctè cõscripta sunt, vt hos libros qui legunt, os auctoris, & vt aiunt ζῶσαν φωνὴν non multùm, aut certè nihil desiderent. Hos tu igitur thesauros, has margaritas non porcis quidem, vt dicitur, sed populo, aut quod sit etiam indignius, grammaticorum ferulæ exposuisti. Nam per deos immortales, quid ego primum in hoc opere admirer? reconditissimósne locos, & quasi sanctius illud ærarium litterarum, vnde nihil communi percussum moneta, nihil publici iuris effertur? An doctrinarum varietatem, & illius ἐγκυκλοπαιδείας versicolorem, & vndequaque fulgentissimam vestem? An verò testium, quos citas, & auctorum dignitatem, simul ac numerum? quorum sane plerosque hi quoque, qui sibi docti videntur, ne de nomine quidem ipso notos antè habebant. Nam de ornatu illo, ac lepore nitidis-

A. Gellius lib. 20. cap. 4.

Libros & editos & nõ editos.

Viuam vocem.

Cyclicæ doctr.

dissimæ orationis quid dicam? quæ vario quodã, & propè vermiculato intertextu lasciuiens, omnesq; verborũ flosculos captans, candorẽ tamen vbiq; Latinitatis, & quasi pudicitiam præfert, vt illa ipsa purpura, & mulie bri mundo quam honestissimo indefessum lectorem vno propè decursu, à præfatione ad extremam illam coronidem traducat. Habemus in manus quotidie ego & Vgolinus tuus hunc librum, legimus, decantamus, edisscimus, ac nulla iam pagella est, quam non decies reuoluerimus: nec tamen adhuc caput vllum sic attentè, aut diligenter perlegere potuimus, quin resumentibus illud idem in manus arridere magis nobis, atque, vt Aphrica illa, afferre noui subinde aliquid videatur. Ac cum illo recognoscere iuuat, quæ pridem, cùm istic eramus, te prælegente dicimus: tum verò pleraque alia de liberalitate tua addita, quasi auctarium quoddam auida, ac pendenti aure combibimus: vt iam scilicet partitam cum alijs auditionis nostræ mercedem hoc ipso corollario non inuiti rependamus. Iam verò quanquam quidquid ipsi sumus, si quid sanè sumus, id totum tuo beneficio sumus: quantum tamen ingenio meo applaudere & gratulari me putas, vbi aliquid de penu tuo proferri videmus, quod nos quoque ipsi in re nostra nostro quæsitum Marte haberemus. Etenim licet sanè perspiciam quantũ inter aquilam ac noctuam intersit, tamen venire in idem, & cõsentire rationes nostras cum tuis, id verò ipsum placere, me meipsum mihi videri nunc demum aliquid facit. Omittã alia quædam, fraterculus ille gigantis apud Iuuenalem, & terræ filius apud M. Tullium, quàm eruditè abs te, et appositè enarratus est. In eundem verò sensum expositum esse à nobis abhinc fermè biennio in publico, frequentiq; auditorio lectissimus iuuenis, & vtriusque nostrum

strum amicissimus Nicolaus Valorius, qui tum fortè aderat, nouit. A miniatula quoque cera in epistolis Ciceronis non admodum diuersa nostra lectio fuit, qui nullũ quidem emendatiorem codicem nacti (est enim bonorum librorum in his locis mira penuria) sed tantum coniecturis permoti, minio, ac cera tua ponendum putaueramus. Sed & illud Iuuenalis cacoëthes appellari existimem iudicij tui caussa explorandi, quod mihi quidẽ pro Delphico oraculo esse non reticuero. Nám cùm legerim apud Cornelium Celsum cacoëthes speciem quandam carcinomatis esse, eam quidem molestissimam admodum, & diuturniorem, inde per metaphoram quandam à satyro assiduam incessentem vomicam scribendorum carminum, hoc signari nomine crediderim. Idq; cùm adiecta insanabile, & ægro in corde, & verbum ipsum senescit, quòd aptè cadit in vlcus rediuiuum: tũ verò etiã tria illa Augusti carcinomata, simili propè ratione sic dicta, quasi digito indicare videntur. Huic tamen sententiæ meæ quamuis (vt mihi quidem videtur) vndequaque in hunc locum quadranti, non prius calculum album adiecero, quàm cùm abs te quoque doctissimo, atque incomparabili viro comprobatum iri excepero. Nec verò illud veremur, ne fortè me existimes ex iis rebus velle tecum conferri. Præfati enim iam sumus intelligere nos quantum distet ab Aiace Thersites, & simul noui facilitatem tuam, qui in laudis tuæ participatum, cum omneis bonos, tum præsertim tui studiosos, & amatores non grauatè admittis. Sed redeo ad Miscellanea, in quæ mehercule Propertianum illud iam decantare possimus: Cedite Romani scriptores, cedite Graij. Etenim siquid mihi de litteris iudicij est, non iuniores modò omnes longo post te interuallo reliquisti, sed

Caco-ethes.

veterum etiam scriptorum laudem in hoc quidē genere haud dubiè adæquasti. Nā de copiæ quidem cornu, quod nonnulli in te inuidi acuebant, sentiant alij quid velint: mihi certè totum inane, ac vile, nec redimitum floribus, sed paleis occultatum videtur. Sunt enim meræ nugæ, et planè (vt ipse scripsisti) craßior inter vos, quàm inter Pyrrhamum & Thißen paries extat. Atque vt intelligas quàm istius operis æternitatem exploratißimam habeam, haud parū inuidere me fateor Michelotio, Vgolino, alijs q̄; compluribus æqualibus, & familiaribus nostris quod tam eximia in hoc libro præfatione citati cognoscentur à posteris, fient q̄; pariter tecum æterni, & illustres. Quòd si id antè mihi veniſſet in mentem, vel gratia, vel precibus, aut pretio etiam, atque omni ambitus genere cōtendiſſem, vt nos quoque honestißimæ isti centuriæ adscriberemur: & quoniam alios te subinde libros subcenturiaturum esse polliceris, iam nunc honorem istum quacunque tecum mercede paciscor. De meo autem erga te singulari studio, & amore, etsi de eo te non dubitare certò scio, tamen quia ita locus exposcere videbatur, scripsissem in præsentia aliquid, ni veritus essem, ne tam longa, ac verbosa epistola stomachum iam tibi, & propè nauseam fecerit: cùm præsertim nihilo breuiorem elegiam, quasi coronidem quandam adiecerim, quam ijs Dominici natalis ferijs per otium lusimus, admoniti patriæ, domestici laris, cuius iam non minus, quàm Homericus ille Vlysses ἵμαι ἠ, κατανὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι: & simul vt vna opera veteribus amicis, & tibi præcipue duci, & præceptori meo pristinā obseruantiam, & amorem testarer. Eam tu cùm vacabit diligentius perleges. Et si videbitur istorum hominū nasum non reformidare, ostendes cùm omnibus, tum etiam

Cupio & fumū exilientem posse.

etiam si qua oportunitas affuerit, Laurētio Medici, viro primario, & de me, & de omni ciuitate nostra bene meritißimo. Vale. Neapol. pridie Kalend. Ianuar.

ANGELVS POLITIANVS
Francisco Puccio suo S. D.

INCREDIBILI me voluptate tuæ litteræ affecerūt. Nō tam, crede, quòd nostra Miscellanea laudant (quanq̄ id etiam) quàm quòd apud me, qui tibi olim præceptor obtigerim, singularem quandā vel eruditionem, vel eloquentiam tuam profitentur. Vt enim agricola vehementer exultat, vbi generosos fetus ex arbore ipsa legit, quam suis quondam manibus conseuerat, ac diu multa cura produxerat: ita nos magnopere delectatos illa epistola tua scias, quæ mirificos istius ingenij nostra opera culti nobis fructus exhibuerit. Audieram quidem sæpè antea quoque, nec sine ingenti meo quidem gaudio, te Neapoli docere iuuentutem, magna celebritate, magna gloria. Sed hæc tua nūc tamen epistola planè declarauit, non abesse à Neapolitanis, quibus ita placeas, iudicium illud antiquum studiorum, quæ sibi olim sedem apud ipsos propriam, quasiq̄; certum domicilium delegissent. Est enim stylus eius epistolæ cùm (quod ego in primis exigere soleo) Latinus, & castus, tum verò elegantem quandam præ se indolem ferens, elaboratus, vnlaboratóque similis, hoc est, ita latenter, ita dißimulanter cultus, vt in eo se forma, non cultus ostentet. Facilis idem, profluens, numerosus, non anxiè, non molestè diligens, magisq̄; similis negligenti, sed ita tamen, vt plus eo quoque pacto Veneris habeat, qualis Apelleis est color in tabulis. Quid igitur mirum, si meum quoque sicuti Latonæ tacitū pertentant gaudia pectus, cum tales prodijsse discipulos è nostris vmbraculis video, quales ego

fortaße iã nec magiſtros aſperner? Non enim propterea quòd tibi ego tũc magiſter, ideo nunc quoq; te doctior. Nam & qui me docuerunt, ipſi deinde aliquoties in noſtra ſchola cum ceteris diſcentibus deſederunt. Vices ita rerum ſunt, & quidẽ pulcerrimæ. Nec mihi certè quidquam gratius, quàm diſcipulos emittere me quoque ipſo doctiores, præſertim ſi grati, ſi memores, ſi non in præceptorem quoque ipſum, ſicut in parentem equulei recalcitrent. Sed & de verſiculis, mi Pucci, tuis quid dicam? quam noua ibi multa, quàm imò antiqua, quod filũ, qui color, qui cultus, quæ illecebræ, quæ mollitia, quæ quaſi teneritudo, quàm ibi multas figuras, quàm multa lineamenta Græci Callimachi, neſcio equidem an data opera, ſed expreßiſti. Nam quòd in ijs me quoque laudas, & triplici eloquio ſuccingis, ac ne liuori quidem ius eſſe in nos vllum dicis, ſiue ita tu credas, ſiue tanquã poëta fingas, omnino tamen ago gratias, quoniã hoc ipſum contigiße mihi vt à docto homine, quamuis falsò, lauder, ingens profectò laus eſt, atque ob id vera. Sed illud, opinor, tu quidem iocans, quòd quaſi magnam quandem expoſtulas iniuriã, quia quæ prius in ſchola docui, nũc & in Miſcellaneis peruulgaui. Quid autẽ hoc tua? Nunquid adhuc dictatis indiges, qui per te numeros imprimere omneis, ac iam præſcribere ceteris potes? Quin imitare tu quoque leonũ catulos, quibus cùm ſatis dẽtes vngues q; creuerunt, aſpernati matris vbera, prædã ſibijpſi procul in ſiluis captant. Sed verſari cum Baccio Vgolino te dicis, eiq; librum noſtrũ voluptati fuiße. Cũ Baccio tu igitur meo verſaris Pucci? Cum Baccio iocos agitas, & ſeria? pene dixi (quod nefas) inuideo. Sed quis non tibi eius hominis inuideat conſuetudinem, quo nemo blandior, humanior, ſuauior? Deierem equidem nihil

Baccij laus.

me

me illo vidisse amabilius, nihil etiã tamen amantius. Itaq; consecutus mihi, quod nemo ferè vnquam, videtur, vt sit omnibus carus, omnibus iucundus. Amatur à principibus, sed sine aulicorum obtrectatione. Celebratur à doctis, sed sine æmulorum offensione. Cum ceteris ita vixit, vt omniũ ex æquo beneuolentiã colligat, ordinũ tamen discrimina non confundat. Quanta autem illi prudẽtia! quanta fides! quanta rebus maximis administrandis animi altitudo! quæ vis! quæ facundia! quæ acrimonia! quantum deinde amoris, officij, sedulitatis, diligentiæ! quæ porrò in conuictu comitas, facilitas, simplicitas! q̃ vbique candidus, facetus, ingeniosus! quàm etiam eruditus, ac litteratus! quid postremò carminibus illis, siue quæ ad citharã canit ex tempore, siue quæ per otiũ cõponit dulcius, mundius, limatius, venustius? Sed quid ego lõgius euagor? Fruere tu quantũ potes, meã, tuãq; vicem Baccio meo: fruere Baccio, meis serijs, meisq; delicijs. Atque adeò non tantũ meis, quàm omniũ potius, quicunque salem modò habent aliquem. Date verò operam (quò desiderium vestri leuius ferã) crebris vt inter vos de me sermonibus sæpissimè mihi (quod dici solet) aures circunsonent. De fraterculo gigantis quid mirũ, si tu eadem prodidisti fermè abhinc biennium, quæ nos abhinc fermè quadriennium? Nónne etiam catuli sæpe duo leporis eiusdem cubile deprehendunt, si fortè issdẽ vterque vestigijs institerũt? Cacoëthes verò non vlcus modò, sed & lenta quædam febris est, in definitionibus apud Galenum, quod & nos alibi retulimus in litteras. Vtroque tamen apud Iuuenalem consuetudo mala significatur. Ceterum quid hoc est, quòd tu tam timidè, & diffidenter, tã lentè, tã suspiciose, tã cautim, tã quasi pe detentim nos adis? An vereris ne me istis offendas? quasi verò

Cacoẽthes non febris est apud Gal. sed vlcus malignũ & contumax. 4. Therap.

verò non laudes tuæ redundẽt in nos, sicut in te nostræ; quasiq; nescias me meorũ familiarium laudibus plus aliquanto fauere, quàm proprijs. Ego te profectò in consortium laudũ mearum (si modò meæ sunt aliquæ laudes) adeò non grauato admiserim, vt hanc potius mihi laudẽ vnam putem laudum omnium maximum, quòd eas tu non aspernaris. De copiæ cornu, Miscellaneisq; nostris (quãquàm amore labi tu quoque potes (à te tamen) vt verum fatear) non magnopere dissentio. Veruntamen illud interim memini simiam quoque ipsam, quæ turpissima bestia vocatur ab Ennio, credere tamen suos catulos omnium formosissimos. Vale.

AVGVSTINVS MAFFEVS
Angelo Politiano suo s. d.

Cvm esses Romæ apud nos æstate superiore vir doctissime, ac non multis ego antea diebus accepissem, te non minore ingenio, & doctrina, quàm cura, Herodiani viri sanè clarissimi historias è Græco in nostrum sermonem vertisse, ad communem videlicet studiosorum omnium gratiam & vtilitatem: tanta sum equidem animi voluptate affectus, vt nihil profectò auribus meis aut antiquius, aut optabilius afferri eo tempore potuisse existimem. Hinc enim factum est, arbitror, vt ego recenti quodam desiderio eius visendi operis commotus, atque erectus, paulò curiosius exemplar abs te petere non dubitauerim. Quod mihi pro singulari tua erga omnes facilitate, non modò non negasti, sed & verbis amplioribus spopondisti, id te quàm primùm Florentia vsque ad nos transmissurum, ne diutius scilicet tam floridæ, tamq; amœnæ lectionis fructu, ac voluptate careremus. Quem librum cùm auidè per dies multos exspectassem, neque meum ingens illud desiderium diutius sustis-

sustinere possem (quippe iã dubia, & incerta spe quadã meus detineri animus videbatur) omni studio, ac solicitudine, industriáq; elaboraui id efficere, quo minus tale opus esset mihi vlterius desiderandum. Itaque inuento apud nescio quem dubiæ sanè fidei exemplari quodam, quamprimum iussi volumen ipsum, vt erat, exscribi, atq; exarari. Quod equidem arbitror partim scriptoris incuria, partim exemplaris vitio esse pluribus in locis corruptum, ac deprauatum, nec plane suis omnibus integris membris consistere. Quam rem adnotasse haud improbè videar, dum proximè luculentam ipsam historiam non incuriosè, ac conniuentibus oculis perlustrauerim: quæ adeò meas aures impleuit, vt in ea lectione meum omne studium, atq; otium per hos continuos dies collocauerim. In qua præter elegantiam, concinnitatemq; Romani sermonis, ac sententiarum varietatem, illud in primis nõ solùm præcipua laude, sed esse singulari admiratione dignissimũ cõspicatus sum, quòd cõcionibus adeò crebris, adeò sublimibus abundat, vt in ea parte insignis ipse historiarũ scriptor Herodianus Cornelio Tacito nostro, ne primo quidem loco cessisse videatur. In quo nõ minor profectò laus tua, & felicitas esse debet, cùm in eo verẽdo opere illud planè fueris assecutus, vt seruata vbiq; veræ historiæ maiestate, nihil quod ad cãdorem, ad sublimitatem, ac decus Romani sermonis, aut ad sententiarum grauitatem vel totius operis ipsius concinnitatem pertineat, aut requiri abs te, aut desiderari posse vllo modo videatur. Qua ex re illud proculdubio futurum de hac tua proxima fetura ominamur, vt magnos scilicet, atque vberes fructus, nec minores voluptates sit cunctis litterarum professoribus succisiuis paritura temporibus. Quæ licet hactenus non nisi ad paucorum manus

nus peruenerit, auctori tamen iam suo æternam memoriam, et claram nominis perpetuitatem spõdere affatim, ac polliceri videtur. Nam mihi verè persuadeo Græcũ virum Herodianum, quem ipse nuper ciuitate Romana donasti, si in mille volumina diligenter impressus, transcriptusq; ad manus litteratißimorum hominum, semel reseratis carceribus peruenerit, de eo singulorum iudicio, expectationique satisfacturum, vt in eo libello nihil nisi candidum, nisi sublime, nisi luculentum, atque omni ex parte perfectißimũ, contineri omnes ingenuè fateantur. Quamobrem nihil est, vir litteratißime, quòd singularem hanc gloriam, veluti popularem quandam auram vel contemnas, vel in postrema parte felicitatis tuæ colloces. Quæ quidem cùm ex ingenij tui viribus orta sit, ac solo virtutis suffragio tanquam ex quodam legitimo certamine, constet, in memoria profectò, ac recordatione sempiterna omnium mortalium euigilabit. Hanc ego mediusfidius futuram de te famam, hanc lucubrationum tuarum æternitatem, tanquam ex altißima quadam specula intueri iam planè videor: nisi tamen (quod minimè vereor) singularis meus erga te amor, & antiquæ ipsius historiæ maiestas, & reuerentia, quam Græcis iampridem commendatam, vel potius occupatam litteris postliminio tandem in patriam redire iußisti, me in hac parte cæco, & obscuro esse iudicio facit. Non potui tamẽ nõ molestißimo, & iniquo animo ferre, quòd cùm proximè (vt dixi) ex deprauato illo archetypo sumtum, & emendatum non incuriosè, nõ surda aure, non illotis (vt aiũt) manibus retractauerim quædam in eo adeò corrupta, adeò varia, & præpostera adnotaui, vt nullo pacto sententijs verba congruere, aut satis cõpetere videantur. Quibusdã tamẽ in locis tentaui deprauatas libelli par-

tes

tes, si quâ possem lima, vel ingenij ratione castigare. Quod cùm minimè assecutum me fuisse intelligam, cupiámque nostro huic volumini suum ius, suámque integritatem restitui, operæpretiũ mehercle arbitratus sum illud ad te qualecunque transmittere, quòd bene in primis abs te perlustratum, atque omni ex parte diligenter repurgatum ad suum quàm primùm dominũ serena fronte, & cute candidula reuertatur. Quam curam sinõ moleſto animo pro amico sumseris, habebis me profectò laudum in primis tuarum vocaliſsimum præconem, atque omni tempore memoriæ tuæ clariſsimæ non ingratum, aut sanè frigidum debitorem. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Augustino Maffeo suo s. d.

QVANTO tu erga me liberalior, & humanior, tantò me abs te maiori affici iniuria puto, videlicet quòd inhumanus habeor, cùm tecum conferor. Accepisti me Romæ superiori æstate domi tuæ, mihique perbenignè libros veteres, aliáque monimenta, quibus tu abundas, ipse delector, ostendisti. Rem tibi ego tamen pusillam, facilémque roganti non tribui. Quis me ferat? omnes te docti colunt, hominem doctum, doctisque fauentem: solus ego si non contemsi, certè suspicionem dedi, quasi contemserim, Quid agam? culpámne conferam in occupationes? sed quæ tantæ potuerunt occupationes efficere, ne codicem mitterem, quem domi habebam? Oblitúmne me dicam? Sed obliuisci nec potui, nec debui, quod tu tantopere à nobis homo tantæ dignitatis, tantæ auctoritatis, & gratiæ, tam bene de nobis meritus petijsses. Si factum neglegentia dixero, erit hæc ipsa neglegentia vix expiabilis. Quid igitur? Nempe id quod res est, putabam quotidie

die cras missurum, cras tamen videre adhuc non potui. Denique sic cogitabam. Sciet Augustinus eò plus esse apud me fiduciæ, quò sit minus officij. Plus amari porrò fiducia, quàm officium debet. Ergo quo plus cessabimus, plus ille nos amabit. Nec verò ratiocinatio fefellit. Tantum enim abest, vt te offenderimus, vt honoris etiã nostri caussa describi protinus egregijs & notis, & paginis Herodianum curaueris, epistolámque composueris ornatißimam, nostris refertam laudibus. Ac nequid abesset, etiam grammaticum vetustum, nec adhuc peruulgatum, quem commodari tantum volebam, dono dediſti. Sic ergo meum consilium, si non sapiens fuit, ac certè felix. Sed cur non & sapiens, cùm bene coniectauerim, prorsusq; diuinauerim? Quòd Herodianum laudas, gratũ: nec enim pluris apud me munera illa pontificia, quàm suffragium hoc tuum. Licet igitur hunc ego librum pene ex tempore Latinum fecerim, tamen quoniam tu negligentiæ meæ subscribis, ego quoque iam posthac italibi fauebo, ceu si nihil industriæ defuerit. Exemplum certè quod misisti, libens emendabo, tum epistolam seruabo tuam diligenter, vt ex occasione contra obtrectatores proferatur. In qua cùm sint omnia laudanda, nisi quòd nimium me laudat: quid tamen ibi prius laudem, non inuenio. Fortasse verò laus eius nulla prior, quàm quòd animata, & spirans, citra lectoris operam per se ipsa pene videtur loqui. Vale.

IOANNES FRANCISCVS
Benedictus Angelo Politiano S D.

MIRABERIS fortasse eruditißime Politiane, quòd ad te ignotus scripserim, & præsertim tanti nominis virũ. Verùm si ad huius calcẽ perueneris, inuenies profectò si ignotum, saltem tui amantißimum, & acerrimum tuarum

tuarum laudum propugnatorem ad te scripsisse: si acerrimus propugnator is esse potest, qui nondũ velitis functus est officio. Agẽs enim hîc Venetus secretarius Miscellanea tua, opus sanè multijugum, ac eruditum perlegere decreui. Arbitrabar enim id, quod de te constantiss simè conceperam, me non minus eorũ doctissima lectione, quàm multiplici eruditione delectatum iri. Verùm mehercule superauit (vt ille) præsentia famam. Inueni siquidem non sellulariam, ac triualẽ in eis doctrinam, sed qualem Marci Catonis, illiúsue antiquitatis fuisse memorant. Quo factũ est, vt si prius tuus fuerã amicus, nunc deditissimus sim: publicoq; prædicabã ore Politianum nostra ætate eruditissimum esse. Et ne fortassis me hæc ad adulationem dixisse putares, Bernardus Riccius Florentinus secretarius vir litteratissimus, indubitans erit testis. Essent et alij, & præcipuè Georgius Merula, si naturalis liuor permitteret cũ quo tui caussa pugnãdo, res mea ferè ad Triarios deuenerat, qui te furem, te Cæsariani præcepti immemorẽ appellabat, instabátque acrius (prout eius est instituti) amplissimam virtutum tuarum famã deturpare, ac statim pòst compositam in te inuectiuam ostendit, qua conatur te manifesti furti deprehendere. Ego autem virum admonere non cessabam, hortans, & enixè rogans, vt ab huiusmodi inuidioso desisteret instituto. Affirmabam enim se non tantùm Politianum veteranum militem, sed Picum etiam, quem tu iure phœnicem appellas, in se cõcitaturum: omnẽ deniq; doctissimorũ virorum academiam: qui cùm bonarũ litterarum studiosi sint, Politiani partes acerrimè defendent. Verum irrita, & vana nostra fuit omnis admonitio. Nam transcripturus inuectiuam, quàm primum in lucem dabit. Sed parturient montes, nascetur ridiculus

Georgius Merula.

mus. Fateor certè Georgiũ Merulam virum doctũ esse, verùm Politianum doctiorem esse nunquã negabo. Et ne cogitares me in eum hæc odio dixisse, scias velim meum fuisse præceptorem, cui (vt Fabius inquit) tanquam alteri debeo parenti. Verum amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Et de ijs satis. Tuã in Aristotelis libros prælectionem his proximis diebus vidi: quam adeò admiratus sum, vt stupore quodam altera dubitarem fieri Niobe. Prò Iupiter, sapitne hæc vulgata aliorum lectionem? sapitne pædagogorum tritam enarrationem? Quidquid in vniuersali scientiarum machina continetur, in quatuor quinquéue schedas strictiũ à te repositum video. Faueant igitur alij cœptis, nam quemadmodum de Pico verissimè dici potest, solum in litteris esse phœnicem: sic quoque de te iam fatendum erit. Reliquum est, vt scias Ioannis Franciſci operam ad nutum te habere. Teq; sacratissimo academicorum vinculo obtestor, vt non minus me, et rebus vtaris meis, quàm proprijs. Nec te pigeat Pico optimo, optimarum litterarum principi me commendare. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Ioanni Franciſco Benedicto S. D.

NON minus gratæ mihi tuæ litteræ, quàm si tu diu notus. Idem quippe in amicis, quod in pecunia: iucundius multo parantur, quàm habentur. De Miscellaneis credo equidem ita tibi videri, vt scribis, fortasse aliter videbitur, cùm in amoris locũ censura subierit. Hoc & Merulæ fortasse vsuenit. Olim nos cum primis amabat, nunc (vt ais) accusationes quoq; parturit, non liuore credo, sed iudicio. Cupio quãprimũ clamet, Iuno Lucina fer opẽ. Ac si opus fuerit, egomet quoq; obstetrix accurram. Prælectionẽ verò, qua disciplinas omneis aut di-

diuidimus, aut partimur, admirari tum desines, cùm ad te Picum conuerteris, cuius vno in pectore sese disciplinæ illæ omnes, tantæ, tamq; multiplices explicârunt. Nam quòd vtriusque ambias amicitiam, causſa non est, vt possis iam nunc vtrique carissimus, vtrique intimus. Non enim aliter amicos, quàm in commune paramus. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Marsilio Ficino S. D.

LIBROS quos graueis, & copiosos de vita nuper dedisti, accepi. Prima eorum frons, et indicium plurimum inuitârunt, vt capita decurrerem. Immorari in eorum lectione diutius non licuit, quoniam heri sunt redditi inter conclamandum ad vasa, exeunte in venationes principe. Cras verò Ticini me esse oportet, in qua vrbe (vt spero) absumam duodecim dies. Inde regrediẽs ad Ficinum, id est ad vitam meam, regressum me esse arbitrabor: magno enim me studio iã nostratia hæc oblectant, qui vetera tantum sectari soleo. Nec abre, penè totas Athenas istuc concessisse video, vt Latinas habeamus. Id fieri nemo negârit, auctore Laurentio Medice, viro ex omni æuo incomparabili, qui signum quoddam omnibus bonis artibus, & disciplinis, ad bene sperandũ sustuliſſe videtur: sed plura aliquando de illo, nec pauciora de libris tuis, quibus Plato planè fit noster. Interea nec gratias tibi ago, quãdo maximarũ debitor sum. Nec magis contendo vt me ames, qui te parentis loco esse volui. Vale, & oculis nostri sæculi Pico, & Politiano me commenda. Vale, Mediolani.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Antiquario suo S. D.

IN calce epistolæ cuiusdam, quã tu ad Marsilium nostrum Ficinum scribis, mei, Picíq; mentionem faciens,

oculos nos huius seculi appellas. Gauisus, fateor, opinione tua sum, delectatus testimonio, prope etiam elatus laudatore Antiquario, præsertim apud Ficinum illũ, mortui penè Platonis Aesculapium. Sed vt in me descẽdi, nihil omnino reperi, quod istis laudibus responderet. Conuerti ergo ad Ficum, partemq; illã meam laudationis tuæ transcripsi. Nam vt solem vnum mundus, ita vnum habet hæc ætas oculum, non duos. Vale.

MARSILIVS FICINVS
Angelo Politiano suo S. D.

ACCEPERAM calamum Angele, vt Homericam Musam tuam miris in cælum laudibus, quo ad possem extollerem. Repente autem sic interpellauit me Cupido: Quid agis inepte Ficine? sempérne in laudibus Musæ versaberis? Me lauda philosophe, si vis absq; adulationis suspicione laudare. Si Musam celebras Politianam, Angelum solum celebras: si Cupidinem, Angelum vnà, atq; Marsilium. Ego enim communis vestrum amor sum, vtrunq; colo, ab vtroque color. Hæc, Angele, deus ille mihi. Sed ego illi inquam, Verax est Musa Politiana, nunquam mentiri me cõpulit, & tu periure amor me cogis mentiri quotidie. Ita heri delicias Politianas amabã, vt iurarem eas in posterum vehementius amare non posse: sic hodie rursus amo vt iurem me heri eas non satis amasse: vtq; simul adfirmẽ, nõ posse cras ardentius amare, quàm hodie. Cras istud quotidie similiter me deludit, semper adultus est meus amor, quis credat? semper & adolescens. Adolescat tamen vt placet, modò non senescat. Sed audi Cupido, non Venus amoris huius mater est, sed Calliope. Fouet hunc Musa sedulò, crescit assiduè: crescat hoc fomento iugiter, & periurus sit. Non est hoc vitiũ in amore. Sic igitur, Angele, cõmunẽ amorem no-

rem nostrum, Musamq; tuam colere vna & debeo, & volo. Tu Musam ipsam adora, amoris & gloriæ matrem. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Marsilio Ficino, Philosopho Platonico suo S. D.

QVID obsecro indignatur amor iste semper in nostræ Musæ laudibus te versari? quasi verò alius eã magis, quàm amor laudauerit, qui quoniã cæcutit, vt Plato inquit tuus, ideo nec fidẽ facit. Itaq; iure nostro ciuili ne postulare quidem cæco licet: sed quoniã laudari iamse quoq; vult à quo tandem laudabitur? An à Musis? quando nec in Phædro sine Musis laudatus. Sed Musis nõ creditur, vtpote dicentibus falsa (si credis Hesiodo) similia tamẽ veris. Dicũt & vera quidẽ (sic enim est apud eundem) cùm volunt: volunt, opinor, apud Mineruam, cui noctua famulatur, quæ vel in tenebris cernit. Mineruæ porrò numẽ familiare tibi, sicuti Musarũ mihi. Verè igitur apud nos amor noster laudabitur, licet ipse minus verè Musam laudauerit. Solet autem (quod idem tuus auctor Plato affirmat) etiam Iouis permissu peierare amor. Vale.

MARSILIVS FICINVS
Angelo Politiano suo S. D.

SI nunc Politiane dixero me litterarum tuarum acumen, & eloquẽtiam non mediocriter admirari, aliquis fortè me nimis admirabundum existimabit: quippe cùm nouitas tantùm cæteris admirationẽ párere soleat, ego verò etiam quæ mihi in Politiano iandiu notissima sunt, videar admirari. Sed re vera non antiqua nunc in te sed noua demiror. Adeò enim feliciter Politianus meus brevissimo quodã tẽpore adoleuit, vt mutata forma alius

mihi iam nouúsque appareat. Ergo qui mihi puer non parum, qui multùm placuit adolescens, idem plurimum perplacet adultus. Meritò crescente in dies forma, creuit & gratia: atqui id quidem ea etiam ratione placet factum, quia sæpe vaticinatus sum futurum. Perge igitur, fac obsecro, vt cœpisti, te diuinum, vt simul me facias diuinantem. Quòd autem Marsiliana tantis vbique effers laudibus, nihil miror. Quis enim in proprijs laudibus canendis non vehemens sit? nõ accendatur? Quis adeò gustu caret, vt non sibi sua maximè placeant? Retulit nobis Francus, quid cum doctis omnibus, præsertim cum Hermolao Barbaro erga nos egeris. Quid petas vt agam? agam equidem libenter, vtinam bellè. Bellè certè ago, atque bene quidquid cum Bernardo Bembo meo ago. Landinus & Caualcantes innumeris te vicißim salutibus obruunt. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Marsilio Ficino suo S. D.

NON tu noua deprehendis in me quotidie, quæ laudes, sed noua potius in te, quibus me laudes. Suggerit hanc tibi copiam nimius amor, apud quem (sicuti Propertius ait) maxima de nihilo nascitur historia. Diuinum verò tu puto, me facies, qui fecisti diuinantem, dum quotidie diuinum te prædico. Vale.

MARSILIVS FICINVS
Angelo Politiano suo S. D.

ALAMANNVS Donatus noster iampridẽ ore illo, Politiane, suo (nosti hominẽ) ore rotundo, altius hunc in modũ nostris auribus insonat, Commẽda, precor, per humanitatem, commenda, obsecro, per sacrum istũ amorem in me tuum, qua quidẽ obsecratione nulla sacratior, commenda quàm primùm Alamannum tuum Politiano.

Cùm

Cùm verò tam ardentis, tamq; pertinacis petitionis, siue flagitationis potius ab eo causſas diligenter exquiro, ille ſimiliter rurſus ingeminat, Commenda Ficine modò, Commẽda quàm primùm. Cauſſam autẽ tam exoptatæ commendationis adhuc explicat nullã. Ego igitur cauſſam eius, qui nullam petitionis ſuæ cauſſam affert, ſine cauſſa ſimiliter tibi commẽdo. Sed caue, Politiane, putes præſentem commendationẽ ob hoc ipſum, quòd carere cauſſa videatur, eſſe leuiſſimam. Ego enim contrà ob id potiſſimum tibi grauiſſimam videri volo. Nempe ſummum apud philoſophos in quolibet rerum genere illud habetur, quod in eo ipſo genere cauſſam nullam habet, quaſi non ab alio vllo, ſed à ſeipſo dependeat. Quamobrem commendatio præſens, cuius nulla præter ipſamet tibi adducitur cauſſa, ſumma apud te commendationum omnium cenſeatur. Etſi Alamannus ipſe, ſicuti plerunq; ſolẽt, qui ad quoſuis concitatius efferuntur, clamitat ſolum, eundemq; clamorem ſæpius iam auribus noſtris ingeminat, clamoris autem ſui rationes vllas lingua ſub rapidiſſimo cordis affectu hæſitante plane explicare non poteſt: ego tamen indicijs certis adductus, opinor eum inſano quodam amore Muſæ alicuius formoſioris accenſum ardere iam totum, atq; vehementer optare ſaltem gratiam Politiani Muſarum ſacerdotis, amicitiamq; imire: quo quidẽ cõciliatore, amata quãdoq; Muſa facilius potiatur, Omnes vt ſecum ſtudijs pro talibus annos exigat, & pulcra faciat ſe prole parentẽ. Vale. Sed antè, quàm epiſtolã obſignẽ, teſte Angelo, te prædico huic Alamãno, ſiquãdo huic officio meo, minus officioſus, gratusue videbitur (quod abſit) ei me ſic prorſus exprobraturũ: Ha, nimis ingratè dicã, nónne ſatis à me tibi factũ quondã exiſtimabas, ſi te nõ tã Muſarũ ſa-

cerdoti, quàm ipsis Musis, quod multò maius est, videor commendasse? Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Marsilio Ficino suo S. D.

HERCVLEM me vocas in libro tuo de vita, quòd monstra domem, puto illa intuens monstra, quæ veterũ libros nimis obsident, in quibus ego purgandis diu, multumq; laboro. Magnifica laus, præsertim à philosopho illo, qui sit princeps in secta principe. Sed ego tanti nominis pondus sustinere non queo, non magis quàm cælum, quod ipse tamen Hercules sustinuit, Iolaum potius appellato me, si speciosis nominibus delectaris: quòd penè oppressæ ab Hydra vetustati, velut Herculi clamanti sum præsto cum face. Tu tamen indulgens amori (quod & parentes alij facere solent) nomen imposuisti filio, non quod aptissimũ, sed quod pulcerrimũ. Vale.

Hercules Iolaus.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER SEPTIMVS.

MACARIVS MVTIVS EQVES
Angelo Politiano suo S. D.

PERVENIT ad me nuper auspicio quidẽ tuo, sed ductu Guarini Camertis Centuria tua, vario splẽdore, multiplicique apparatu: nihil sanè latius, nihil felicius memoria nostra prodijt in lucem. præibat enim Centurio non Latiam, sed Hetruscam vitem gerens, omnis insantiæ, at-

atq; inscitiæ acerrimus expugnator M. T. Cicero iam læto, hilarique vultu, patrocinio tuo detersa macula grauioris censuræ Argyropyli, restitutóque ordine litterarum suarum & Philotheoron, & Sciamachiam agnoscere lætabatur. Proxime Catullus reiectis Cercopithis, & Caprotinis longiore itinere Carpatinas crepidas resumserat, ac subinde commodis, atque Hionijs Arrij fluctibus ridens aspirabat. Hunc Oarion, atque Harpocrates iam noti, libera longo ignorantiæ situ facie sequebantur. Horatius Chamælopardali, Lucretius equo Durateo, Martialis compare mulo vehebatur, circum dulcißimi moduli poëticis concentibus respondebant. Genialia Ouidius naulia præferebat. Martiali Græcula recantabat Echo. Ornabant Claudiano tempora purpureæ rosæ, colore Veneris coloratæ. Delectauit mirificè me hoc spectaculum, in quo pulcerrimum planè erat aspicere, industria atque opera tua omnes ferè principes linguæ Latinæ aliquid ornamenti ad suã pristinam dignitatem recepisse. Præ ceteris verò Iuuenalis pulsis Domitij vmbris purus nitebat, tandem Cotytto, & Cacoëthes approbabat. Fastidiebat pleraque, in primis braßicas reponi. Inde Laconicum petere videbatur, quo sese agnito per te denique Pityliſmate suo exerceret. Præclara deinde controuersia visa est, dum quisque magis se tibi debere contendit. Hinc Suetonius salutis augurium, Ascoperam, Tetraones, automaton, Naso Sibaritidos auctorem, Aristidis libellos, Priapi carmen, Teuthrantiam turbam: inde Quintilianus ceratinas & crodolitas, Propertius ocnum, cum sparto, & asello: Valerius duriã noctẽ: Liuius Causarios milites: Alij quoq; alia tibi acceptа referebãt. Postremo ferè ordine Iustinianus, qui pluribus cicatricibus deformis

fuerat, clara frõte, rectoq; supercilio omnibus se passim exhibebat. Tibi ciuicam parabat, te vindicem, te assertorem imperatoriæ maiestatis ingenuè fatebatur. Verũ extrema centuria subtristes quidam incedebant. Dolebat siquidem A. Gellius ænigma Varronis, quod ad exercenda ingenia inuolutum reliquerat: & Ausonius legem puto Sphingis veritus, scirpos, qui hactenus insolubiles habiti sunt, te omnibus explicuisse. Longè verò ab his Domitius nubila fronte, ac deiectis ad terrã oculis, præterea candidus, & comtus videbatur, vbi proximè accessit, fucatus, accersitis quoque pigmentis ornatus, cõpositusq; apparuit. Fædissimæ tamen maculæ cẽsura tua relictis tectorijs, qui de se quæque hominis natura esset facilè indicabãt. Iamq; Attegias, in quibus hæsitauerat, quàm præclarissimas illas Medicæ familiæ ædes malebat, vbi præstigiosis commentis fortasse locũ inueniret: cùm isthinc quæ corrupta, inuersa, aut supposita olim Laurentio, ac Iuliano Medicibus persuadere conatus est, deprehensa à Politiano, reiecta, atque explosa perspiceret. Verùm dum hæc vel illam intentus spectarem, non potui sub primum aspectum singula colligere, quæ mediam Centuriam vario decore pulcerrimè aspergebant. Effugerant siquidem Pliniani Poppismi ad Fulgetras, Leo quoq; Nemeæus à Luna desiliens, & canis Herculeus, qui purpuratis fortè labris tyro delectabat. Multaq; præterea quæ supremum ingenium, operosam industriam, exactam atque multiplicem doctrinam, purum, erectum, elegans, perpetuoq; sibi constans dicendi genus apprimè commendarent: & quæ doctissimus quisq;, & sinceræ veritatis studiosus, qui vel ipsos antiquorum codices archetypos cupiat sine controuersia, omni laude, ac fauore cumulabit. Equidem si citra inuidiam & re-

reprehensionem, vel infimum mihi in eo numero locum vindicē, non infimas tamen, aut vulgares tibi laudes debere sum visus, nec officio deesse volui. At vbi me collegi, Quid ago? inquam: quid lucis, aut splendoris à me accipiet qui clarissimæ quæque Romanæ linguæ lumina quotidie suscitat, & accendit? Abundè quidem & nitidus, & splendidus videri debet, qui alios illustrat. Non video profectò quid vnius aut alterius approbatione, ad cōsummatā laudem tuam possit accedere, cùm Oratores, Poëtæ atq; Historici, eorumq; interpretes studiū tuū, ac doctrinam singularē necessariò testētur. Hoc Cicero, hoc Quintilianus, Catullus, Propertius, Plinius, Liuius, ac ceteri demum, qui Centuriam implent, vel inuiti præ se ferent. Nemo sanè leget illorum monumenta, qui vbi eos locos attigerit, quos tu aut correxeris, aut restitueris, vel fidelius fueris interpretatus, nominis tui possit obliuisci. Viues igitur cū illis, & perpetuo viues, vt par est, quorum scripta ab iniuria audacis inscitiæ, et ignauæ posteritatis vindicasti. Nam qui apud Latinos aliquandiu docti sunt habiti, dum multa minus cognita, minúsue inspecta temere transeunt, approbare sunt visi. Inde frequentes maculas clarissimis auctoribus inustas cernimus, quos modò Politianus si polit, si abstergit, si emendat, & ad propriam reducit dignitatem, meritò sanè cum illis immortalitatem assequitur. Prodeant ergo aliæ Centuriæ, & tota acie cum barbarie decernatur. Nam si vna vertit in fugam, tota classis, aut legio facilè triumphabit. Musset inuidia, vel libertus murmuret, Hæc mea sunt, ego prior inueni, ita sensi, hæc abstulit, hæc surripuit, sibi illa supposuit Politianus, nugæ & rapinæ. Ego sanè, vt de me loquar, antè, quā Venetias annauigares, Harpocratem ex Varrone, & Ouidio satis noue-

noueram. In aſpiratione Arrij nunquam dubitani. Oeni apud Propertium ex lectione Plinij iampridem emendaram. Aenigma Varronis pluribus ſolui, & ne quæ dãno vitia ſubeam, pleraq; alia noui, & docui. Cur autem non ſcripſi? cur non edidi? Mea eſt culpa, tua eſt laus, tua eſt gloria, conueni tecum. Cui mirum? Communi litteratorum iure hæc ſunt communia, patent occupantibus. Verùm his tantum adſcribuntur, è quorum ſinu iam ſua prius euolarunt. Gaudeant alij vmbra, vel intra limen ſe contineant, ibi ſignum ſemper exſpectent, ibi obſtrepant, ibi contendant. Tu verò cum laude per ſtadium curras, tu coronatus incedas, qui rinocerotes, aut maſtiges non horruiſti, nec liuidæ cenſuræ aleam ſubire. Fruere igitur parta victoria, & præclari certaminis, in quo nec laboribus, nec periculis ceſſiſti. Conſenſum doctorum nomini tuo ad æternitatem præmia repone. Tu quoque felix Centuria quantũ præſtantiſſimo duci debes, qui ad amuſſim omnis diſciplinæ te inſtruxit? Abi victrix, tutus eſt tibi congreſſus, nihil obſtabit. Nam (vt verbis Papinij te alloquar, quibus ille Thebaidem eſt affatus) iam fama benignum ſtrauit iter, cœpitq; nouam monſtrare futuris. Iam te magnanimus dignatur noſcere Cæſar (Quo etenim Cæſare Laurentius tuus vnicum litterarum præſidium habetur inferior?) Italia iam ſtudio diſcit, memoratq; iuuentus. Nec meritis honoribus mors expectanda, ſed auctori viuenti decus, atque ſentienti litterarũ ſtudioſi iã meritò impendunt. Hæc ad te ſcripſi tumultuario ſtylo, ac licentiore epiſtola. Excuſabit tantũ occupationes meas, quibus nimium diſtringor, & primũ ingenij motum, quem celeritas maturare non potuit. Malui tamen hæc quæcunq; eſſent, ad te mittere, q̃ diutius à me officiũ deſiderari. Omnia enim tibi debere

ſum

sum visus, ex quo te semel Venetijs sum allocutus. Cepisti enim me nimirum aureis eloquentiæ tuæ hamis, & tenacioribus filis implicuisti, quibus nec volui, nec potui vnquam explicari. Vtinam mihi par esset ingenium laudibus tuis, vel saltem, quod olim fuit, vt cupiditati meæ satisfacerem. Fuit, fuit, inquam Macarius, nunc tantum reliquiæ sunt suauissimæ apoplexiæ, quæ me non multò pòst, quàm à me discessisti, dum publicè Horatiũ profiterer, repentè corripuit. Nota est pestis. Inueniet nec hoc fidem (vt præteream biennium, quo attonitus sinistra quoque corporis parte penè syderatus per omnem difficultatem vitam traxi) me aliquandiu nullas litteras tenuisse? Cognoscebam libros, litteras ignorabam: qua parte nihil sæuius, nihil crudelius expertus sum. Tandem ad me rediì, ac paulatim diuino auxilio, industria medicorum, & benignitate patrij cæli liberatus sum. Nondum tamen Macarium agnosco, reliquias video tantum, quas viris doctis, & tibi in primis dedicaui. Neque quod morbus ille teterrimus reliquit, alia vis vnquam Politiano meo eripiet. Vale. Camerini.

ANGELVS POLITIANVS
Macario Mutio equiti Camerti S. D.

ACCEPI superioribus diebus elegantem abs te epistolam, doctam, copiosam, grauem, summo etiam artificio conscriptam, summo ingenio, qua Centuriam nostram velut in Circensi pompa vario tu quidem ornatu, varijsque insignibus ostentabas. In ea verò mihi non magis Oratorem facundum, quàm poëtam diuinum videris exhibuisse, qui sic excellenter pulcerrimas, atque admirabiles visiones non modò animo conceperis: sed & oculos representaueris. Viuunt imagines in tuis verbis, & spirant. Vegetæ sunt, actuosæq; non otiosæ,

non

nõ lẽtæ, nõ ceſſantes: Hilaria ſcilicet ipſa mediusfidius expreſiſti. Sic vbiq; perſonata occurrit varietas. Nec tam profectò apud me, quàm apud te culta Miſcellanea mea ſunt, ac plus fortaſſe iam tibi quàm auctori, parentiq; debent. Agnoui Macarium prorſus illum qui mecum Venetijs olim congreſſus, quodam penè facundiæ ſuæ torrente me rapuit: agnoui, nec ei quidquam morbus ille peſtifer detraxerat, quòd non etiam magno cum fœnore bona valetudo reſtituerit. O ſi mihi concederes vſuram pauliſper eloquentiæ tuæ, quàm penitus in eius epiſtolæ me laudes inſinuarẽ! Quæ mihi pro clypeo, & muro contra liuoris impetus, imò quæ non epiſtola mihi, ſed quædam propè immortalitas. At enim quoniam id rerum natura non patitur, circumferã certé, dimittam, ſpargámque eam per omnium aures, videlicet vt enixè laudetur ſemper ab omnibus, nec tamen vnquam putetur laudata ſatis. Vale. Varrinus ciuis tuus, auditor meus, ad ſummum linguæ vtriuſque faſtigium pleno gradu contendit, ſic vt inter doctos iam conſpicuus digito monſtretur.

TIDEVS ACCIARINVS
Angelo Politiano ſuo s. d.

INCIDERVNT in manus noſtras veluti mutilata ramenta quædam interpretationum tuarum in Papinij Siluas, quibus aut intacta à Domitio explicas, aut explicata ab eo meliora reddis, Angele vir eruditiſſime. Hæc ego diligẽtiſſimè penſitata, nõ potui non vehemẽter probare, ſumq; coactus & ingeniũ tuũ ſuſpicere, & doctrinã ſingularẽ tuã mirificis laudibus perſequi. Tametſi ſua luce clariſſimi viri alienis igniculis minus indigeãt. Igitur etſi nõ ſum de te benemeritus, nullaq; extẽt in te officia mea, peculiari tamen humanitate tua qua ceteris

ceteris omnibus te præstare vna, & cõstanti omniũ voce audio, rogo, imò obsecro, & obtestor vt tuis mihi litteris significes, an aliud vel in eundem Papinium, vel in alios Latinos auctores ediderit, quod à ceteris discrepet interpretibus. Ariolari enim licet multa & præclara & cognitione digna abs te acris ingenij viro collecta. Quibus si me impertire volueris, non parum me tibi debere profitebor. Non sum nescius tibi non deesse librarios, pecunias ego ad te per colybistas numerabo. Age igitur, & amicitiæ meæ auspicem voluntatem ne contemne, vt apud me amicum incuntem auctoritas imminuatur tua. Tu verò siquid à me exigis, impera, pollicebor imperata facturum. Sum ego ex agro Piceno oriundus, sed fatis volentibus, & nouercante fortuna in Brutijs Consentiæ profiteor. Et qui hactenus principũ familiaritate sum vsus, nunc sideribus aduersantibus ludum aperui. Bene vale, & me ama, cùm te venerer, & obseruem. Consentiæ. IIII. Nonas Iunias.

ANGELVS POLITIANVS
Tydeo Acciarino S. D.

NON tam auersus equos nostra Sol iungit ab vrbe, vt huc quoq; tui nominis fama non penetret. Illa te vindicat à fortunæ iniuria, nec patitur Consentiæ delitescere. Qua tamẽ in ciuitate si ludum aperuisses scribente adhuc Lucilio, Siculis tãtum profecto, non etiã Consentinis ille scripsisset. De interpretationibus nostris, quas eis in Papinij Siluas casu quodã peruenisse ad te, sic habeto, neq; dictatas fuisse à nobis, neq; cõpositas. Studiosus forsitã eas aliquas, enarrãte me (quà licuit) orationis cursum calamo subsecutꝰ exceperit. Nec autẽ quidquã habemus, quod in hoc genere tibi nũc mittamus. Spargere enim talia solemus in populũ, nec inde nobis quidq̃ retine-

retinemus. Tibi tamẽ habemus gratiã, vel quòd nostra ſiuola tanti facias, vel quòd amicitiam tam diligenter expetas: dignus hoc ipſo nimirũ, qui tã non in veteribus modò noſtris ſed & in magnis amicis numereris. Vale.

BACCIVS VGOLINVS
Roberto Saluiato S. D.

MERITO te, Roberte, docti diligunt, quos miro quodam ardore coluiſti ſemper, & ſtudioſi omnes amant: quos non modò opera, ſed & impenſa iuuas vt commodius proficiant. Ego verò etſi nec doctis, nec ſtudioſis quidem annumerandus, plurimum tamen tibi debere me fateor, quòd per te nobis vel remotioribus copia facta ſit diuini admodum operis, editi nuper à Pico Mirandula, viro ſanè præ omnibus qui ſint, quique fuerint admirando: quem rectè non iam Picum, ſed ſuã vocat Phœnicem, in ſacra Medicum lauro nidificantem, Politianus meus, aliud ætatis noſtræ miraculum. Illius tu librum de ſeptiformi ſex dierum Geneſeos enarratione veræ Philoſophiæ & Chriſtianæ religionis argumẽtum magno Laurentio Medici, patrono meo dicatum, cùm diligentiſſimè imprimendum, tum ad loca diuerſa ac diſtantia tranſmittendum, & plurimis eius lectionis percupidis vel gratis habendum curaſti. Quos inter & mihi contigit per Victorium Caianum tuum, hominem multi ioci multaq; ſuauitate aſperſum, & ſalibus, optato hoc munere potiri. Hoc tuum in viros claros ſtudium, hanc in omnes virtutis amatores officioſam liberalitatẽ, qui non laudat, & gratiore affectu proſequatur, is ab omni humanitate diſcors, & à litteratorũ conſuetudine alienus proculdubio eſt habẽdus. Non enim publicæ vtilitati cõſuli à te amãtius, rectius, celeriúſue potuit. Quare hoc apprimè tibi eſſe exploratũ velim, haud

tenui

tenui mercede sumsisse te huiusmodi proluciam, cùm inde & bonorum gratiam, & non mediocrem gloriam sis consecutus. Vale. Neapoli.

ANGELVS POLITIANVS
Baccio Vgolino s. d.

LEGIT epistolam mihi nuper tuam Robertus noster Saluiatus, in qua cùm gratias ageres, quòd eruditissimo te libro Pici nostri Mirandulæ donauisset, mentionem quoque obiter nostri facis. Nec autem me dubitas, vt amori nimium indulgens, appellare alterum nostræ ætatis miraculũ. Negare nõ possum Bacci, quin tua mihi grata voluntas omnino fuerit, gratus animus, vtinámque verè addere possem, gratum testimonium, Sed nimis magna ista laus, nec nostræ mediocritatis est, qua non efferor, sed obruor. Quis enim vel illud saltem patiatur, me cum Pico Mirandula conferri, qui tã multis vnus bonis abundat, vt vnus omniũ laudes exhauriat? Quare te rogo, ne me illius posthac, sed meo modulo metiaris, contentus in me vulgatis istis laudatiunculis, quæ secundæ notæ hominibus competãt. Sed heus tu, nimis bella profectò tua mihi illa epistola est visa. Nec enim puto laudatio imposuit, quam non agnoui. Latinè scribis (ita me deus amet) & eleganter: nec quasi diuerteris in hæc studia, sed quasi migraueris. Vale.

ALDVS MANVTIVS ROMANVS
Angelo Politiano s. d.

ANNVM abhinc tertium, quo Veneti Ferrariam oppugnabãt, me vt vel dei (vt aiunt) nedum hominũ bellũ fugerẽ, ex vrbe Ferraria Mirandulam cõtuli ad Ioannem Picũ, principẽ ætatis nostræ doctißimum, quòd & amaret litteratos viros, & faueret ingenijs. Ibi Emanuel adramyttenus familiarißimus meus, tuam mihi Gra-

 ram,

eam, quam ad se dederas, ostendit epistolã, ornatè quidẽ, & doctè, atq; copiosè scriptã: quæ nõ à Romano viro, sed à mero Attico, qui Athenis semper fuisset, elucubrata videbatur. Quamobrem cœpi, mi Angele, amare te vehementer, doctrinam tuam, atque ingenium nõ mediocriter admiratus. Deinde Emanuel suo cum principe Ticinum profectus est, vbi paucis antè mensibus, quàm ad te scriberem, excessit è vita. Cuius interitu ita quidẽ moueor, vt multis annis grauius nihil, & molestius tulerim. Erat enim homo & moribus apprime ornatus, & Græcis litteris sanè quàm doctus, meique amantissimus. Non possum igitur non mœrere tali amico orbatus, quanquàm meo magis ipsius incommodo, quàm illius. Nã illi ad superos facilimum fuisse cursum, quoniã & bene, & beate semper vixit, non sum nescius. Quapropter malum, si quod accidit, meum est. Iuit, inquã, ille Ticinum, ego verò Mirandula Carpum perrexi: quò cùm aliquot post mensibus venisset & Picus noster, Rusticum mihi ostendit tuam, quæ mihi Angele mirificè auxit amorem erga te meum. Ibi enim perspici facilè potest quantum abundes ingenio, quanti homo sis studij, quanta tibi bonarum litterarum sit copia. Nec vereor tibi me adulari ducas, εἰ σεαυτὸν γινώσκεις. Scis enim, quàm ipse scripserim, esse impendio plura. Taceo autem & quæ de te mihi dixit is ipse Picus, et dicit quoties in tui incidimus sermonem (nactus es enim dignum præconem laudum tuarum) & quæ retulit mihi Alexander Sartius Bononiensis, homo verus, ac integer vitæ, scelerisq; purus, necnõ quantum ex ipsius sermone colligere potui, tui studiosissimus. Quid plura? Hisce tuis impulsus laudibus nõ potui ad te nõ aliquid litterarũ dare, vt facerẽ te certiorẽ, me tui esse tuũ, vt posses omnia de me tibi cõstãtissimè polliceri.

Si te ipsum cognoscis.

Incre-

Incredibilis enim erga doctissimũ quenq; meus est amor, qui me etiã coëgit, vt ad te scriberẽ, peterẽq;, vt me pro tua erga studiosos viros humanitate, inter tuos mi Angele cõnumerares: quod vt facias, te quãtũ possũ rogare, rogo. Quod profectò feceris, si me vtêris familiarissimè, mihiq; quoties vsu venerit, nõ secus iusseris, ac cuiuis ex domesticis tuis. Sic enim tua virtus postulat, faciteq;, vt sim tuus quoad viuã. Vale. Carpi. v. Kal. Nouẽb.

ANGELVS POLITIANVS
Aldo Manutio Romano suo S. D.

REDDITAE mihi fuerunt litteræ tuæ, quæ perspicuè declarant, non modò quàm sis homo doctus, verumetiam quàm mei studiosus. Est enim scribendi genus illud tuum minimè triuiale, cultum quinimo, subactumq; velut exercitatione multa, sparsumq; denique fruge bona veterum lectionum. Tum epistolam sic laudas nostram Græcè scriptam, quippe ad Græcum hominem, magis vt amorem videaris habuisse in consilio, quàm iudicium. Sed tamen vtcunque sit, equidem tibi vel ob id placuisse eam lætor, quòd quantò ego tibi fuero doctior, tantò minus fortasse pœnitebit amicitiam te nostram tam cupidè, tã vehementer expetisse. Facit autẽ, vt in ea mihi epistola faueam nonnihil, Emanuel ipse Adramyttenus, qui respondens ita prorsus vltra modũ laudauit, vt omnibus me suis Græcis, quicunque aliquot antè sæculis scripserunt, hominem citra mare natum, non dubitauerit anteferre. Iurare illum solitũ quoq; Picus meus litteris significat, dum legeret hanc epistolam, nc ipsas quidem tam esse Athenas Atticas. Quare placerẽ profectò mihi Græci hominis testimonio, nisi Cretensis fuisset Emanuel. Etenim hoc genus vt mendaces notauit Epimenides: qui tamen & ipse Cretensis, vt mentiri non minus Cretenses mẽdaces.

potuerit: ideoq; non mendaces illi. Sic ergo verus Epimenides, atque ita rursus illi mendaces. Vides hunc dia-
Pallacem. lecticorum ψευδόμενον. Mihi tamen extra iocum veros esse omnino Cretenses libet. Iam quoniã de epistola me amo, ne palpum quidem reijciam, quod obtrudis Rustici nomine: monstrum enim prorsus, imò autem scelus inexpiabile, si laudatori suo poëta non crederet. Sed cupio præsens te præsente frui aliquando, siquidem absens ita delectas. Accipio verò, iam nunc inter amicos, & quidẽ primi ordinis. Nec enim explorandus vltrà, quem Picus noster receperit. Ille inquam Picus, cuius nunquam
Alexander Sartius. nec cessauit ingenium, nec errauit iudicium. Alexandro Sartio cottidie plus debeo, tibique esse eum familiarem summopere gratulor. Vir est profectò sincerus, candidus, amœnus, idem fidus, acer, ingeniosus, experiens. Hũc velim meo nomine plurima salute impertias, quando me assidue laudat, estq; non inter postremos Pict nostri familiares. Vale.

MATTHAEVS VERONENSIS CANOnicus regularis Roberto Saluiato. S. D.

VT ceteros soles, qui gratia tibi digni videntur, ita me quoq; cùm veneratione, tum meritis es prosecutus. Quin & quæ mea legisti, probata non modò tibi acceptaq; fuêre, verumetiã illa sparsisti cum laude, & longè splẽdidiore, q̃ ea ipsa prædicari mereantur. Tum mihi sæpe & amice illud suasisti, vt nostra salutaria gaudia imprimẽda proferrẽ. Quod & Ioãnes Mirandula, & dulcis Politianus noster fecêre: quorũ alterũ obstupescim⁹ tanquã fulgorẽ sæculi nostri, altero optimarũ etiã literarũ magno, grauiq; magistro insignis, et læta est omnis Hetruria. Impressa itaq; sunt, ei vno veluti partu volumina supra sexcẽta in lucẽ edita sunt: de quibus vnã

transmittimus tibi, vt nostrum aliquid in manibus habeas: quod quoties legas (si non id antè fecisti) spreta terrenarum omnium rerum amara dulcedine, inani, falsaq; lætitia felicitatem alto, atq; firmissimo animo quæras: & certũ illum, directumq; callẽ mi Roberte sequare, qui te ducat vbi maxima bona, & sempiterna sunt gaudia. Quoniam verò nullis ornamentis adiunctis, sed qualis duntaxat euasit, ab arte purus & nudus proficiscitur ad te libellus, illum tu Roberte & ornare minio, & amicire tegumento curabis, qui es liberalis, & dives. Vale.

ANGELVS POLITIANVS MATTHAEO Bosso Veronensi canonico regulari S. D.

HONORIFICA mentio, quã tu fecisti de nobis in litteris ad Robertũ, magis ibi tamen amorẽ tuum, q̃ meas agnosco laudes. Sed illud ex arte, quòd falsò me laudaturus, à veris Pici laudibus incepisti, videlicet vt per illũ de me tibi credatur. Fortasse autẽ me talẽ credis etiã, qualẽ prædicas, propterea quòd sic amor à Pico: sed nõ ob ista me Picus, ob amorẽ potius amat, ob amorem, qui non cæcutiat. Hoc est enim cur vnus omniũ penitus hunc amo, quòd vnus omnium penitus inspicio. Vale.

ANGELVS POLITIANVS Ioanni Baptistæ Midæ S. D.

AGEREM tibi gratias, quòd vbiq; me laudas, sed vereor ne laudes ipsæ, quibus me afficis, fidẽ perdãt, si pro iis tibi gratias agã, quasi debeã, quasiq; veræ laudes non sint. Nã pro veris, hoc est, pro suis laudibus nemo cuiquam debet. Quis enim pro suo debeat? At ego tibi me debere tamen dicerem, nisi mihi nimis magnã faceres in hoc iniuriam, quòd es amicus. Ob id enim tibi nõ creditur, cùm me laudas. Sed interim te quoq; furtim laudas.

Nam si non laudari ego meritò putor, haberis tu tamen ingeniosus: si meritò, bonus. Vt autem rectius egeno, q̃ diuiti datur: ita rectius qui caret, q̃ qui suis laudibus abundat, laudatur. Mihi certè non minus tuæ gratæ sunt laudes, hoc est, alienæ, q̃ si meæ laudes forẽt. Non enim minus prosunt. Vt ergo non minus aliquãdo bene pascimur alieno sumtu, quàm nostro: sic non minus aliquando decenter alienis ornamur laudibus, quàm nostris. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Hieronymo Porcario S. D.

ANTONIVS Zenus homo cùm ceteris in rebus, tũ maximè in amicitia diligentißimus, multa mihi sæpè de ingenio, de litteris, de moribus etiam tuis, præcipuè tamen de humanitate narrauit, et vt ad te scribã, vehemẽter hortatus est. Ego verò libenter obsequor candidissimo viro, suauißimo amico. Tibiq; nunc has litteras ob id scribo, quò certiorem te faciam, me quanquàm adhuc os tuum non vidi, tui tamen esse studiosißimum. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
cuidam S. D.

MVLTO æquius fuerat denegare statim, quod tam vehementer rogaueram, quàm postea non perficere, quod tam liberaliter vir grauis promiseras. Non enim tunc fuisset iniuria, quia nondum debebat: at nunc est, quia iam debes. Debes, quia promisisti. Non enim credo adhuc te quoque esse ex illo hominum genere, quos promissa non alligant. Crediturus idem necne sim deinde tibi, est in manu. Tantum rogo, si beneficium tribuere mihi non vis, desinas tamen esse iniurius. Desines autem, si sperare diutius frustra vetueris. Deniq; debebo tibi multum, si quod opto præstiteris: mirabor multum, si non præstiteris. Vale.

ANG.

ANGELVS POLITIANVS
Antonio Zeno suo S. D.

AMOREM fugitiuum, quẽ penè puer adhuc è Græco in Latinum conuerti, non sententijs modò, sed numeris etiam seruatis, ac liniamentis penè omnibus: cupienti, flagitantique diu tibi mitto tandem. Causſa verò cur tam serò miserim fuit, quòd aliquandiu mecum deliberaui prius, an mitterem. Multa enim longo pòst interuallo retractanti displicuerunt, quæ tunc fortasse, cùm scribebam, visa sunt optima. Corrigere nimis durũ, quod ita diu iam inueteraverat. Mitto elegiam quoq; de violis, alterum eius ætatis lusum. Nam & eam te nimis cupere significasti. Mihi certè nihil esse in ijs videtur, quod probes, præter indolem fortasse. Rogarem verò, ne cui nugas istas ostenderes, nisi me scirem prorsus frustra rogaturum. Non enim ob aliud puto nostra requiris, nisi vt quàm plurimis ostendas: quoniã (qui tuus est erga nos amor) placitura statim, quia nostra sunt, omnino confidis. Epigrammata tibi non mitto: quòd ea simul cum Græcis publicare statim cogito. Vale.

AMOR FVGITIVVS E GRAECO MOSCHI.

Cùm Venus intento natum clamore vocaret,
Si quisquam in triuijs errantem vidit Amorem,
Hic fugitiuus, ait, meus est, pretium feret index
Basiolum Veneris: quòd si ad me duxeris illum,
Non tantùm dabo basiolum, plus hospes habebis.
Insignis puer est: en omnia percipe signa.
Non est candidulus: verum ignem imitatur, ocelli
Acres flammeoli, mala mens, suauissima verba.
Quod loquitur, non sentit idem, vox mellea: sed cùm
Ira inflammatur, tum mens est aspera, fallax,

Fraudator mendax, ludit crudele puellus.
Crispulus est olli vertex, facies q; proterua,
Exiguæ q; manus, procul autem spicula torquet.
Torquet in vmbriferũ q; Acheronta, & regna silentũ.
Membra quidem nudus, mentem velatus, auis q;
More quatit pinnas, & nunc hos, nunc petit illos,
Sæpe viri pressans præcordia, sæpe puellæ.
Arcum habet exiguum, sed & arcu imposta sagitta est.
Parua sagitta quidem, sed cælum fertur adusque.
Parua pharetra olli dependet, & aurea tergo.
Sunt & amari intus calami, quibus ille proteruus
Me quoque sæpe ferit matrem: sunt omnia sæua.
Omnia, seq; ipsum multo quoque sæuius angit.
Paruula fax olli, solem tamẽ vrit & ipsum.
Verbere si prendes, age, ne miserare puellum.
Si flentem aspicias, mox ne fallare caueto.
Sin arridebit, magis attrahe: basia si fors
Ferre volet, fuge tu, sunt noxia basia, in ipsis
Multa venena labris: si fors ita dixerit, heus tu
Accipe, nempe tibi cuncta hæc mea largior arma:
Ne contige, caue, fallacia munera amoris.
Omnia quippe igni sunt infecta illius arma.

ELEGIA DE VIOLIS.

Formosæ ô violæ Veneris munuscula nostræ,
Dulce quibus tanti pignus amoris inest,
Quæ vos, quæ genuit tellus? quo nectare odoras
Sparserunt Zephyri mollis & aura comas?
Vósne in Acidalijs aluit Venus aurea campis?
Vósne sub Idalio pauit amor nemore?
His ego crediderim citharas ornare corollis,
Permeßi in roseo margine Pieridas.

Hoc

Hoc flore ambrosios incingitur ora capillos,
Hoc tegit indociles Gratia blanda sinus,
Hoc Aurora suæ nectit redimicula fronti,
Cùm roseum verno pandit ab axe diem.
Talibus Hesperidum rutilant violaria gemmis,
Floribus his pictum posßidet aura nemus.
His distincta pij ludum per gramina manes.
Hos fetus vernæ Cloridos herba parit.
Felices nimium violæ, quas carpserit illa
Dextera, quæ miserum me mihi subripuit.
Quas roseis digitis formoso admouerit ori
Illi, vnde in me spicula torquet Amor.
Forsitan & vobis hæc illinc gratia venit,
Tantus honor dominæ spirat ab ore meæ.
Aspice lacteolo blanditur vt illa colore,
Aspice purpureis vt rubet hæc folijs.
Hic color est dominæ, roseo cùm dulce pudore
Pingit lacteolas purpura grata genas.
Quàm dulcem labris, quàm latè spirat odorem.
En violæ in vobis ille remansit odor.
O fortunatæ violæ, mea vita, meumq;
Delicium, ò animi portus, & aura mei.
A vobis saltem violæ grata oscula carpam,
Vos auida tangam terq;, quaterq; manu.
Vos lacrymis satiabo meis, quæ mœsta per ora,
Perq; sinum, viui flumimis instar, eunt.
Combibite has lacrymas, quæ lenta pabula flammæ
Sæuus amor nostris exprimit ex oculis.
Viuite perpetuum violæ, nec solibus æstas,
Nec vos mordaci frigore carpat hiems.
Viuite perpetuùm miseri solamen amoris,
O violæ, ô nostro grata quies animo.

Vos eritis mecum semper, vos semper amabo,
Torquebor pulcra, dum miser à domina:
Dumq; cupidineæ carpent mea pectora flammæ,
Dum mecum stabunt & lacrymæ, & gemitus.

ANGELVS POLITIANVS
Paulo Comparino suo S. D.

ROGASTI me superioribus diebus, vt quoniam fabulam Plauti Menæhmos acturi essent auditores tui, prologum facerem genere illo versiculorum, qui sint comœdiæ familiares: simul vt obiter notarem quosdam nostræ ætatis non quidem Plautos, sed tantum pistores, qui comœdias absq; versibus, nullo nec artificio, nec elegantia docent, & vt actæ primum sunt, tenebris ipsimet (in quo nimis eos laudo) perpetuis damnant. Quæ tamé ab imperitis aliquando non improbentur, quoniã scommata fæpè isti quædam commiscent antiquorum, quæ tamen ipsa quoque dum malè collocant, infamant. Postremò, vt & stylum Plauti laudarem, totumq; hoc agendi genus ab indoctis quibusdam, sed molestis prædicatoribus defenderem: qui moribus officere clamitent, quidquid vsquam sit elegans, aut eruditum, contráque studium propositumq; hoc vestrum plebeculam concitent. Geßi tibi morem, nec minus libenter, quàm celeriter candido amico, deque nobis benemerito, quanquam (vt scis) otij non satis habebam, Romam tum maximè profecturus, itinerique iam paratus, atque accinctus. Et eum quidem prologum, qualisqualis est, mitto ad te, cum gratia (si nihil aliud) celeritatis. Vale.

PROLOGVS IN PLAVTI
MENAEHMOS.

Heus

Heus heus, tacete, sultis, vos, ego vt loquar,
Nam nostra conducta est huc lingua vestri oculi.
Vos spectare decet, nos loqui, & fabulam agere.
Alioqui capite ipsi hunc ornatum scenicum,
Atque exporgite lumbos, tum nos sessum ibimus,
Spectabimusq; vos taciti, aut ridebimus,
Aut si actio frigebit, dormitabimus.
Comœdiam Menæhmos acturi sumus
Lepidam, & iocosam, & elegantem, vt nil suprà:
Sed mendosam alicubi tamen, culpa temporum.
Inerunt in ea nonnulla, ne nobis quidem
Satis intellecta, sed hæc erunt pauca admodùm.
Quæ si minus placebunt, auribus expuite,
Aut deuorate, ceu soletis catapotia.
Romanus est hic sermo, Romani sales,
Nihil inuenustum est, aut ineptum, & Græculum:
Quale solent nugari molitores ceteri,
Quorum nec vllis versibus Comœdiæ,
Nec argumento constant perplexabili,
Nec quidquam habent Comœdiæ, præter titulos.
Non ipsæ secum congruunt, nec adest fides
Rebus agundis, ac nec personis indoles,
Tantumq; si quid furtiuum est, id eis placet,
Quippe alienis insidiantur laboribus.
Facient profectò maiora operæpretia nunc
Longè adulescentes isti, siquidem insueuerint
Puro sermoni Romæ vrbis vernaculo,
Quàm si magistris freti triuialibus
Linguas tenellas polluant stribiligine.
Siquidem ita traditum est à laudatis viris,
Latinè vellent etiam si Musæ loqui,
Nullis vsuras, nisi Plautinis vocibus.

Quòd

Quòd siqui clament nos facere histrionicam,
Atque id reprehendant, minimè diffitebimur,
Dum nos sciant disciplinam antiquam sequi.
Etenim formandos Comœdo veteres dabant
Pueros ingenuos, actionem vt discerent.
Sed qui nos damnant, histriones sunt maximi:
Nam Curios simulant, viuunt bacchanalia.
In Frãciscanos. Hi sunt præcipuè, quidam clamosi, leues,
Cucullati, lignipedes, cincti funibus,
Supercilioſum, incuruiceruicum pecus.
Qui quòd ab alijs habitu, & cultu dissentiunt,
Tristesq; vultu vendunt sanctimonias,
Censuram sibi quandam, & tyrannidem occupant.
Pauidamq; plebem territant minacijs.
Sed iam valete spectatores, & gregi
Fauete nostro, vobis quod vortat bene.

ANGELVS POLITIANVS
Cæsari Carmento suo S. D.

CONTEMNI te putas, quòd non rescribo. Contemnerem, si rescriberem. Quos enim contemno, respondere his audeo vel occupatus, tibi nec otioſus. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Modesto suo S. D.

DOLES, quòd non rescribam, dolere desine, iam rescribo. Vale.

ANG. POLIT. CVIDAM S. D.

NON præstas quæ pollicitus. Conqueror si oblitus, magis etiã si non oblitus. Oblitum fuisse, vix amicitiæ: non præstare cùm recorderis, prorsus inimici. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Pico Mirandulæ S. D.

QVAE

QVAE vellem corrigeres, tu laudas. Hoc verò facile facis, quod semper facis. Vale.

ANG. POLIT. AMICO S. D.

IRASCERIS quòd iste me Simius carpit. Non ideo me carpit, vt carpat: sed vt sibi victum quærat homo famelicus apud quosdam, qui multùm gaudent assentatoribus, plus tamen detractoribus. Vale.

ANG. POLIT. AMICO S. D.

SI te ob diuitias amare cœpissem, desissem tibi nunc esse amicus, cùm tu desisti esse diues. Verùm si nunc desissem, nec tum quidem cùm fuisti diues, fuissem tibi amicus sed adulator: quod esse qui potest, is esse liber non potest. Vale. Amicus. Adulator.

ANG. POLIT. AMICIS S. D.

MVLTI simul epistolas poscitis. Multis ecce mitto, sed vnicam. Conuenit vnica multis, quos vnicè diligo: quæ tamen erit vt multæ, quãdo multi legetis. Valete.

ANGELVS POLIT. INVIDO.

INVIDES omnibus omnia, præter inuidiam. Sed & hanc inuides tuo compari, qui magis inuidus etiã, quàm tu. Sic inuidiam tibi non inuidet, quam tu illi tamen inuides. Ita rursus ille minus inuidus. Qui sitis non dicam, ne miseriores faciam, quàm nunc estis. Nam si nomen vestrum proferrem, nomen quoque ipsum vobis inuideretis, nec vterque vtrique modò, sed & vterque sibi.

ANGELVS POLIT. MALEDICO.

MALEDICENTIA non remaledico, ne maledicere mihi tu forsitan, hoc est, ne laudare me desinas. Quis enim laudatur verius, quam cui maledicitur à malo vitoro. Te vero appellare malum virum, tantùm à maledicto abest, vt nihil dici possit melius. Laudari ab improbo.

ANG.

ANG. POLIT. LAVR. MED. S. D.

Cycnus. CYCNO poëta similis, vterque candidus, vterque canorus, vterque fluuios amans, vterque Phœbo gratus. Sed negatur canere cycnus, nisi cùm Zephyrus spirat. Quid igitur mirum si taceo tandiu tuus poëta, cum tu tandiu non spires meus Zephyrus? Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Pico Mirandulæ S. D.

VINCEBAR abs te prius doctrina, vincebar ingenio, sed vinci tamen lætabar, atque adeò lætor, quoniam te diligo: quin ob hoc ipsum diligo, quòd his vincor. At nunc & humanitate me vincis. Hoc equidem ferre nequeo, quoniã turpe, sed iam fero. Nihil enim turpe mihi, quod honestum tibi. Vale.

ANG. POLIT. AMICO S. D.

DOLES quòd amicus in disputatione te vicerim: dolere non debes. Nam si sunt amicorum communia omnia, nõ magis quàm tu victor ego: nec minus quàm tu victus. Sed hoc tu fortasse doles, quòd hac amicorum lege nec ego planè sum victor, qui te vici. Vale.

ANG. POLIT. AMICO S. D.

REPREHENDEBAM tacitus quòd te diutius oblectares in agro, cùm mihi redditus abs te calathus floribus plenus, & quidem rosidis adhuc multicoloribus, ac suaueolentibus. Inuidere (fateor) tibi agrum volebam, qui flores tam pulcros educaret. Sed vt epistolam tuam deinde legi, floribus alijs multò pulcrioribus cumulatam, quàm calathus fuerat, inuidere potius agro cæpi, qui de tuis (vt mihi videtur) epistolis floruisset. Vale.

ANG. POLIT. AMICO S. D.

DOLVI vehementer, lætatus sum vehementer, quòd ægrotasti, quòd & conualuisti.

ANG. POLIT. CVIDAM S. D.

MITTO lilia, non vt gratum faciam tibi, quanquàm tibi quoque, sed vt ipsis lilijs, hoc est, ne marcescant. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Puccio Florentino Iurisconsulto, & ad summum Pontificem legato S. D.

NON desinam de te solicitus esse, quandiu Romæ fueris, vbi pestilentia laboretur. Etenim te periclitante maior, ac melior pars animæ meæ periclitatur. Quanquã verò tu legatione fungeris istic honestissima, partémque magnam sustines tuæ Reip. quæ difficillimis temporibus carere opera tua vix potest, tamen has nostri amor consolationes non accipit, imò iam nec audit. Præcipit autem poëta Hesiodus mercatoribus, vt vilissimã quæq; nauigijs imponant, videlicet vt si iactus in mare fiat, saluis rebus tamẽ potioribus euadant. Ceterùm Florentina ciuitas, quæ putatur in mercatura tenere principatum, nescio quo consilio te Romæ nunc talem ciuem quasi pretiosissimam mercem, mari turbido commisit. An quia lucrum sæpè fit ibi maius, vbi maius est periculum? Iam verò illud quoque mihi valde auget metum, quòd vt nimium de tua Repub. solicitus, ita nimium diceris esse de teipso securus. Est omnino familiare vestræ domui magna facere, magna pati pro Repub. Sic videlicet auus tuus homo prudens à factiosis ciuibus cum magno Cosmo relegatus est, dum patriæ consulit, qui cum maiore deinde gloria cum eodem illo reuocatus à bonis. Sic pater in castris occidit, dum victoriam nobis aduersus Ligurem procurat, nec labori parcens, nec periculum fugitans, nec omnino vllam suæ senectutis

nectutis rationẽ ducens. Cui quidem, si mos antiquus mã neret honestandæ virtutis, statuam sicuti Romani Seruio Sulpitio, foro medio posuissemus. Sed alia tamen patris tui ratio fuit, alia tua debet esse. Pater pro qua ciuitate tantum laboris longa ætate susceperat, eidem vitæ quoque reliquias libẽs consecrauit. Tua verò mi Pucci ætas vigens, & florens, ad multos vsus deinceps, & ad alia Reip tempora seruari debet. Consule igitur in primis tuæ saluti, qui primus de iure consuleris: ac tibi tute caue, qui tam bene ceteris cauere soles. Nam salutẽ neglegere nõ potes, quin laudẽ quoq; tuã neglegas. Nõ enim (mihi crede) laudaberis, si talem ciuem periculis exposueris. Quòd si te ratio temporum cogit, & senatus auctoritas, vt omnino istic agites, habe quæso semper de tua salute prudentes medicos in consilio: quando etiam Marcus Varro doctissimus ille Romanorum, se, suamq; familiam ratione certa dicitur à pestilentia vindicasse. Sed in primis tamen exposce cottidie summi Dei pacem per sacra, & aras: cui non dubito quin salus tua curæ futura sit, cùm fides cordi esse debeat ea quam patriæ præstas. O quando igitur te reducem complectar mi Pucci? quando diem tecum totum (quod soleo) noctisque etiam partem iucundissimis & fabulis, & sermonibus consumam? Sed interim tamen fratre tuo Iannoctio perfruor, homine suauissimo, studiosissimóque nostri, quem iure meus alumnus, publicum patriæ præsidium, Petrus Medices vnicè diligit amoris ac prudentiæ merito. Quin idem quoque de te sic honorificè quacunque occasione loquitur, vt testimonium tibi reddat amplissimum perfectæ laudis. Tu me velim diligenter Alexandro affini tuo, Cardinali Farnesio commendes, quem colo, & veneror ob alia quoque, sed ob id in

primis

primis, quòd non minus honoris adijciunt ipsius dignitati litteræ, quàm litteris dignitas. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Pandulfo Collenutio suo s. d.

GRATISSIMVM fecisti quòd specimen herbarum Gnaphalij, Gallicæq; Nardi misisti mihi, quas nuper in Germania repereris: nec dubitari potest, quin sint (vt Plautus inquit) ipsissimæ. Nam & Nardus hæc ab Assyria, & Cilissa, neq; specie multum, neq; colore distat. Et in Gnaphalio signa congruũt, albedo, mollitiáque foliorum. Quamoborẽ pro Tomento veteribus fuerit, quod & Artemidorus in quinto libro de somniorum euentibus ostendit, scribens eum, qui sibi visus est triticũ pro Gnaphalo habere in culcita, marem filium suscepisse. Sed de hoc aliâs. Diligentiam verò, solertiámque istam tuam peruestigandis, agnoscendisq; rebus obliuijs, dici non potest quàm complectar, atq; exoscular: præsertim tamen hac parte, quòd ad eam plurimum scilicet medicina quoq; ipsa nostri temporis caligat. Miror autem persæpe quomodo tu tam multis queas vnus, tamq; diuersis muneribus par esse. Res enim principis administras, vt vix quisquam circunspectius. Caues tuis consultoribus, vt pauci prudentius. Orationem scribis (quod Apuleius inquit) & prosam, & versam sic eleganter, vt cõcedas ferè nemini. Sed & disciplinas attingis has interdũ remotiores, in quibus aliquid eruis cottidie vel ipsis professoribus ignoratum. Postremò curam tuam sic in diuersa feliciter spargis, tanquam si totam collegeris ad singula. Nec absunt domesticæ (sicuti Cicero inquit) trichæ, quæ multum quoq; sibi vel cogitationũ, vel operæ tuæ decerpunt, vt inuita prorsus, et indignante fortuna, fouere otium litterarium videri possis. Quòd verò scri-

Artemidorus. ὀνειροκριτικῶν.

bis in exemplaribus Digestorũ iuris vestri ciuilis, desiderari verbũ quod Græcè nominetur edulis vua, quam tu vocari cibariã dicis à Plinio simulq; petis, vt scribã quo pacto deniq; res ea Græcè dicatur, vt restitui suo loco poßit. Scito non aliud esse omnino, quàm τρώξιμον. Quæ vox incolumis adhuc in archetypis Iustiniani. Sed & apud Theocritum primo Idyllio, ἃ μὴν ἀν' ὄρχως φοιτᾶν, σινομίνα τὸν τρώξιμον. Consulis etiã num rectè, Latinèq; dicamus, Ab ima die, cùm significare diem vitæ supremum volumus. Nam te quidem dicis apud Scæuolam reperire, titulo Digestorum de legatis tertio, Titia ima die dispoſuit. Sed vereri nonnihil, vt emendatè sit scriptum, propterea quòd idẽ alibi non reperias. Rectè verò mi Pandulfe suspicaris. Non enim verba illa sunt in archetypo, sed pro his Græca magis, quorum exemplum ad te mitto. Τιτία διεθέμην, καὶ βέλομαι δοθῆναι καλλιμάχῳ μισθὸν χάριν δηνάρια δύο. Quod ita commodius ad Latinos transferas: Titia testamentum condidi, ac placet, vt Callimacho dentur mercedis nomine denarij duo. Nisi mauis tamen vt ipse quoque denaria dicam neutro genere: sicuti rudis iste quisquis omnino fuit interpres, qui pecunias quoq; fortaße nerua esse belli, non nervos putauisset. Ago etiam tibi gratias, quòd indicem misisti librorum veterum, quos in Germania reperisti. Mallem tamen orationem misisses tuam, quàm dicceris habuisse magno consessu principis tui legatus, ad imperatorem designatum Maximilianum: quæ tamen oratio pene dixerim, nobis ab ipsa vsque Germania exaudita est. Sed mitte tamen, nec te moueat, quòd ei multum sit virium, multúmque gratiæ deceßurũ, quoties alius ipsam quam tu pronuntiauerit. Etenim videre mihi Pandulfe videor linguæ istius fulmine Germanos attonitos pendêre de

Edulis vua.

Τρώξιμος.

Hæc quidem per pergulas frequẽtat vastans vuam.

Ab ima die.

Locus digestorum emendatur.

verò

verbis quidem, sed oculos tamen oratoris Itali vultũq; & statum, & gestum, defixos ac penè stupentes contẽplari: sicuti Florentina quondam ciuitas, cùm tu prætor vrbanus pleno foro, me quoque multum mirante, grandes illos heroicos intonabas pro rostris. Verùm (vt dixi) mitte omnino descriptã nobis. Nam quoniã versatur adhuc ante oculos illa tua pronuntiantis carmẽ imago, sic verba etiam soluta legemus, nõ quasi nos recitemus, sed quasi modò quoq; tute pronunties. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Baptistæ Guarino suo S. D.

AGO tibi gratias quòd librum misisti eum, quem Petrus abs te noster meo nomine, petierat. Vtar ad paucos tantum dies, ac protinus remittam. Retulit idem quoq; mihi Picus cupere te admodum, vt quæ de Thymele, ac Latino aduersus Merulæ sententiam breuiter attigi, magis tibi perspicua faciam. Libenter obsequar tibi viro et litteris, & moribus præstantissimo, déque nobis optimè merito. Fuisse igitur Thymelen Merula prodit vxorem Latini, quam sit etiam prostituere solitus, sic vt à mœchis (inquit) nonnunquam cæderetur: adeóque notum foret Thymeles adulterium, & ipsius Latini opprobrium, vt de illis noua induceretur persona à mimographis in scenam. Sed ego præfatus honorem docti alioqui viri, quæcunque hoc loco tradit, partim manifestò falsa deprehendi, partim nulla nec auctoritate probari posse nec ratione dico. Quanquàm autẽ Merulæ magis incumbit ipsi probatio, vel si quis Merulã defensurus est, quàm mihi, proponã tamen quibus eũ credã suspicionibus adductũ fuisse, vt ista quasi cõminisceretur. Legebat videlicet apud Iuuenalem, quẽ tunc enarrabat. Et à trepido Thymele summissa Latino. Quem

locum vulgò sic interpretantur, vt Thymele sit vxor quã summiserit Latinus, hoc est (vt existimãt) lenocinio prostituerit. Cui fauere sententiæ nonnihil & illos ad Domitianum Martialis versiculos putauit, quos etiã citat: Qua Thymelen spectas, derisoremq; Latinum, Illa fronte precor carmina nostra legas. Et rursus illud ex Iuuenale: Zelotypus Thymeles. Et item: Quem totiens texit perituri cista Latini. Nam cæsum fuisse à mœchis, inde probat, quod ait idem Martialis: O quàm dignus eras alapis Mariane Latini, Te successurum credo ego Panniculo. Personam verò inductam suspicari credo potuit, aut quòd Zelotypus Thymeles legatur (vt diximus) apud Iuuenalẽ, aut quòd apud Martialem spectet & Latinum pariter Domitianus, & Thymelen. Hæc autem quàm friuola sint argumenta, quamq; nihil efficientia, quiuis mediocriter doctus, etiã me tacente perspexerit. Iam primùm igitur constat Latinum fuisse Domitiani familiarem, mimum temporibus illis celebrem. Cuius in scena gestus maximè populo Romano placuerint, cuiusque fabulis, ac iocis etiam princeps delectaretur. Hæc ita esse declarat epitaphium, quod ipsius Latini legitur apud Martialem lib. 1 x. his verbis:

Dulce decus scenæ, ludorum fama, Latinus
Ille ego sum, plausus, deliciæq; tuæ.
Qui spectatorem potui facisse Catonem,
Soluere qui Curios, Fabriciósque graues.
Sed nihil à nostro sumsit mea vita theatro,
Et sola tantum scenicus arte feror.
Nec poteram gratus domino sine moribus esse,
Interius mentes inspicit ille Deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi,
Roma sui famulum dum sciat esse Iouis.

Decla-

Declarat & Suetonius, ita scribens in Domitiano: Idq; ei cenanti à mimo Latino, qui præteriens forte animaduerterat, inter ceteras diei fabulas referretur. Eundem verò derisorem vocat Martialis, aliorúmque velut irrisioni negat expositum, scilicet vt nasutissimum, scribens ita in Xenijs:

Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas.
Et possis ipsum tu deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas:
Ipse ego quàm dixi, quid dentem dente iuuabit
Roderecarne opus est, si satur esse velis.

Denique moribus ipsius fauet epitaphiũ quoque, quod proposui. Nusquam igitur hoc legit Merula, Thymelen fuisse Latini vxorem. Nec propterea quòd summissa dicatur à Latino, continuò prostituta significabitur: sed adhibita potius à Latino, quæ suam vicem palparet munere delatorem, quem palpabat & Carus. Nec absurdum est, vt mimæ opera mimus vteretur, etiam si non vxoris. Nam fuisse mimam Thymelen quoque, super nominis Etymon, persuadet illud, quòd itidẽ, vt Latinus à Domitiano spectabatur & ipsa. Ceterùm mimæ (quantum legibus) ex ea ferè nota fuerunt, quæ corpus vulgarent: quales Augusti ætate celebrantur, Arbuscula, Citheris, & Origo. Quo fit vt ferè nullus adulterio sit locus in mima. Nam Cista illa perituri Latini nihil ad Thymelen, quemadmodum scilicet & zelotypus Thymeles nihil ad Latinum. Sed ita potest accipi Latini cista, qua mœchus tegatur: vt ipsa generaliter mœchorũ latibula designentur à cista illa, sub qua lateret in scena (sic forsan argumento postulante) mœchus aliquis, quẽ mimus hic nobilissimus agere sit solitus. Nam peritus

Thymele mima.
Arbuscula.
Citheris.
Origo.

rus ideo puto vocatur, non quia re vera Latinus perierit opera delatorum, quem gratum principi fuisse mortuum quoque Martialis innuerit: sed quoniam pereat in argumento mimicæ fabulæ deprehensus adulter, aut omnino periturus videatur, nisi statim sub cista delituerit. Par coniectura de zelotypo Thymeles. Etenim, sicuti existimo, Thymele mima personâ sustinebat vxoris alicuius in scena, quæ viro zelotypo verba daret, quẽ virum quiqui nobilis ille iuuenis agebat, is à Iuuenale zelotypus Thymeles appellatur. Adulteria verò potissimum fuisse mimorum segetem, declarat his ad Augustũ versibus lib. Tristium 11. poëta Ouidius:

Quid si scripsissem mimos obscena iocantes,
Qui semper iuncti carmen amoris habent?
In quibus assiduè cultus procedit adulter,
Verbaq; dat stulto candida nupta viro.

Et paulò pòst:

Cumq; fefellit amans aliqua nouitate maritum,
Plauditur, & magno palma fauore datur.

Et rursus:

Luminibusq; tuis, totus quibus vtitur orbis,
Scenica vidisti lætus adulteria.

Iámne tibi liquet Baptista, nusquam adhuc probari vel vxorem fuisse Latini Thymelen, vel ab ipso conciliari solitos adulteros, vel postremò nouam de tali adulterio inductam personam à mimographis, quando nec auctor hæc quisquam dixit, & manes istæ quasi nebulæ nõ argumentorum, sed leuissimarum suspicionum, vel insomniæ cuiusdam potius ipso pene spiritu diffluntur? Restat vt ne cæsum quidem fuisse doceamus a mœchis Latinum. Nam quod ille citat de Latini alapis ex Martiale, neque non de Pannículo, magis accipi debet vt Panniculum

culũ ceciderit ipse Latinus, quàm vt os præbuerit Panniculo. Quod esse verum declarat & Martial. idem lib. II. Epigrammaton his verbis:

Hesterna factum narratur Posthume cena,
Quod nollem, quis enim talia facta probet?
Os tibi percisum, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora sono.

Vides vt os percisum non Latino à mœchis, sed Panniculo ipsi potius à Latino. Percidi verò dicitur os, cùm bene pulsatur. Ita certè Seneca vsurpat libro naturalium quæstionum III. qui tamen vulgò quartus inscribi solet, ac decimo subnecti. Verba Senecæ sic sunt: Qui me vsque ad mendacia hæc leuiora, in quibus os percidi, non oculi erui solent, credulum præsto. Panniculum verò ipsum quoque fuisse mimum docet illud eiusdem Martial. lib. III. Percidi os. Pānicul⁹ mimus.

Ne legeres partem lasciui casta libelli,
Prædixi, & monui tu tamen ecce legis.
Sed si Panniculum, si spectas casta Latinum,
Non sunt hæc mimis improbiora, lege.

Sed fuit (vt videtur) Pāniculus vilioris notæ mimus, cui⁹ ob id ora quoq; vilia poēta dixit. Itaq; personā semper eā puto sustinebat, quæ cederetur alapis ex argumento. Quod vt homo facetus, ingēti sono solitus est Latin⁹, vt ipso Panniculi malarũ grādiore crepitu cachinnũ tollerent spectatores. Nā fuisse in argumēto fabulæ cuiuspiā (sicuti dixim⁹) alapas istas indicat Iuuenalis, in quiēs: Ridere potest qui Mamercorum alapas. Taxat enim ciues qui delectarētur edēte in scena gestũ nobilitate: sic vt ex ea quidā vel præberent os alapis, vel cederēt. Sed et illud quæri poterat, quæ ratio fuerit, cur à mœchis cæderetur Latinus, si vel vxorē mœchis prostituebat. Aut

quid opus denique contegi cista Latini mœchos, si iubente Latino coniux prostabat? Quapropter (vt antea quoque dixi) friuola sunt hæc, & falsa, sibiq; prorsus ipsis obstrepētia, nullāque nec ratione munita, nec auctoritate. Sed hæc hactenus. Quæsiuit autem Picus idē tuo quoque nomine, cùm Gallus intempestiuum caneret, quo pacto illud vocis à Græcis diceretur. Etenim Iuuenalis meminit eius, & Quintilianus. Ego certò mi Baptista non aliud puto, q̄ quòd aliquando reperi apud idoneos ἀπωλόν, quanquam mihi nunc auctores ipsi non succurrunt. Est verò ἀπωλός ea vox etiam, quæ neque choro, neq; fidibus concordat. Hæc nos ad te pusilla nimium, leuiaq;, verecundè quidem, sed tamen & libenter scripsimus. Quoniam sicuti me tua multum deterret eruditio, sic multum rursus inuitat humanitas. Vale.

Galli intempestiua vox.

ἀπωλός.

BAPTISTA GVARINVS
Angelo Politiano suo S. D.

PERLECTIS litteris tuis, non minus eruditis, quàm humanis, agnoui & Pici diligentiam, & amorem erga me tuum. Ille quod receperat, accuratè perfecit. Tu ita satisfeciſti, vt expectationem meam superaueris. Sed de grammaticis mihi gratias agis, perinde ac si rem acceperis, quæ mea magis sit, quam tua. Nam si vsus librorum, qui apud me sunt, non ita vt cupis, tibi suppetit, locorū interuallo animaduertas velim, non meæ possessioni. Approbo quæ scripsisti de ceteris locis. Quis enim à Politiano dissentiat? Sed de voce Gallorum immatura ampliari iudiciū opto. Commune est enim, quod scripsisti, alijs etiam cantibus absonis. Quærendum est aliud nobis, vt arbitror, aut ingenuè fatendum nos homines esse. Quinctilianus (vt credo) apposuit, sed in omnibus exemplaribus desideratur. Si quid à me fieri po-

potest, quod tibi commodum futurum sit, optio tua est. Pico me commendes, rogo. Vale. Ferrariæ, IX. Idus Augusti. M.CCCCLXXXXIIII.

ANGELVS POLITIANVS
Pandulfo Collenutio suo S. D.

NEGANT eruditi quidam (sic enim scribis) verum videri quod consulenti responderam tibi, τρωξίμους esse apud Iurisconsultos vuas, quas non vini caussa haberemus: ac ne illud quidem credunt in Digestis archetypis ita reperiri Iustiniani principis, titulo de verborum significatione. Sed & Latinè dici, contra quàm nos opinati sumus, affirmant Imam diem, quæ sit vltima vitæ. Damnant & quòd specimen accepisse me dixi Nardi & Gnaphali, cùm tu mihi non formam, sed ipsas potius herbas, aut (vt Iurisconsulti vestri loquuntur) species miseris. Reprehendunt item quòd cottidie noster à manu scripserit, non quotidie: quodq; quotiès, nõ, quod antea defenderim, quoties. Postremò culcitam pro culcitra. Quare accipe ad singula τρωξίμους in archetypis esse, nõ quod ipsi volunt ἐδώδιμους: nolo mihi, sed archetypis credant. Qui sic publicè custodiuntur, vt tamẽ etiã frequẽter adeãtur. Sunt igitur Pauli verba sic in Pandectis ad liquidũ: Qui fundũ vendidit, pomũ recepit, nuces, et ficos, et vuas dũtaxat duracinas et purpureas, et quæ eiusdẽ generis essent, quas non vini caussa haberemus, quas Græci τροξίμους appellarẽt, recepta videri. Nec obtinuerim tamen ἐδώδιμους quoq; rectè nuncupari, quo nomine quasi verso dixeram prius edules. Sed ἐδώδιμος ad alia quoq; pertinet: τρώξιμος ad vuã duntaxat, etiã si nõ hanc adijcias. Nec verò me fallit ita vulgò illud accipi θεοχρίτου, quasi matura lædat vuã, non cibariã vulpes, cùm sit à verbo facta τρώξιμος, quod maximè secundis mẽsis

ἐδώδιμος. τρώξιμος.

Τρωγάλια. congruit: à quo τρωγάλια quoq; τραγήματα, τραγηματίσμοῦ. Quare non aliam profectò, quàm τρώξιμον, Vergilius exprimere tẽtauit, cùm dixit in Georgicis: Nõ ego te Dijs, & mensis accepta secũdis Transierim Rhodia.

Τραγήματα.

Ima dies. Nec vtiq; tacuit Aristoteles, διαφέρειν τράγημα βρώματοῦ ἔσον ἔλισμα τρωγαλίς. Sed Ima dies an Latinè dicatur, vos videritis, qui scilicet vsurpatis vestro periculo. Certè nec auctoritas Iurisconsultorũ, nec Horatij poëtæ vos adiuuat. Nam nec apud illos (vt ostendi) nec apud Horatium legitur, ima dies. Nõ enim quoniam dixerit, Seruetur ad imũ, pro illo ad finẽ, statim sequitur vt & ima dies, pro vltima vitæ die rectè dicatur: quæ potius dici summa debet, vt: Venit summa dies. & Summum nec metuas diẽ, nec optes, Summus enim verè dies, quo summa dierũ colligitur. Horatius autem sic ait: ab incepto ad imum, velut ad pedes à capite, ducta similitudine à pictoribus, qui prius laborant in capite. Cetera specimẽ ab emturientibus, hoc est quod in Demosthene Plutarchus λᾶγμα vocat: vt alij negent, indicat Cicero tamen, haud dubitans in Tusculanis quæstionibus, quin specimẽ naturæ capi ex optima quaque natura debeat. Cottidie verò, c, litera scripsit amanuensis meus, auctore Quinctiliano. Quotiens autem Priscianò. Nec tamen absurdũ est, si nunc hoc, nunc illud pendente adhuc lite, sequor. Huc enim me proportio vocat, illuc auctoritas. In culcita sequor obseruationes veterum codicum, præsertim si nihil ijs præter indoctam consuetudinẽ refragetur. Possum verò proferre tibi sexcentos, quoniam tamen procul abes, citabo paucos ex ijs tãtum qui publicè spectẽtur. Iube igitur adiri (potes enim) Suetonij, Martialisq; vetustissima exemplaria: quorũ illud quidẽ Romæ Vati-

Summa dies.

Specimẽ.

λᾶγμα.

Cottidie.

Culcita, non cucita.

cana

cana bibliotheca patet, hoc verò Florẽtiæ publica Medicæ familiæ reperiet is, cui negotiũ dederis, culcitam, vel in Tiberio, vel in Apophoretis: quod idem Saty. v. Iuuenalis codice peruetere, quem doctißimus princeps, ac dux Vrbinatium Guido, de pulcerrima sua librorum supellectile promserit. Sed quid in ijs laboro, cùm sit in Florentinis etiam Pandectis, titulo de supellectile legata, prorsus ad hoc exemplum: Lecti etiam inargentati, culcitæ, toralia. Nec abhorret à ratione, cùm fieri posit à calco, secundum verborum formam, quæ sæpius quid fieri ostendunt, versa tamen sicut incompositis ijs a, littera in u. Quod tamen qui reprehendit, velim doceat inuicem, quam rationẽ potius ipse, vel auctoritatem sequatur. Siquidem mihi euenit interdum, quod & Ciceroni, videlicet, vt habeam quem fugiam, non habeã quẽ sequar. Nec tamen fore vnquam credidi, vt hæc ad obrusam sic exigerentur in litteris, præsertim non mea manu, sed meo duntaxat ingenio formatis, cùm detur Idiographis quoque doctorum hominum venia, sed à doctis: vel quòd hæc orthographa pro friuolis habentur interdum, vel quòd (vt Cicero inquit) vsum populo concedimus, scientiam nobis reseruamus.

Vale.

ANGE-

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER OCTAVVS.

ANGELVS POLITIANVS
Innocentio octauo Pontifici
Maximo S. D.

CVM Romæ abhinc triennium fermè in comitatu essem Florentinæ legationis, quæ tibi sancte pater Innocenti Pontifex Maxime, ad supremæ istius dignitatis fastigium nuper euecto gratulatum aduenerat, memini abs te mihi magna celebritate curam delegari vertendi in Latinam orationē Romanorum principum res gestas, si quæ adhuc inter Græcorum monumenta nostris intactæ hominibus reperirentur. Quare cùm cælestis animi tui iudicio, non plus mihi honoris additum, quàm oneris iniunctum animaduerterem, vt primum Florentiam sum reuersus, altissima solicitudine circunspicere cœpi, quem potissimū ex omni Græcorum copia interpretandum susciperem. Occurrit autem in primis Herodianus hic, excellens rerū scriptor: & qui diu in Palatina versatus aula, affectæq; iam ætatis historiam de suis temporibus componere aggressus, neque eloquentiæ caruerit laudibus, & fidem tamē in primis, libertatēq; retinuerit. Hoc vbi opus à nobis, neque multò sanè negotio, neq; inuita (vt arbitror) Minerua elucubratum est, ea mox tempora inciderūt, quibus & nostra impedirentur studia, & , quæ plurimùm valet in scribendo, omnis propemodum alacritas excuteretur. Posteà verò quàm pro tua prouidentia & pacem

Herodianus historiographus.

cem Italiæ cupienti reddidisti, & cũ patrono meo Laurentio Medice amplissimæ quidem fortunæ, sed amplioris ingenij, prudentiæq; viro priuatim affinitatem contraxisti, cessit videlicet ille quasi nimbus, suáque mundo reddita serenitas est: sic vt nos iam ipsos colligamus, atque vt grauati pluuia flores, penéque decidui, ad nouæ lucis radios erigamur. Ergo & vetera edere in publicum, & noua producere iam libet: vnde aliquamodò vel tuo sacratissimo nomini celebritas, vel nostris temporibus claritas, vel studiosis etiam hominibus vtilitas pariatur. Ceterum Herodianum hunc nostrum donec maiora tibi, ac fortasse meliora parturimus, veluti præludiũ aliquod veri, iustiq; laboris læta, rogamus, frõte excipias summe Pontifex. Magnam in eo negotiorum, personarumq; varietatem, multã rerum nouitatem deprehensurus: crebraq; in vtranque partẽ fortunæ ceu vacillantis exempla, consiliaq; admirabilia, & consiliorum inopinatos euentus, grauesq; pro tempore sententias, & plenam vbique dignitatis, plenam suauitatis orationem copiosam videlicet quandã ad instruendos mores supellectilem, & ceu speculũ humanitatis, in quod inspicere omnis vita, vnde ea capere, atq; haurire documẽta queat, per quæ vel publicis, vel priuatis rationibus cõsulatur. Quæ sanè nostræ fuerũt partes tẽtauimus profectò, vtinãq; etiã effecerim⁹, vti omnia ex fide respõderẽt, ne inepta peregrinitas, ne Græculæ vsquã figuræ, nisi siquæ iã pro receptis habẽtis, Latinã quasi polluerẽt castitatẽ, vt eadẽ propemodũ esset linguæ vtriusq; perspicuitas, eadẽq; mũditiæ, idẽ vtrobiq; sensus atq; indoles, nulla vocũ morositas, nulla anxietas. Tu quando nobis aliquod ceu signũ ex arce ista tui põtificatus ad bene sperandum sustulisti, perge obsecro sanctissime pater, per-

ge,

ge, inquam fouere, atq; illustrare bonas arteis, quæ sese pedibus istis sanctissimis aduoluunt supplices, numenq; tuum aduersus rudem inscitiam, tetramq; Barbariam implorant: vt à quo pax Italiæ, atq; adeò terrarũ orbi restituta est, etiam ab eodem pacis alumnæ litteræ ab iniuria scilicet, atque indignitate vindicentur.

INNOCENTIVS PAPA VIII.
dilecto filio, Angelo Politiano.

DILECTE fili salutẽ, & apostolicam benedictionem. Librum quem nuper ad nos misisti, é Græco in Latinum traductum, gratissimo animo accepimus: tum propter rei nouitatem, tum quòd doctrina, & ingenio ita cultus est multorum iudicio, quos apud nos doctos habemus, vt bibliothecæ nostræ magnum sit ornamentum allaturus. Gratias tibi propterea maximas agimus, virtutemque tuam in Domino commendamus: hortantes idem in posterum facere perseueres, vt his honestis laboribus maiorem in dies tibi laudem parias, & à nobis vberiorem gratiam promerearis. Nunc verò in signum tam grati animi, quàm amoris nostri erga te paterni, ducentos aureos per dilectum filium Ioannem Tornabonum ad te mittere decreuimus, vt eo vitæ præsidio facilius huiusmodi labores subire queas. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub anulo piscatoris, die XVI. Augusti. M. CCCCLXXXVII. Pontificatus nostri anno III.

INNOCENTIVS PAPA VIII.
dilecto Laurentio Medici.

DILECTE fili salutem, & apostolicã benedictionẽ. Agimus deuotioni tuæ gratias, quòd eius potissimũ opera dilectus filius Angelus Politianus, vir eruditissimus librum é Græco in Latinũ traductum nuper ad nos, misit,

rit, nostro nomini dedicatum: non solùm nostro, verùm etiam aliquorum peritorum, quibus illum ostendimus, iudicio maximè commendatum. Erit apud nos (vt decet) in magno honore, bibliothecæ nostræ ornamentum, virtutis, ac doctrinæ illius testimonium. Hortamur te maximè eundem Angelum auctoritate tua promoueas ad huiusmodi opera edenda, quæ non vulgarem sibi gloriam parient, & nobis delectationem maximam afferent: cui tam honestis laboribus partim in beneficijs, partim in alijs rebus dignam mercedem collocabimus. Et nunc in huius animi testimonium, ducentos aureos per dilectum filium Ioannem Tornabonum illi mittere decreuimus, ne hic liber indonatus remaneret. Datum Romæ, apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris, die XVI. Augusti M. CCCCLXXXVII. Pontificatus nostri anno III.

ANGELVS POLITIANVS
Innocentio Octauo Pontifici Maximo S. D.

NESCIO quibus verbis gratias tibi agã sanctissime pater Innocenti, summe Pontifex, qui tãmultis laudibus vigiliolas nostras, tãq; ampla liberalitate prosequaris. Quod ego factũ sic interpretor, voluisse beatitudinem tuã huiuscemodi exẽplo iacentes olim litteratorũ animos erigere: cùm videlicet intellegãt tantã esse in Pontifice maximo nostris tẽporibus humanitatem, tantamq; beneficentiã, vt nũc postremus quidẽ, atq; infimus illius ordinis, non dicam inlaudatus, aut inhonoratus, sed ne vacuus etiã munerũ, atque indonatus dimittatur. Mihi sanè calcaria, & stimulos cùm in me collatæ laudes, tum præsens quoque, & sperata benignitas subdiderũt, maximamq; iniecerunt curam cauendi etiam atque etiã, ne

quo

quo vel tẽpore, vel casu liberalitate ista, indulgentiaq; tua videri indignus queã. Quocirca curabo, atq; enitar, vt hic noster tenuis agellus, cui scilicet colẽdo tantũ instrumenti tua nunc munificẽtia suppeditat, nouos subinde prouentus tuæ afferat sanctitati. Spero autẽ fore, vt quãdiu sub vmbra tui numinis recubuero, ita ab omnib⁹ vel incõmoditatibus, quas vita humana fert, vel lãguoribus, molestijsq; exoluar, vt ab vmbra apostoli Petri cuius tu locũ in isto fastigio obtines, omni prorsus ægritudine homines liberabantur. Valeat tua sanctitas. Florentiæ, pridie Kal. Septẽb. M. CCCCLXXXVII.

ANGELVS POLITIANVS
Innocentio octauo Pont. Max. S. D.

ETSI me pudor prohibet hominem tenuis fortunæ, nulliúsque propemodum auctoritatis, litteras dare ad te Dei Maximi vicarium, principémque generis humani: tamen in tanto vel priuato meo, vel publico totius nostræ ciuitatis gaudio, facere non possum, quin tester apud te summe Pontifex Innocenti subitum hoc animi gaudium, profitear lætitiam, gratias agam priuato quoque nomine tuæ sanctitati, quòd adulescentem nostrum Ioannem Laurentij filium, Florentinæ Reipublicæ delicias, tuorum numero fratrum, summique Senatus collegio adoptaueris: quòd ciuitatem florentißimam, familiámque nobilißimam, tam insigni munere, támque eminenti dignitate cumulaueris. Tum gratulor etiam tibi, quòd hæc acerrimi iudicij cõstantißima fide, propè immortalem ceteris tuis egregijs virtutibus gloriam conciliaueris. Vt enim Laurentium ipsum taceam, quem tibi in perpetuum, sancte pater, beneficio isto tanto deuinxisti, quid ipso tandem Ioanne Cardinali nostro perfectius? aut quid omnibus numeris absolutius? Non

Ioannes Medices Cardinalis creat⁹, hic postea Leo x. Pont. Max.

Non indulgebo amori meo, non tuo iudicio blãdiar Pontifex, nota cunctis, & testata loquar. Ita natus, & factus, ita altus, atque educatus, ita deniq; eruditus, atque institutus hic est, vt nemini secundus ingenio, nec æqualibus industria, nec præceptoribus litteratura, neque grauitate senibus concesserit. Natiua in eo probitas, & genuina, diligentia quoque parentis ita impensè culta est, vt ex illius ore non modò non verbum dictu fœdius, sed ne leuius quidẽ vnquã, aut etiã licentius excideret. Non actio, non gestus, non incessus in illo notatus, non aliud postremò, quod in deteriorẽ partẽ conspiceretur. Sic in viridi ætate cana maturitas, vt qui loquentem senes audiãt, proauitã in eo, nos paternã certè indolẽ agnoscamus. Cultum pietatis, & religionis penè etiã cum lacte nutricis exuxit: etiã tum ab incunabulis sacra meditatus officia, quãdo nondum editum eum, tamen ecclesiæ iam genitor prouidẽtissimus destinauerat. Protinus autẽ quàm est in lucem susceptus, multis, magnisq; præsagijs in hanc erudiri spem cœpit. Et quoniam tale de se specimen dabat, vt istius iam tum virtutis faceret fidẽ, compulsus fama Ludouicus ille Francorum sapientissimus, idemque sanctissimus rex, ne summi quidem archiepiscopatus fastigio indignum hunc ipsum planè adhuc puerum est arbitratus. Illum tu igitur habes regem collatæ istius dignitatis præludorem. Telam rex maximus exorsus, quam Pontifex maximus pertexeret. Audires vtinam voces fausta tibi nunc, & prospera ominantis Florentini populi. Aspiceres gestientem vbique, & cõcursantem in atrijs nostris, ac lætitiæ suæ impotentem ciuium multitudinem, plebémque ipsam vix gaudium capientem animis. Non senes grauitas, non matronas pudor, non pueros infirmitas ab officio retardat. Confluũt

Eiusdem laudes.

Ludouicꝰ Francorũ rex.

in ædes Medicas sexus, ætasq; omnis, omnis huc ordo (vt ad priuatas necessitudines) properant. Pro se quisq; primi haurire oculis aspectum noui Cardinalis festinant, exultant, vociferantur, manus ad cælum tendunt: propitium tibi Deum, prospera, secundáque omnia cõprecantur. Pro tua vel salute, vel dignitate vota prorsus ab omnibus suscipiuntur. Nec est quòd annos, ac natales Cardinalis nostri numeretis, virtus illi ante diem contigit. Ne dubita pontifex, implebit vtique augustam purpuram. Non sub galeri pondere anhelabit, non fulgore caligabit nimio, non indecorem eum tanto senatui, non imparem tanto fastigio recipies. Iam nunc ampla maiestas, iam solito maior species. Constabit ratio collegis lati suffragij, nec te vnquam summe pontifex iudicij pœnitebit. Hoc tibi nomine (quod vnum valeo) gratulor, agóque gratias. Quos aliquando pedes istos beatissimos præsens osculabar, iisdem nunc illis absens lætitiæ plenus aduoluor. Deúmque precor, vt te diu tuo perfrui beneficio gaudeamus, vt prospera incepta prosperrimi consequantur euentus. Quod autem ad me attinet (quando non alia pro animo meo facultas est) dabo operã certè quandiu vires suppetent, vt istiusmodi tua benefacta sanctè pater in omnem posteritatem sempiterna litterarum memoria propagentur.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Cardinali Papiensi s. d.

NON possum facilè explicare litteris, in quantã nos admirationem adegerit Laurentius Medices, patronus meus, testimonio laudũ tuarum. Nam etsi illæ quidẽ vno omniũ consensu maximæ semper, admirabilesq; prædicantur, & virtutis tuæ constans opinio in omnium pectoribus viuit, omniũ linguis celebratur: tamẽ cùm Laurentium

rentium Medicē(id quod sæpenumerò accidit) de te loquentē audio, cùm te mihi totum(vt dicitur) atque integrū in oculis constituit, proculdubio intellego pristinam illam de tuis virtutibus famā parcissimam sanè tibi, minúsque benignā fuisse. Existimabā equidē anteà Papiensis gloriā in otio tantū, litterisque consistere, eāq; per se satis amplam, atque mirificam in principis animo statuebam: alteram verò partem, quæ in rerum agendarum vsu, & ratione versatur, etsi haud omnino ademeram, non tamen vt propriam tibi, peculiarémque adscripseram. Ecce nunc Laurentij testimonio, in vtriusque gloriæ splēdore maximus nobis, admirabilisque exoreris, & tanquam Homericus Asteropæus dextra pariter, ac sinistra manu iaculum intorques. Caue autem putes me tibi nunc his laudationibus assentari. Testor enim meum in te animum, ac fidem, nihil me aliud scriberez quàm quod sentio: atque omnem gloriam, quantacunque ea sit, tua virtute inferiorem existimare. Neque ego hæc de te ipso ad te scribere auderem, nisi incredibilis meus erga te amor, ea mihi ex intimo corde, ex ore, è calamo, quasi suo iure extorsisset. Idem quoque ipse & Homerum nostrum, quem tu à Laurentio petieras, & meum ad te animum vno tempore pertulit. Hunc quidē velim Papiensis in tuum sinum placidè suscipias: dignus est enim, quando tuus est, in quem omne genus humanitatis, ac beneuolētiæ profundas. Homerum verò nostrū seminudum quidem adhuc, atque inuolucrem, ardētibus iudicij tui radijs aduersum statuimus, perinde atq; aquilam ferunt implumes pullos, & nuper calido ex ouo prolatos oriēti soli obijcere. Quòd si ille intrepidus ad tuum radium, non conniuenti pupilla suffiget intuitum, referemus eum in nidum, & vt legitimum fetum educa- Aquilę pulli.

bimus. Sin verò oculorum acies offensa perstringetur, veluti alienũ, ac nothũ exponemus. Aut tutè ipsum magis tanquam Musarum hostem proijce, & in profluentẽ aliquem demerge. Erit enim perquàm gratum nobis, si Rheni fluuij ingenium imitaberis: quem quidem ferunt pusillos Celtarum infantes intra suum sinũ cõiectos, si quidẽ polluta matris pudicitia suscepti fuerint, tanquã impuri lecti vindicẽ, rapidis vorticibus suffocare: quos autem senserit legitima fetura editos esse, placido alueo leniter suspendere, atq; in trementes genitricis manus iterum subuehere, salutem pueri quasi intemeratæ pudicitiæ testimonium ferentem. Remittas ergo item tu quoque Homerum nostrum vagientem quidem illũ, atq; infantem in complexũ soliciti parentis, si ea tibi esse indole videbitur, quæ & spei tandem nostræ respondeat, & exquisitissimo iudicio tuo faciat satis. Sin minus, aut Thetidi, aut Veneris largire marito. Vale, Musarũ patrone, & animulum istum meum in delicijs habeas, rogo.

Rheni fluuij ingenium.

IACOBVS CARDINALIS PAPIENsis Angelo Politiano, & Nicolao Michelotio S. D.

AEQVO animo feretis ambo, si vacui temporis rarò aliquid habens, serò atq; vna tantùm epistola vtriq; respondeo. Legi traductionem tuam, Angele, diligenter satis pro otij copia. Quærenti quid sentiam, promtius est quod respondeam, quàm quod bene responderi posse ab indocto confidã. Vos me esse aliquid creditis, ego infra opinionẽ vestrã sum multum. Si quid olim huc attuli lucis, infuscatum id est tenebris curiæ. Paupertas dudum, nunc dignitas, diuersa à primis institutis coegerunt tractare. Intyba succesit ambrosiæ, et gustui ingluuies: tam male

malè nunc possum de oratorijs, & poëticis iudicare, q̃ ineptè de musicis capti auribus iudicant. Ne desim tamẽ expectationi vestræ, accipite, quod beneuolẽtiæ potius q̃ retentæ disciplinæ sit signum. Oratio tua, quãtum remetior præterita, Latina est, & illustris, vt huic commendationi addi possit. Pleni etiam versus & suis numeris magnificè auribus seruientes. In tam recenti ætate, laudis, & admirationis hæc sunt. Neq; ego susceptum laborem inutilem puto. Ad ediscendum Homerum pertinet, ad alendum grandibus spiritum, ad ea tandem suscipienda, in quibus nostro gradu, non alienis vestigijs incedere habeamus. Homerum tamẽ si quis roget, num Latinum fieri se velit, versumq; versui reddi, vereor ne videns transmarina multa inter Græcos quàm nostros sentiri: linguæ porrò cuiusq; suam excellentiã esse, quã vix in aliena est assequi: deniq; barbã menti nec Latinũ plànè arguere, nec Græcum referre: inquam vereor, ne respondeat malle se Colophonium, quàm Florentinum haberi: & pallium, quàm togam Græcis membris aptius conuenire. Tum eorum iudicium laudet: qui magno ingenio præditi, cùm diffiderẽt eundem reddi posse nostris, qui est apud suos, maluerunt imitari quàm vertere. Censeo tamen (vt dixi) operam inchoatam non deserendam, hócque exercendi styli studium colendum aßiduò, à veteribus quidem laudatum, & ad complendum pectus maximè necessarium. Si non assequêris, quod vis, rei non sinit magis, quàm nostræ facundiæ inopia: æqualis tui Phaëthontis laudem inuenies, vt idem de susceptο à te cælesti Homero, quod ab illo de cælesti curru dicatur: Hunc si non tenuit, magnis tamen excidit ausis. Meum hoc est, vt imprudens fidele tamen de labore tuo iudicium. Traductionem ipsam remitto, vt petis, & tibi gra-

tias ago. Te verò in meum suscipio tam altè amorem cõ-
dens, quàm altè descẽdit admiratio virtutis insolitæ. Est
iam tuus Papiensis, tibique in stadio litterarum currẽti
vocibus secundis acclamat, vt pergas, vt non fatigeris,
vt calcem ipsum contẽtis oculis spectes, & huic palmæ
nil anteferendum existimes, viuenti, ac mortuo profutu
ræ. Ad te vertor Micheloti. Attende quid agas, in bona
tua videris iniurius. Ais cœpisse teipsum amare, mox vt
à me amari es cœptus. Si nullum est iudiciũ meũ, te autẽ
ex meo amas iudicio, non sentis sine caussa tuum de teip
so esse amorem? Atqui magnæ sunt caussæ, quibus teip-
sum existimatione propria debes diligere: ingenium lit-
teræq; humanitatis, ad obsequium dexter modus, in pri
mis Laurentij nostri fides, & gratia, quando Principi-
bus placuisse viris, nõ vltima laus est. Quare caue post-
hac ex meo magis, quàm tuo iudicio ipsum te ames: Pa-
pienſi etiam hactenus tribuere, vt eius benèuolentiam
ex dignitate, non meritis ornamento tibi esse existimes.
De Balducio gratias habeo, quotidianis officijs tuũ ani-
mum probas. Hunc ego, quòd solus Florẽtiæ ex omnibus
necessarijs est, commendo liberius, & benignius accipi
cupio. Tua diligentia reliqua absolue, & me ama: inq;
amicorum rationarium, non inter postremos relatum te
scito, fixum etiam cordi trabalibus clauis. Vale. Romæ,
Kalend. Ianuar.

ANGELVS POLITIANVS ASCANIO
Sforţiæ Vicecomiti Cardinali S. D.

DIV, multumq; fateor dubitaui, an ad te principẽ, do-
minumq; excellentẽ homo infimæ sortis, humilisq; fortu
næ litteras darem. Quippe à scribendo me magnitudo
deterrebat tua, quasiq; radijs quibusdam nostræ aciem
mentis perstringebat. Contrà autem experta mihi huma
nitas,

nitas, clementiáque vt aliquando scriberem adhortaban tur. Nimis autem stultum videbatur, cùm tutè mihi auctor audendi fueris, pati siue metu quodam intempestiuo, siue pudore subrustico nostri apud te memoriam exolescere. Meministi, arbitror, venire ad te aliquando visum, salutatúmque vnà cum Laurentij Medicis filiolo, Angelum nescio quem Politianum, ipsius magistrum pueri. Quem aiebant nonnulli haud omnino indoctissimum haberi hominem, eumq; apud te, capta ex tempore audacia, de antiquis vrbis operibus, ac substructionibus aliquandiu fabulari. Ille ego sum scilicet, eadémque absenti vel fiducia erga te, vel audacia supereſt, quæ tũc haud defuerat præsenti. Sed eam tamen nihil est cur mihi quisquam vitio vertat, scilicet quæ ex humanitatis tuæ notitia, quàm ex magnitudinis ignorantia proficiscatur. Roges quid sibi hæ quærãt litteræ. Nempe aliud nihil, nisi vt mei apud te memoriam renouent, me esse hominem tibi deditissimum declarent, sperantem maximè in tuo patrocinio, daturumq; operam (si res ferat) vt animum tibi meum, fidem, voluntatémque aliquando probem. Orarem autem (nisi improbum est) vt siqua de nobis mentio apud summum Pontificem oriatur (orituram scio cùm tu voles) ostendas me illi esse hominem non ingratum. Facilè enim intelligo, quantum tua apud illum valituræ sit auctoritas: quoniam quantum iure valere debeat, non ignoro. Vale. Florentiæ. M. CCCC LXXXV.

ANGELVS POLITIANVS FRANCISCO Piccolomineo Cardinali Senensi S. D.

ETSI scio pater amplissime, ita me tuæ debere humanitati, quam, cùm istic essem, egregiam mihi, singularęq; præstitisti, vt ei nullis officijs, nulla opera, labore,

industriaq; mea posse videar satisfacere: tamen cogitas nihil tam ingrati esse animi, quàm dissimulare quod debeas, cùm persoluere nequeas, decreui aliquid ad te litterarum dare, quibus meum sensum aduersum te, conscientiamq; testarer. Ego si mihi tecum dandæ, referendæq; gratiæ certamen instaret, continuò scilicet manus dedissem tibi, vtpote cuius etiam in ædibus ipsæ habitãt Gratiæ. Sed quoniam maior tu es, quàm quò nostri aspirare conatus queant, velut imaginarijs te quibusdam officijs pro re, pro copia remuneramur, bene videlicet sentiendo, loquendóque de te, fauendo tibi, omniáque bona cupiendo. Quòd si officia officijs duntaxat, ac non voluntate potius, animoque pensantur, fateor soluendo non sum: sin (vt Cicero putat) etiã cùm habetur gratia, in eo ipso quòd habetur, refertur, non vereor quin sim quæ debeo, saltem animo ipso persoluturus. Qui quoniam tibi totus humanitatis tuæ merito debetur, totum iam nunc eum tibi addico, ea lege, vt nunquam manumittatur. Nos ad historiam de Romanis principibus conscribendam magno spiritu, atque animo adgressi sumus. Et quæuis orã nuperrimè soluerimus, paulumque adhuc à portu promouerimus, tamen ferentè nacti ventum æquo pede prouehimur. Neque dubitamus, quin prospero Innocentij fauente numine, cuius ab auspicio proficiscimur, perpetuò nobis. Alcedonia futura sint. Te verò obsecro, vt siquãdo apud eius sanctitatem nostri inciderit mentio (inciderit autem quoties tu voles) hisce me, si videtur, commendes verbis: Angelus hic Politianus neque malus homo est, neque planè indoctus. Tibi verò sancte pater ita studet, vt non sit fortasse indignus, quem tu aliquãdo respicias. Hoc satis est ipsi, cetera mãdo Deo. Antonij autem Lollij familiaris tui oratio-

Ant. Lollius.

nem

tionem illam aureolam de circũcisione legi nuper iterũ, atq; iterũ: quàm magis legi, tã magis placuit. Græcũ autẽ est verbum: Ter pulcrũ esse, quod ter lectum placeat. Commendarem tibi eum hominem, nisi absurdũ præposterumq; videretur commendari à nobis illum tibi, quem ita habeas carum, vt tibi me ab ipso vehementer cupiam commendari. Vale. M.CCCC LXXXV.

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS,
Cardinalis Senensis, Angelo Politiano S. D.

CONCEPERAMVS eam de Politiano opinionem vt augeri illam posse minimè putaremus, ad summum, enim peruenerat, auxit tamẽ suis & ornatißimis, & grauißimis litteris, & ita auxit, vt nos, qui rebamur antè de ipso omnia concepisse, ne attigisse quidem quanti valeat, videremur. Laudamus ingenij tui dexteritatẽ, concinnitate delectamur, miramur grauitatem, Sed hæc omnia silentio potius, quàm infirmo sermone obeunda sunt. Nec putes in eorum nos esse numero, qui sub capite cõsuunt puluinaria. Amor enim verus adulari non nouit. Testis deus, testis conscientia nostra. Quod autem de Romanis principibus, aggressus es opus, erit puto absolutum, quia tuum erit: expectamus vltimam eius manum, quam fore non dubitamus consummatißimam: Nos quia virtuti debemus, tibi debemus, cui & opera, & industria nunquam deerimus. Romæ, VIII. Idus Aprilis, M. CCCC LXXXV.

ANG. POLIT. ANTONIOTTO
gentili Cardinali sanctę Anastasiæ S. D.

PARVVM quidẽ tuo nomini libellũ dedico, sed (vt spero) nec inanem rerũ, nec inopẽ. Multa & remota lectio, multa illũ formauit opera. Titulum Nutritia dixi- Nutritia.
mus, qua figura et Statius Soteria. Plenior hic enim mihi

visus, & argumento cohærētior, quàm qui olim placue rat, Nutrix. Tu verò electus potißimum, in cuius appa reat nomine, nō quo rē tantillā tantæ virtuti fortunæq; cōuenire arbitrer, aut hoc esse deniq; putem, quod tuis erga me meritis debeatur: verum cùm prodire nollet in publicum liber sine patrocinio, tū præcipuè sibi nomen inscripsit, ex quo tutior foret atq; honestior. Quare su scipe quæso, quidquid hoc est mei fetus, qua me quoque ipsum soles humanitate. Deinceps autē plura, meliorāq; forsitan accipies, modò hunc primum quasi gustum non asperneris. Nec enim vel ignoro, vel dißimulo quantum tua mihi apud Innocentiū Pontificem Maximum suffra gata sit auctoritas. Cui quidē et ipsi quotidie à me, si nō par gratia, certè aliqua tamē pro virili parte scribendo saltē, benēq; & sentiendo, & loquendo refertur. Vale. Florentiæ, VI. Kalend. Iunias. M. CCCCLXXXI.

ANG. POLIT. FRANCISCO EPISCOPO Cephaledensi Hispano S. D.

NON causſam dico, neque absolui me postulo, quin ipse mihi nigrum appono calculum, quod me tibi scri pturum aliquando pollicitus fidem quā ad mensam, etiā hospitalem dederam, non præstiterim. Ipsum tibi igitur memet noxæ dedo. Abduc, vinci, quasq; est commodum pœnas irroga. Sed quid agas? Non ego scilicet ex inge nio emigraui meo, sum quippe homo omnium hominum ad scribendas epistolas pigerrimus, diem ex die ducens, ac procrastinator mirificus: præsertim si cū eis res ami cis est, quorum mihi sit & humanitas cognita, & explo rata facilitas. Tute igitur accusandus, qui ita me istic hu manè habueris, vt omnium, quæ facturus essem, veniam mihi, & impunitatem pollicerer. Sed non erit profectò cur mihi in posterum succenseas. Nam ita crebras litte ras

ras missiculabo, vt eas propediem aut ne lecturus quidem sis, aut mihi silentium imperaturus. De Græco autem adulescẽte haud sanè satis ex sententia res cecidit. Illis enim ipsis, quibus Romæ eramus, diebus, aliũ sibi patronũ optauerat. Nos tamen haudquaquam destitimus, propter eos quorum consilio fretus est, hominem illinc potioris spe conditionis electare. Sed vereor, ne si ad nos defecerit, tamen dies præuertatur, qua tibi in Siciliam ad tua procuranda negotia sit abeundum. Laurentius Medices noster magnopere his diebus ex intestinorum doloribus laborauit, qui nunc vt planè liberatus est, ita non planè recreatus. De te verò apud illum statim vt huc peruenimus, multùm sumus diligentißimè locuti: sperámúsque nos illius in te amori, etsi erat antea quoque maximus, nonnihil tamen addisse cumuli, tuis in nos officijs exponendis. Vale. Florẽtiæ. M.CCCCLXXXV. Missiculare.

ANGELVS POLITIANVS
episcopo Siluensi S. D.

ET doctrina quædam non vulgaris, cuius mihi haud dubium specimen, & singularis quædam humanitas, cuius omnes impleuisti aduersum me numeros, exigere quasi suo iure aliquid à nobis videntur litterarum, quæ nostri apud te memoriam foucant, nec tam planè refrigescere patiantur. Nostra autem cautio esse debet, ne diutius quàm par est, hominem scilicet occupatißimum teneamus. Itaque rem ipsam in pauca conferemus. Ego me præstantißimo domino Cardinali Olisipponensi, germano tuo, viro excellentis ingenij, doctrinæ, atque humanitatis, tantùm debere intellego, quantum nunquã sim persoluturus, etiam si me opposuerim pignori, aut si bonorum omnium meorum, atque adeò ipsius capitis fecerim auctionem. Quare aut decidam cum ipso oportet

tet, aut certè addicar. Atq; ego quidè addici mâlo, vt illius mihi periculo viuendum sit, non meo. Sed heus tu, agas cũ eo tamen te rogo, vti de nobis apud pontificem (vbi occasio tulerit) ita aliquã faciat mentionem, vt intellegat eius sanctitas, nos etiam tanti viri iudicio nõ improbari. Neque tu autem absurdum, ineptumq; putaueris, si quò magis debemus, magis etiã debere nos postulamus. Nos hic videlicet debitoribus, cùm sint maximè obruti ære alieno, tum pecunias maximè mutuantur. Sed hæc hactenus. Nequeo autem quin obiter commendem Phædrum nostrum, hominem candidissimiq; animi, elegantissimiq; ingenij, tibique in primis deditum. Scis eum minimè dubitare, quin aliquando hortatu, impulsúque tuo abduci Cardinalis tuus possit, vt cum pontifice de horologio illo aliquid explicetur. Quæ ne spes eum frustra habeat (siqua modò copia sit) etiam, atque etiam te rogo. Vale.

ANG. POLIT. IOANNI PETRO
Arriuabeno Vrbinati episcopo.

ETsi nunquã dubiũ fuerat, quin tibi omni laude præstãti viro, nulli nõ honores iãpridè, dignitatesq; deberentur: tamen posteaquàm auditũ est præsulè te esse Vrbinatè factũ, tanta vniuersi quidè, sed præcipuè qui literarũ sacra veneramur, affecti lætitia sumus, vt inexpectatũ propè, nec spe vlla, quasi dixerim, præcõtrectatũ cõtigisse hoc nobis gaudiũ videatur. Etenim cùm timere iam inciperemus, quicũque tibi inuicem studemus, ne qui dilatus à fortuna fueras, etiã planè præteritus fuisses: quo grauior ille fuerat, atq; indignior metus, eò nũc & maior lætitia, & iustior, postquàm is euanuit, obortа est. Ad hanc autem quasi publicã tanti gaudij priuata etiam mihi, & peculiaris accedit causſa, quòd eum pro-

prouehi ad ingentes titulos aſpicio virum, cuius mihi & auctoritas, & humanitas duriſſimis etiam meis tẽporibus ita ſuffragata eſt, vt tantum creſcere ſpes mea, & fiducia, quantũ tua vel fortuna, vel dignitas meritò debeat. Quapropter in hac animi mei præcipua quadam voluptate, præcipuam quoque gratulandi rationem deſiderarem, niſi tecum mihi, hoc eſt, cum homine peritiſſimo res eſſet: cuius inſignis prudẽtia (ſicuti credimus) quaſi Lynceis oculis in ipſa quoque hominum præcordia introſpiciat. Illud autem neutiquam commiſerim, videri mihi Innocẽtium Pontificẽ maximum ceu via quadam regia, ad immortalem gloriam contendere, qui viros augeat honoribus & eruditos, & graues, nec deliteſcere ſub modio (quod dicitur) præclarum virtutis lumen patiatur. Nam vt omittã ceteros, inque his Hermolaum Barbarum meum, quem tanto ſtudio Pontifex ornandum ſibi prius, mox autem tuendum quoque, defendendúmque ſuſcepit: etiam nuper Hieronymum ipſum Balbanum audio præſtantem doctrina, & moribus hominem tecum pariter præſulem eſſe factum, quò nobis excellentis huius lætitiæ, ac voluptatis ingens hinc etiam quaſi cumulus accederet. Cui tu quidem velim (ſi pateris) meo quoque nomine gratuleris. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Leonello epiſcopo Concordienſi s. d.

FRANCISCVS Soderinus Volaterranus pontifex epiſtolam nuper mihi ad ipſum tuam ſuper Miſcellaneis noſtris oſtẽdit, in qua certare dubia palma inter ſe doctrina mihi, & humanitas videbãtur. Ac doctrinã quidem nõ modò ipſe ſtylus exhibebat elegans, ornatus, & grauis: ſed illa etiã multò magis, quæ mihi abs te de auctore Stromateõ Clemẽte obijciebãtur. Humanitatis au-

tem

tem certissima illa visa sunt indicia, quòd vir & auctoritatis maximæ, & sortis ampliſsimæ, multisq;, & magnis agendis rebus occupatus etiã nonnihil ad te pertinere putaſti, quid ego in meis aliquando libris tenui fortuna homuncio retuliſſem. Mitto autem quàm benigne, quàm blandè, quàm verecundè, quàm amanter, quàm lentè etiã, & cunctanter erratum illud, ita enim videbatur, noſtrum protuliſti. Quàm multis me prius laudibus, etiã ſi eloquentius longè, quàm verius adobruiſti. Mitto quòd & Soderinum delegiſti, qui mihi rem potiſsimum ſignificaret: quo viro nec grauior, nec prudentior, nec item humanior. ſed nec mihi amicior quiſquã deligi potuit: vt ſi me litteræ illæ tuæ offendere aliqua ratione potuiſſent, hac vna tantum potuerint, quòd nimium ſolicitus videbaris, nec aliorſum fortaſſe acciperem, quod obieceras. Ego mi Leonelle, non modò in ijs, quæ hactenus edidi, ſed & quæ ſcribere deinceps conor, omnibus hoc teſtatum volo, nihil mihi eſſe prius veri ſtudio, & recti. Si ſponte hoc aſſequor, bene habet: ſin minus, at ab alijs & placidè admoneri gaudeo, & aſperè caſtigari nõ recuſo. Quin vt illis habeo gratiam, ſic iſtis non iraſcor: honeſtius ducens aliquando doceri, quàm ſemper neſcire: nõ enim tã turpe repelli, quàm pulcrum corrigi. Quod autẽ ad Clementẽ attinet, artificis librarij vitiũ, non auctoris eſt. Is in exẽplaribus noſtris quædam malè (vt fit) aut inducta, aut deleta repererat, caq; tamẽ pro rectis, ac legitimis inconſultò excudit. Ita neceſſe habui curare protinus, vt errata ipſius omnia, niſi quæ relegentẽ fefellerãt, primis ibidẽ paginis imprimerentur. In eas tu fortaſſe paginas nondũ incideras, eum locũ notaſti: quas tamen ſe ait è veſtigio miſiſſe ad te Volaterranus pontifex, etiã antè, quam tuas mihi litteras oſtẽderet,

ret. Ibi igitur primo statim capite correctum hoc à nobis erratum reperies. Nec verò vllis opus est ad hanc rem, vel Eusebijs vel Hieronymis. Ipsos enim & legimus Græcos, & excerpsimus octo Alexandrini Clementis libros, qui στρωματεῖς appellantur. In queis alterius etiã Clementis (quod veré ais) Romani pontificis identidem testimonia citantur. Reliquũ est, vt agam tibi gratias. Ago igitur quàm possum maximas, vt tibi me deditissimum profitear, profiteor, & quidem ex animo. Sed & rogo te etiam, atque etiam adhuc, vt si quis locus apud te vacat, numeres me quoque inter tui studiosos. Postremò quoniam verbis honorificẽtissimis in tua epistola Cardinalis Alexandrini fecisti mentionem, cuius sæpè mecum de litteris & vita Ioannes Picus Mirandula meus diuinè loqui solet, ei me quoque (si fas est) velim des aliquo pacto in clientelam. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Paulo Cortesio suo S. D.

REMITTO epistolas diligentia tua collectas, in quibus legẽdis (vt liberè dicã) pudet bonas horas malè collocasse. Nam præter omnino paucas, minimè dignæ sunt, quæ vel à docto aliquo lectæ, vel à te collectæ dicãtur. Quas probẽ, quas rursus improbẽ, nõ explico. Nolo sibi quisquã vel placeat in his auctore me, vel displiceat. Est in quo tamen à te dissentiam de stylo nonnihil. Non enim probare soles (vt accepi) nisi qui liniamenta Ciceronis effingat. Mihi verò longè honestior tauri facies, aut item leonis, quàm simiæ videtur, quæ tamen homini similior est. Nec ij, qui principatum tenuisse creduntur eloquẽtiæ, similes inter se, quod Seneca prodidit. Ridentur à Quinctiliano, qui se germanos Ciceronis putabãt esse, quòd his verbis periodũ clauderent, esse videatur. Imitatores reprobantur.

Inclu-

Inclamat Horatius imitatores, ac nihil aliud q̃ imitatores. Mihi certè quicunque tantũ cõponunt ex imitatione, similes esse vel psitaco, vel picæ videntur, proferentibus quæ nec intellegunt. Carent enim quæ scribunt isti viribus & vita: carent actu, carent affectu, carẽt indole, iacent, dormiunt, stertunt. Nihil enim verum, nihil solidum, nihil efficax. Non exprimis (inquit aliquis) Ciceronem. Quid tũ? Non enim sum Cicero, me tamẽ (vt opinor) exprimo. Sunt quidã præterea mi Paule, qui stylum quasi panem frustillatim mendicãt, nec ex die solum viuunt, sed & in diem: tum nisi liber ille præsto sit, ex quo quid excerpãt, colligere tria verba non possunt, sed hæc ipsa quoq;, vel indocta iunctura, vel barbaria inhonesta contaminant. Horum semper igitur oratio tremula, vacillans, infirma, videlicet male curata, malè pasta, quos ferrè profectò non possum: iudicare quoque de doctis impudenter audentes, hoc est, de illis quorum stylum recondita eruditio, multiplex lectio, longißimus vsus diu quasi fermentauit. Sed vt ad te redeam Paule, quẽ penitus amo, cui multum debeo, cuius ingenio plurimum tribuo: quæso ne superstitione ista te alliges, vt nihil delectet, quod tuũ plane sit, et vt oculos à Ciceronc nunquã deijcias. Sed cùm Ciceronẽ, cùm bonos alios multũ, diuq; legeris, contriueris, edidiceris, concoxeris, & rerũ multarum cognitione pectus impleueris, ac iã cõponere aliquid ipse parabis: tum demum velim (quod dicitur) sine cortice nates, atque ipse tibi sis aliquando in consilio, solicitudinemq; illam morosam nimis, & anxiam depones effingendi tantummodo Ciceronem, tuasq; denique vires vniuersas pericliteris. Nam qui tantum ridicula ista, quæ vocatis liniamenta, cõtemplantur attoniti, nec illa ipsa (mihi crede) satis repræsentant, & impetũ quo-

dammodo retardant ingenij sui: currentiq; velut obstat & (vt vtar Plautino verbo) remoram faciũt. Sed vt bene currere non potest, qui pedem ponere studet in alienis tantum vestigijs: ita nec bene scribere, qui tanquã de præscripto non audet egredi. Postremò scias infelicis esse ingenij, nihil à se promere, semper imitari. Vale.

PAVLVS CORTESIVS
Angelo Politiano suo. S. D.

NIHIL vnquam mihi tam præter opinionem meã accidit, quàm redditus à te liber epistolarum nostrarũ. Putabam enim illum tibi in tantis occupationibus excidisse. Nunc autem lectis tuis litteris, video illum non modò à te gustatum, sed etiam planè deuoratum: quum & scripseris puduisse te in eo legendo bonas horas malè collocasse & eas ipsas minimè tibi dignas videri, quæ vel ab aliquo docto lectæ, vel à me collectæ fuisse dicantur, præter nescio quas hominum perpaucorum. Ego autem totum istud tibi remitto, nec planè iudicium meum interponam, cùm nefas sit quodammodo à te dissentire: & ego is sim, qui de altero iudicium facere (vt ait Marcus Tullius) nec velim si posim, nec possim si velim. Sed veniam ad illud, in quo te dicis à me quàm maximè dissentire. Scribis enim te accepisse me neminem probare, nisi qui liniamenta Ciceronis consectari videantur. Ego verò quantum repetere memoria possum, nec istud recordor vnquam dixisse, nec dictum volo. Quæ enim stultitia esset, vt cùm tam varia sint hominum ingenia, tam multiplices naturæ, tam diuersæ inter se volũtates, eas velle vnius ingenij angustijs astringi, & tanquã præfiniri? Sed quoniam me in hanc disputationẽ vocas, nõ erit fortasse alienũ tempus purgandi iudicij nostri, & tuẽdi mei cũ planè cognoscã verba tua

esse suasoris, non lacessentis. Et primùm de iudicio libẽter fatebor, cùm viderem eloquentiæ studia tandiu deserta iacuisse, & sublatum vsum forensem, & quasi nativam quandam vocem deesse hominibus nostris, me sæpè palam affirmasse, nihil his tẽporibus ornatè, variè q; dici posse, nisi ab his qui aliquem sibi præponerent ad imitandum: cùm & peregrini expertes sermonis, alienas regiones malè possint sine duce peragere, & anniculi infantes non nisi in curriculo, aut nutrice præeunte inambulent. Cùm autem multi in omni eloquentiæ genere floruerint, memini me vnum Marcum Tullium ex doctorum acie abduxisse, in quem omnium ingeniosorum hominũ studia conferenda putarem. Non quòd ignorarem multos dicendi gloria præstitisse, qui & acuere industriam, & multis oratorijs virtutibus alere ingenia possent: sed & quia videbam hunc vnum omnium sæculorũ consensu principem esse iudicatum, & quia à puero didiceram in omni numero semper optimum esse eligendum: corrupti stomachi, & intemperantis, ægri esse putabam, deteriorem cibum seligere, salutarem, & optimũ aspernari. Ausim nunc etiam affirmare idem, quod sæpe, neminem post Marcum Tullium in scribendo laudem consecutum, præter vnum, aut alterum, qui non sit ab eo eductus, & tanquam lactis nutrimento educatus. Sed erat tum quædam certa imitandi ratio, qua & fastidio similitudinis occurrebatur, & nitidum illud genus hilaritate quadam aspersa condiebatur: nunc autem illa ab hominibus nostris aut neglecta est, aut ignorata. Simile volo mi Politiane, non vt simiam hominis, sed vt filium parentis. illa enim ridicula imitatrix tantum deformitates, & vitia corporis deprauata similitudine effingit: hic autẽ vultum, incessum, statum, motum, formam, vocem,

M.T. Cicero præ ceteris imitandus.

cem deniq;, & figurã corporis repræsentat: & tamen habet in hac similitudine aliquid suũ, aliquid naturale, aliquid diuersum, ita vt cum cõparentur, dißimiles inter se esse videantur. Dicàm idem iterum habere hoc dõ lucidam illam diuini hominis in dicendo copiam, vt existimanti se imitabilem præbeat, experienti spem imitationis eripiat. Fit enim vndiq; ad eũ concursus, & quisque arbitratur illo modo se posse dicere. Homines enim natura suauitatis auidiores, difficillimã rem voluntate, non facultate metiuntur. Itaq; dum abundãtiã sermonis, & (vt ipsi aiunt) facilitatem imitantur, neruos, & aculeos deserunt, & tũ à Cicerone absunt longißimæ. Nec autem refert alieno ornatu, & quibusdam luminibus, ac quasi insignibus nostra scripta explere, nisi queamus id distincte, aptèq; facere. Fit enim nescio quid monstrosum, cùm membra cohærentia malè dißipantur. Quare (vt de me loquar) nihil est Politiane, quòd me à Ciceronis imitatione deterreas. sed quòd potius obiurges inscitiam, quòd nequeam bene illũ imitari: quanquàm ego malo esse assecla, & simia Ciceronis, quàm alumnus, aut filius aliorũ. Sed permagni interest vtrũ quis videatur quenquã velle imitari, aut neminẽ. Ego autẽ statuo non modò in eloquentia, sed in alijs etiam artibus necessariã esse imitationẽ. Nam & omnis doctrina ex antecedẽti cognitione paratur, et nihil est in mẽte, quin fuerit prius in sensibus perceptum. Ex quo intelligitur omnẽ artem naturæ esse imitationẽ, sed natura fieri, vt ex eodẽ genere dißimilitudo nascatur. Homines enim cùm inter se dißimiles sint, similitudine cõiungũtur: & quanquã alij coloratiores, alij pallidiores, alij venustiores, alij proceriores sint, vna tamẽ est omnibus figura, & forma. Illos autem quibus aut crus, aut manus, aut brachia desunt, nõ

Ars imitatio naturæ.

omnino ex hominum genere excludendos, sed aut mancos, aut claudos appellandos putarē. Sic eloquētiæ vna est ars, vna forma, vna imago. Qui verò ab ea declināt, sæpè distorti, sæpè claudi reperiuntur. Aspice nunc eos homines qui sibi elegerunt Marcum Tullium imitandū, quantum ab eo distent, quantū etiam inter se dissimiles sint. Profluentem quandam sine modestia vbertatem Liuius arripuit, acumen Quinctilianus, sonum Lactantius, lenitatē Curtius, elegantiā Columella: quorum cùm esset vnum propè imitandi propositum: nihil est tā dissimile, quàm ipsi inter se, nihil tam distans (si comparentur) quam ipsi à Cicerone. Ex quo intelligitur maximè, & cū iudicio ponderandā esse imitationē, & eum ipsum hominem mirabilem fuisse, ex quo tam diuersa ingenia, tam quam ex perenni quodā fonte defluxerint. Omnino Politiane certis auctoribus insistēdū est, quibus ingenia formentur, & tanquā alantur. Relinquunt enim in animis semina, quæ in posterum per seipsa coalescunt. Qui autē neminem imitari, & sine cuiusquā similitudine laudē consequi videri volunt, nihil (mihi crede) roboris, aut virium in scribendo præ se ferunt: & illi ipsi, qui se niti dicunt ingenij sui præsidijs, & viribus, facere non possunt, quin ex aliorum scriptis eruāt sensus, & inferciāt suis, ex quo nascitur maximè vitiosum scribendi genus, cùm modo sordidi, & inculti, modò splendidi, & florentes appareant: & sic in toto genere, tanquā in vnū agrū plura inter se inimicissima sparsa semina. Fieri enim non potest, quin varia ciborum genera malè concoquantur, & quin ex tanta colluuione dissimillimi generis inter se verba collidantur. Nec minus huius corruptæ orationis asper concursus aures ferit, quàm ruentium lapidum fragor, aut strepitus, aut quadrigæ transcurrentes.

Quid

Quid enim voluptatis afferre possunt ambiguæ vocabulorũ significationes, verba transuersa, abruptæ sententiæ, structura salebrosa, audax translatio, nec felix, ac interciſi de industria numeri? Quod necesse est his omnibus accidere, qui ex singulis sensus, et verba eruũt, & neminem imitantur. Horum sanè omnis oratio est tanquam Hebræorum domus, quibus sunt ad quoddam tempus diuersorum hominum bona oppignerata. Nam ibi et lacernæ, & amictus, & penulæ, & multorum sæpe pallia suspensa internoscuntur. Ego autem tantum interesse puto inter eum, qui neminem imitatur, & qui certum ducem cõsectatur, quãtum inter eũ, qui temerè vagetur, & qui rectà proficiscatur. Ille deuius inter spinas volutatur, hic autem ex proposito itinere ad constitutũ locũ sine lapsu, & molestia contendit. Præterea Politiane sic habe, neminem eloquentiæ laudẽ consecutũ, qui non sit in aliquo imitationis genere versatus. Apud Græcos non modò oratores Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, & Demarchus: sed etiam illi philosophi, virtutum magistri, alicuius imitatores esse voluerunt. De nostris hoc loco taceo, ne videar tibi vni omnium doctißimo quasi scholam quandam explicare. Nec item aliquid de Marco Tullio dicendum puto, exploratum est iam illud omnibus, vt qui se ad Marcũ Tullium effingendum contulerit, si minus aliquam imitandi gloriam assequatur, in eo tamen ornetur, quod illum sibi elegerit exprimendum: vt illud fuisse naturæ, & ingenij videri possit, hoc iudicij. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Baptistæ Mantuano theologo Carmelitæ suo S. D.

NEC dubito quin amer abs te, nec exigo, quod sit incommodum, sed nec officio litterarum metior amicos: quippe quod & ab inimicis præstari solet. Gratulatione tua, quòd philosophiæ sim deditus, ipse mihi medius fidius ita gratulor, daturus vt operam sim, quò possis in dies magis meritò mihi gratulari. Sed adolescēs hic tuus consilio nostro si fuisset vsus, magis fortasse suis rationibus consuluisset. Nunc quoniam cōsilio noluit (ni frustra augurium) credo nec opera iam volet vti. Verumtamen ei cupio scribas, vt à me expectet omnia, tui quidem caussa. Nihil enim molestius, quàm fuisse hunc mihi abs te frustra commendatum. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER NOVVS.

ANGELVS POLITIANVS
Matthiæ Dei gratia inuictissimo
Pannoniæ regi S. D.

CVM superioribus diebus ego, & Philippus Valor Florentinus, præstās vir, tuæq; maiestati deditissimus, de nostri sæculi principibus casu loqueremur: ac tu primus nobis inuicte rex, imò verò solus occurrisses, quē videremur audacter cū quouis laudatissimo veterū posse conferre: castigauit ille me verbis amicissimis, quod nunquam tibi aut lucubrationes vllas nominatim dicauerim, aut epistolam saltem scripserim, quo tibi si nō ingenium quodcunque, doctrinaq; mea, certè animus tamen, ac voluntas

tas innotescerent. Etenim te regem temporibus esse nostris aiebat vnum (quod ego illi facillimè assentiebar) in quo vel maximè celebrando labores, industriam, vigiliásque suas omneis ponere litterati homines certatim debeant: vt in cuius egregijs, innumerisq; laudibus habeat vtriusq; linguæ facultas, vbi liberrimè posset, & velut in patentibus campis exspatiari. Quare sumsi animum (fateor) de sermone prudentis, & amici viri, gloriosissime rex, cumq; animo statim sumsi calamum, videlicet in hoc, vt tuas eximias virtutes honore saltē quocunque styli mei prosequerer. Sed cùm se mihi illæ tam multæ, tam magnæ protinus obtulissent, vt facilius mundum pugillo posse crederem, quàm eas epistolæ breuita te complecti, mutato protinus consilio, dilatis paulisper tuæ claritatis præconijs, statui duntaxat in præsentia significare tibi, me quoque vnum, rex, è multis esse, qui magno animi fauore te venerer, dariq; mihi occasionem celebrandi tui nominis concupiscam. Non quia me spe rem naturali facundia parem tuæ laudi fore, sed quod est à sapientibus hominibus obseruatum, non minus animi vires aliquando quàm ingenij valuisse. Quocirca si quid erit inclyte rex, in quo tibi mea gratificari professio possit, rogo, obtestorq; perinde vtaris opera nostra, quasi vnus ex eo sim numero, qui regni tui finibus contineatur. Vt autem Dinocrates ille nobilis architectus Herculeo sese habitu ius dicēti obtulit Alexādro, cūq; se cogitationes, ac formas afferre dignas illo rege, videlicet Atho montē statuæ virilis effigie figurandū docuisset, ita regiam commendationem videlicet adeptus est: idē mihi ego quoq; vsuenturum speraui, rex magne, si pro leonis pelle non obscuram indolem, pro clauā non absurdū ingenium, pro corona populea non incelebrem

Dinocrates architectus.

doctrinæ mediocritatem, pro vastæ illius molis compositione multiplices tibi linguæ vtriusque figuras obtulissem. Nec enim minor quouis architecto putandus, qui studijs istis liberalibus claruerit: nisi fortè diutius marmora, & cæmenta restitura vetustati, quàm litterarum monimenta cõfidimus. Nec tu profectò Macedoni Alexandro (sit vero venia) iure cesseris Matthia rex, seu victorias eius, seu beneficentiam consideres, quæ duo prima tanto in rege fautrix miratur antiquitas: nisi fortè credimus Arabas, Indos, Armenios, Chaldæos, mollissimas, fugacissimasq; gẽtes laboriosius vinci, quàm Turcas, & Mysios, & Triballos, & Illyricos, et Liburnos & Boëmos, & Rhetos, & Vindelicos, & alias itẽ belicosissimas nationes: quarum ipsa quoq; nomina Martiũ sonant: nisiq; plus esse putamus, quòd vnum, aut alterũ donauit ille bene de se meritis hominibus oppidũ, quàm quòd in omnium penè sinus, quoscunque dos aliqua ingenij, virtutisq; nobilitat, è tuis istis beneficis manibus, quasi perenne fluit aurum semper, vt aqua de fontibus, & in maximam venire iam quæstionem cœpit illud, vnde nam tibi tanta ista, tamq; inexhausta diuitiarum copia, sic omnibus vsquequaque largienti: quanquàm facile à prudẽtibus intelligitur, quæ plerique alij principes in suas cupiditates, ac libidines profundant, ea te tantũ vel in ædificiorũ nobilissimas substructiones, vel in vsus publicos, vel in hanc postremò, de qua nunc agimus, beneficentiam conferre. Quapropter vehementer cupio labore aliquo meo tuam celsitudinem demereri: cupio studijs: ingenioloque meo, si detur, commendare me tibi, rex inuicte. Qui sim verò, quémue inter litteratos locum tenea, malo equidem ex aliorum tibi, quàm ex meis indicari verbis. Tantum dixero me Laurentij Medicis

dicis magni, sapientisque viri, tuarum virtutum studiosissimi non diligentia minus, quàm liberalitate de obscuro, tenuique loco, qui nascentem susceperat, in aliquam certè lucem, dignitatémque, nullis adeò nisi litterarum adminiculis peruenisse, profiteri iam multos annos Latinas Florentiæ litteras, magna (quod omnibus notum est) celebritate: sed & Græcas ex pari cum Græcis, quod nescio an alteri Latinorum (dicam enim audacter) mille circiter annos antè contigerit: stylum denique sic ipsum per omnia penè materiarum diuerticula duxisse feliciter, vt (quod erubesco, quanquàm pene testatum, referre) cunctos fermè, quicunque in litteris ætate mea claruerunt, habere meruerim laudatores. Atque hæc ego de me Rex indulgentissime, nouo scilicet & periculoso more multorúmque reprehensionibus obnoxio, simpliciter tamen, sed & verè: nec enim hoc, nisi & illud, ad te scribo, quod deliberare secum tua sapientia, velutique præscribere possit (modò non hæc aspernetur) vbi nos potissimùm, scilicet in tuæ spẽ gratiæ nostri neruos ingenij contendamus. Si quid igitur ipse mandaueris, obibo libens: sin minus, eligã tamen pro iudicio, captuq; meo, quod tibi fore arbitrer quàm gratissimum. Bibliothecã video, iampridẽ comparas omnium (sicut exspectamus) non ornatissimam solùm, sed etiam copiosissimam. Possumus igitur multa (si res postulet) è Græco vertere in Latinum tibi, multáque rursum quasi noua cudere, quæ nec ab eruditis forsitan respuantur. Regiam construis idem longè magnificentissimã, forumq; tuum simulacris omne genus vel æneis, vel marmoreis exornas. Nec autem cessant vbique terrarũ nobilissimi pictores tabulas tibi pulcerrimas viuis animare coloribus. Et ista ergo possumus, te iubente, non

Seipsum laudat.

erubescendis illustrare carminibus. Iam bella, & pacem mandare victuris vtriusque linguæ monumentis, & historiæ molli filo contexere pridem didicimus: tum vel vndanti solutæ vocis eloquio, vel immortali Musarum cantu totam posteritatē sacris implere præconijs. Quin Philosophiæ seriane defuerint cupiēti, milleq; iocis tædium subinde, mille profectò argutijs fefellerimus. Nec autem vendito ista tibi, dum sic indico: nec mihi referri ob ea gratiam quæro, sed abundè relatam putabo, si placuerit ex me tibi, non dicam res ipsa, sed animus. Vt autem gustum sumere aliquem iam nunc vigiliarum nostrarum possis, en Poëma tibi multa lima cruciatū, quod laudes poëticæ, quod historiam continet omnium ferè vatum. Sed & mittam commentarios paulò pòst in id opus copiosissimos, in quibus quidquid de varia multiplicique lectione condidimus, explicabitur. Ac (nisi me dulcissimus amor susceptī laboris fallit) tantas ex hoc libello velut è thesauro diuitias proferemus, vt magna ex parte studiosæ iuuentutis quædam veluti inopia releuetur: ac tum denique puto quiuis intelleget, quàm multis ista mihi lucubrationibus constiterint. Quare ne quæso numeret Angeli Politiani carmina lector, sed ponderet. Tu verò Matthia Rex regum prorsus omnium celeberrime, dum tibi commentarios quoque multiplici pagina surgentes euigilamus, accipe hunc interim rogo, libellum vultu quo Regem decet, hoc est, sereno, & hilari, quem tibi videlicet ego si non eruditissimus, at certè tuo nomini deuotissimus homo, quasi Deo donum religiosa mentis, atque animi pietate consecraui. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Bernardo Riccio suo S. D.

ACCEPI versiculos tuos ingenioſos, elegantes, venuſtos, facileis, ſed ita tamẽ affectibus plenos, vt eos nõ fictos, quemadmodum tu vis, ſed veros eſſe amatorios exiſtimem. Delectatus lectione ſum, ſed & admiratus admodum ſuperfuiſſe tibi tempus in hos tam delicatos luſus à publico munere, quod & diligenter obire diceris, & prudenter. Quod autem me rogas, vt eos angulo cuipiam ſecretiori ſolus inſuſurrem, mox verò domi ſeptos, & incluſos habeam: quanquàm tibi rebus omnibus obſequi ſtudeo, tamen in hoc vno minus obtemperabo, ne quid amor ſuccenſeat, ſi retineã tam bellos ipſius miniſtros, & velut in ergaſtulo ſupprimam. Sed de verſiculis aliàs. Scribis autem permultos iſthic eſſe, qui Ioannem Picum Mirandulam laudari à nobis in cognitione rerum, ſtudioq; ſapientiæ non moleſtè ferant, ijdem tamen ornamenta dicendi, ſplẽdoremq; illi quaſi oratoriũ tribui vix patiantur. Itaque rogas, vt ipſius vel epiſtolam tibi mittam, vel breue aliquod omnino ſcriptum, quod circumferre tecũ poſſis, & oſtentare: ne tuis tantum verbis aut illius æſtimatio propugnãda ſit, aut noſtra fides abſoluenda. Gero equidem morem, deſcriptãq; tibi epiſtolã Pici mitto, qua barbaros Philoſophos aduerſus Hermolaum Barbarum, ſed nihil minus quàm Barbarum defendit, ſimul ipſius Hermolai reſponſum luculentè ſcriptum, quò conferre vtriuſque ſtylum, genusq; dicendi poſſis. Aeſtimabis igitur ex hac epiſtola Picum, ſed vt leonem (quod Græci dicunt) ab vnguibus. Etenim ſolitus ille tractare ampla quædam ſemper, & ſcribere, quod opera illius indicabunt, magnis de rebus, quæ domi clauſa cottidie matureſcunt, ad argumenta deinde minora hæc, & leuiora vix exiguam partem cõferre ſuarum virium dignatur. Quapropter hanc ipſam epi-

epistolam tam plenam, tam spissam, tam diuitem paucis antemeridianis horis ex tempore propè dictauit. In qua tamen (vt videbis) electa verba, casta Latinitas, Atticus nitor, iunctura tenuis, numerosus ambitus, grata cõcinnitas, hilaris color, pura venustas, ornatꝰ facilis, agentes figuræ, sensus acres, apta exempla, multa fides, argumenta fortia, graue consilium, subtile iudicium, vis alta, indoles rara, mira maiestas. Sed hoc vsu plerunq; venit, quod & Marcus Cicero quodam loco scribit, vt in rebus diuersis eundem præcellere nolint homines. Itaque Picus noster, quoniã fidem fecit apud omnes diu, quantum emineat in studio sapientiæ, pro quo sunt illi maximabella pugnata: nũc impetrare non potest, cùm sit eloquentissimus, vt in dicendo saltem nec incultus omnino, nec inelegãs habeatur. Sed qui deinceps sequentur dies (vt Pindarus inquit) testes erunt sapientissimi. Tibi tamen interim studioso videlicet vtriusque nostrũ, quasi de lacu mustum, quod degustes, hanc illius epistolam propino. Quæ displicere nõ debet propterea quòd eloquentiam destruit. Destruit enim sic eloquenter, vt destruat hoc ipso, quod destruit. Ita nihil eloquẽtiam destruere præter eloquentiam potest: ideóque nec ipsa potest, quoniã scilicet hoc quoq; potest, quod omnino non potest. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS
Venetus, Ioanni Pico Mirandulæ s. d.

NON possum tibi non videri planè barbarus, et ingratus, qui tibi toties, & tã multa de me non minus scribenti semper, et prædicãti, sed sentienti quoq; gratias agere distulerim. Nullæ enim vnquam venerunt huc à te literæ, ex quo sum tibi cognitus, quin mentionẽ in illis de

me illustrem, & honorificam habueris. Sed vide quãnti faciam testimonium tuum de me, siue id iudicio agas, siue propensione voluntatis. Ego alioqui modestus, imò timidus, & parũ mihi fidens, videor aliquid esse quòd tu me laudas, quòd mea probas, quòd in Themistio nostro, quemadmodum scribis, tanquam iucundissimo diuersorio sæpe conquiescis. Quid quòd in litteris tuis plerunque me recognosco? Ecquid arbitraris quidquã nobis esse posse iucũdius, quàm cùm te vel nostrum aliquod incisum, vel circuitum, vel figuram dicendi non adeò notasse, sed imitatum esse perspicio? Et nisi quòd ad multos scribendo nõ videris hoc facere simulãter, et ex cõposito, magnæ mihi sese rationes offerunt, quamobrem hoc à te repertũ putẽ ad gratiã. Nec enim videre potera, quare tu genus illud tuũ dicẽdi fluens, ac floridum frangeres, & ad me deficeres, qui filum orationis aridũ, & prætenue sequutus humi serpo, nunquã assurgo, non inspiro, non circũduco, non eleuo, non abijcio, inuita scilicet, & repugnãte natura. Omnino de me nescio quid in me laboris, & diligentiæ, cetera nihil sum, nisi cùm à te, vel similibus tui quàm paucissimis cõmendor, aut cùm placere tibi mea, vel ad imitationem vsque cõperio. O præclarum, & planè diuinum ingenium tuũ Pice, qui cùm optima sint ea, quæ tu scribis, ita tamẽ exprimas, & effingas aliena, quæ sunt pessima, vt videantur esse tua, quæ sunt optima: nam demittere se ac descendere pluris esse deputo, quàm in ardua conari. Vt enim sit hoc honestius, illud certè laboriosius, et operæ maioris. Proinde siue tu talia credis esse nostra, quibus imitandis operã impendas: siue hoc agis demerendi mei caussa, vtroq; modo tibi plurimum debeo: relaturus aliquando gratiam, nolo dicere, cùm potero (nunquã enim

po-

potero) sed cùm tuipse, vel tui posse me putabitis: tãta enim est familiæ totius vestræ bonitas, & humanitas, vt beneficiũ quod nõ est, imputare pro beneficio soleatis: quamobrẽ ex vsu meo fecero, si vobis & modũ, & tempus reposcendæ gratiæ reliquero, vt in expunctione rationum paralogismus omnis, & impostura nõ à me, sed à vobis tota proficiscatur. Quæ verò de ratione studiorũ tuorum ad Scytham scripsisti, & cõmunicanda mecũ esse voluisti, maxima voluptate nos affecerunt. Gratulatus sum huic sæculo virũ tanta doctrina, vt nihil ferè nesciat, tanta cura, vt nil omnino scire videatur. Video te Poẽtã egregium, Oratorem eminentissimũ. Animaduertero te Philosophum prius Aristotelicum, nunc etiã Platonicum esse factum. Video litteras Græcas, quæ in te solæ desiderari poterãt, et sine quibus nihil eras futurus, nõ didicisse modò, sed hausisse: idq; facilitate tãta, celeritatéque, vt litteras Græcas ignoraſſe aliquãdo te neque tu memineris, neque persuadere posſis alios: id quod de Hieronymo Donato meo nõ plus libẽter, quàm verè prædico. Hortarer te ad has litteras, vti eas tã planè familiariter, quàm Latinas teneres, sed nõ indiges calcaribus. Et hercule verba prodigunt, quicunque peritioribus se consilium dare pergunt. Vnum te scio scire, nullius Latina lingua tot sæculis extare monumenta, qui litteris Græcis caruerit. Nec enim inter auctores Latinæ lmguæ numero Germanos istos, & Teutonas, qui ne viuentes quidem viuebant, nedũ vt extincti viuant: aut si viuunt, viuunt in pœnam, & contumeliã. Appellãtur enim vulgò sordidi, rudes, inculti, barbari. Quis malit sic esse, quàm prorsus non esse? At enim vtile aliquid dixerunt, valuere ingenio, doctrina, bonarũ rerum copia: non nego pænitus, quod & possum negare: sed sermo nitidus,

Ioannis Pici Mirandulæ laus.

Philosophi nostri temporis barbari.

tidus, & elegans, saltem purus, & castus, qualis vel in auctoribus Christianis, Græcis, Latinisq; perspicitur, laudem, & memoriam sempiternam scriptoribus conciliat. Nisi quis pictorem, et excusorem, & statuarium, et ceteros opifices laudari posse iudicet hoc solo, quòd magni cõstet, & pretiosa sit materia, circa quã versentur. Aut si Chœrilus, & Meuius habuissent illam segetem canendi, quam Vergilius & Homerus, futurum fuisse, vt primùm à Creticis, & Aristarchis mox communi Grammaticorum cõsensu redigerentur in numerũ Poëtarum. An verius est Chœrilum, & Meuium, quacũque materia, Chœrilum & Meuium futuros, neq; Chœrilum Iliada, neque Meuium Aeneida conscripturos vnquam fuisse? Non plus vtique quàm Chœrilum Aeneida. Meuiũ Iliada. Quî enim possum non iocari, cùm scribo de ridiculis? Sed nimis fortasse multa de nebulonibus: redeo ad propositum. Amplectere litteras Græcas, non iam vt discipulus, sed vt doctor, gloriareq; de nullo verius dici posse tritum illud, quàm de te, per omneis arteis multos discipulos meliores esse præceptoribus, id quod senario Græco significantius exprimitur. πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. Quod verò me ad Platonis libros, & placita hortaris, agnosco beneuolentiam tuam. Habeo Platonem in manibus, & habebo semper cùm sp̃ote mea satis inuitatus, tum à te fideliter, & amicè commonitus. Verbũ est Simplicij: nemo profiteatur Aristotelem, qui Platonem ab Aristotele dissociet, vt diuersa sentientem. Cui autẽ potest consentire Plato cum Aristotele, nisi ei qui libros, & cõmentationes vtriusq; cognouerit? Codices quicunq; sunt apud nos, ex ijs quos desideras, curabo tibi protinus exscribantur. Vale. Venetijs, Nonis Aprilis. M.CCCC LXXXV. Politianum meum ἀσπάζομαι.

Multi discipuli meliores præceptoribus.

Saluere iubeo.

IOAN.

IOANNES PICVS MIRANDVLA
Hermolao Barbaro suo
S. D.

Hermolai Barbari laus.

EGO quidem mi Hermolaë, nec possum aut tacere, quæ de te sentio, aut non sentire ea, quæ de illo debeãt, in quo omnia veluti singula summa reperiantur. Sed vtinam esset is meæ mentis captus, vt pro meritis tuis de te sentirem: vtinã ea dicendi vis, vt exprimere aliquãdo possem, quod semper sentio. Scio quæ de te concepi infinitum subsidere infra fastigia doctrinæ tuæ. Scias & tu quæcunq; loquimur, lõgè esse minora ijs, quæ cõcepimus. Tam deesse scias animo verba, q̃ rebus animus deest. Et tamen ita me audere credis, vt sperem posse imitari tua, quorum nec magnitudinẽ æstimare possum. Admirari te possunt omnes, imitari tam pauci possunt, quàm nemo reprehendere. Et vtinam ea mihi felicitas, vt quæ scribam, Hermolaum meũ aliqua ex parte imaginentur. Ipse enim (vt taceam cetera) stylus tuus, cui tu adeò malè faues, mirum quantum me afficit, atque delectat. Ita est doctus, grauis, compositus, eruditus, excussus, ingeniosus, in quo nihil expositum, nihil vulgatum, nihil sit triuiale, seu verba, seu sententias spectes. Legimus sæpe ego & noster Politianus quascunque habemus tuas, aut ad alios, aut ad nos epistolas. Ita semper prioribus certant sequentia, & nouæ fertiliter inter legendum efflorescunt veneres, vt perpetua quadã acclamatione interspirandi locũ non habeamus. Sed mirũ dictu, quàm persuadeas, & legẽtis animũ quocũq; velis impellas. Expertus sum ego cùm semper aliàs, tum hac proxima tua ad me epistola, in qua dũ barbaros hos Philosophos insectaris, quos dicis haberi vulgò sordidos, rudes, incultos, quos nec vixisse viuẽtes, nedũ extinc-

ti vi-

Ei viuant: & si nunc viuant, viuere in pœnam, & contumeliam, ita hercules sum commotus, ita me puduit, piguitq; studiorũ meorũ (iã enim sexenniũ apud illos versor) vt nihil minus me feciſſe velim, quàm in tã nihili faciẽda re tam laboriosè contendiſſe. Perdiderim ego, inquam, apud Thomam, Ioannem Scotum, apud Albertum, apud Auerroëm meliores annos, tantas vigilias, quibus potuerim in bonis litteris fortaſſe nonnihil eſſe. Cogitabam mecũ vt me conſolarer, ſiqui ex illis nunc reuiuiſcant, habiturine quidquã ſint, quo ſuam cauſam argumentoſi alioqui homines ratione aliqua tueãtur. Demũ ſuccurrit ex ipſis quempiã paulò facundiorẽ ſuam barbariam, quam poterit minimè barbarè hunc in modũ forſan defenſurũ: Viximus celebres ô Hermolaë, & poſthac viuemus, non in ſcholis grammaticorũ, & pædagogijs, ſed in philoſophorum coronis, in conuentibus ſapientum, vbi non de matre Andromaches, non de Niobes filijs, atq; id genus leuibus nugis, ſed de humanarũ, diuinarumq; rerum rationibus agitur, & diſputatur. In quibus meditandis, inquirendis, & enodandis, ita ſubtiles, acuti, acresq; fuimus, vt anxij quandoq; nimium, & moroſi fuiſſe forte videmur, ſi modò eſſe moroſus quiſquã, aut curioſus nimio plus in indaganda veritate poteſt. Atque in his quidem ſiquis nos arguat hebetudinis, & tarditatis, age amabo quicunque is eſt, pedem conferat, experietur habuiſſe barbaros non in lingua, ſed in pectore Mercurium, non defuiſſe illis ſapientiam, ſi defuit eloquentia: quam cum ſapientia non coniunxiſſe tãtum fortaſſe abeſt à culpa vt coniũxiſſe ſit nefas. Quis enim cincinnos, quis fucum in proba virgine non dãnet? Quis in Veſtali nõ deteſtetur? Tãta eſt inter oratoris munus, & philoſophi pugnantia, vt pugnare magis in-

Eloquentia, & orationis ornatus an deceat philoſophum.

uicem non poßint. Nam quod aliud rhetoris officium, quàm mentiri, decipere, circumuenire, præstigiari? Est enim vestrum (vt dicitis) posse pro arbitrio in candida nigrum vertere, in nigra candidum: posse quæcunque vultis tollere, abijcere, amplificare, extenuare dicendo. Demum res ipsas magicis quasi (quod vos iactatis) viribus eloquentiæ, in quam libuerit faciem, habitúmque transformare, vt non qualia suopte ingenio, sed qualia volueritis, non fiant quidem, sed cùm non sint, esse tamẽ audientibus appareant. Hoc totũ éstne quidquam aliud, quàm merum mendacium, mera impostura, merum præstigium, cùm à natura rei semper, vel augendo excedat, vel minuendo deficiat, & fallacem verborum concentum, veluti laruas, & simulacra prætendens, auditorum mentes blandiendo ludificet? Eritne huic cum philosopho affinitas, cuius studium omne in cognoscenda, & demonstranda ceteris veritate versatur? Adde quòd nobis nulla erit fides, lautitias vocum, & veneres affectantibus, quasi rebus parum fidentes, nec verò nixi trahere in sententiam his lenocinijs. homines quærimus. Est ob hanc causſam legere res sacras rusticè potius, quàm eleganter scriptas: quòd nihil sit magis dedecens, & noxium in omni materia, in qua de verò cognoscendo agitur, quàm vniuersum istud dicendi genus elaboratum. Hoc, hoc forensium est quæstionum, non naturalium, atque cælestium. Non est eorum qui in academia, sed qui in Repub illa versantur, in qua quæ fiunt, quæq; dicuntur, populari trutina examinantur, apud quam flores fructibus longè præponderant. Nónne scis illud? Non omnia omnibus pari filo conueniunt. Est elegans res (fatemur hoc) facundia, plena illecebræ, & voluptatis, sed in philosopho nec decora, nec grata.

Quis

Quis mollem incessum, argutas manus, ludibundos oculos in histrione, & saltatore non probet? in ciue, in philosopho, quis non improbet, arguat, abominetur? Si puellam viderimus moribus lepidam, atque dicaculam, laudabimus, exosculabimur: hæc in matrona damnabimus, & persequemur. Non ergo nos, sed illi inepti, qui ad pedes Vestæ agant bacchanalia, qui grauitatem philosophicarum rerum, & castitatem ludicris veluti, & calamistris dehonestent. Profectò quod Sinesius de adolescente, de oratione dici commodè potest, comatam orationem semper cinædam. Quare nos nostram malumus capillis hirtam, globosam, inexpeditam, quàm cum impuritatis, vel nota, vel suspicione bellè comatam. Alioqui Palladis peplum non reuelaret, sed à sacris vti profana repelleretur. Et vt nihil sint reliqua, hoc est verissimum, nihil esse diuersum magis ab instituto philosophi, quacũque in re quàm quod luxum, aut fastũ aliqua ex parte sapit. Sicyonios calceos habiles, apertosq; ad pedem dicebat Socrates, sed Socrati non conuenire. Omnino non eadem ratio ciuilis habitus, & philosophici, sicut neque mensæ, neque sermonis: vtitur his philosophus duntaxat ad necessitatem, vtitur ciuilis homo etiam ad gratiam: quã & hic si neglexerit, non ciuilis: & ille si affectauerit, non erit philosophus. Si posset Pythagoras viuere sine cibo, holeribus etiã parceret: si sua sensa aspectu, aut demum minore, q̃ sermonis opera explicare, omnino non loqueretur, tantum abest, vt linguã poliat, & exornet. Quod vel ob id cauẽdum nobis, ne illectus cute medicata lector demoretur ad cã, ad medullam, & sanguinem nõ peruadat, quẽ subesse sæpe cerussato ori infectũ vidimus. Vidimus, inquã, in hisce omnibus, quibus propterea in vsu venit, cùm nihil sit in-

tus non inane, & vanum, detinere lectorem in prima facie, modulatu vario, atque concentu: quod si fecerit philosophus, clamabit Musonius non philosophum loqui, sed tibicinem canere. Non ergo vobis vitio detur id non feciſſe, quod feciſſe vitium erat. Quærimus nos quidnã ſcribamus, non quærimus quomodo: imò quomodo quærimus, vt ſcilicet ſine pompa, & flore vllo orationis, quam volumus vt delectabilis, venuſta, & facetaſit, ſed vt vtilis grauis, & reuerenda, vt maieſtatem potius ex horrore, quàm gratiam ex mollitudine conſequatur. Non exſpectamus theatri plauſum, quòd aures demulſerit æquabilis clauſula, vel numeroſa, quòd hoc ſit ſalſum, illud ſit lepidum: ſed exſpectamus paucorum potius præ admiratione ſilentium, introſpicientium pœnitus aliquid, aut de naturæ adytis erutum, aut de Iouis aula ad homines adductũ: tum vel aliquid ita argutum, vt defendendi: ita defenſum, vt arguendi non ſit locus. Admirentur præterea nos ſagaces in inquirendo, circunſpectos in explorando, ſubtiles in contemplando, in iudicando graues, implicitos in vinciendo, faciles in enodando. Admirentur in nobis breuitatem ſtyli, fetam rerum multarum, atque magnarum, ſub expoſitis verbis remotiſſimas ſententias, plenas quæſtionum, plenas ſolutionum: quàm apti ſumus, quàm bene inſtructi ambiguitates tollere, ſcrupos diluere, inuoluta euoluere, flexianimis ſyllogiſmis & infirmare falſa, & vera confirmare. His titulis ô Hermolaë vindicauimus hucuſque, & vindicaturos poſthac ab obliuione memoriam noſtram non dubitamus. Quòd ſi vulgò (vt dicis) habemur ſordidi, rudes, inculti, hoc nobis ad gloriam eſt, non ad contumeliam. Vulgo non ſcripſimus, ſed tibi, & tui ſimilibus. Nec aliter quàm priſci ſuis ænigmatis,

&

& fabularum inuolucris acerbant idiotas homines à mysterijs: & nos consueuimus absterrere illos à nostris dapibus, quas non polluere non possent amariori paulùm cortice verborum. Solent & qui thesauros occultare volunt, si non datur seponere, quisquilijs integere, vel ruderibus, vt prætereuntes non deprehendant, nisi quos ipsi dignos eo munere iudicauerint. Simile philosophorum studium celare res suas populum, à quo cùm non probari modò, sed nec intelligi illos deceat, non potest non dedecere habere aliquid, quæ ipsi scribunt, theatrale, plausibile, populare, quod demum multitudinis iudicio accommodare se videatur. Sed vis effingam ideam sermonis nostri? Ea est ipsissima, quæ Silenorum nostri Alcibiadis. Erant enim horum simulacra hispido ore, tetro, & aspernabili, sed intus plena gemmarum, supellectilis raræ, & pretiosæ: ita extrinsecus si aspexeris, feram videas: si introspexeris, numen agnoscas. At inquies, non ferunt aures nunc asperam, nunc hiulcam, semper inconsonam texturam, non ferunt barbara nomina, ipso etiam penè timenda sono. O delicate, cùm accedis choraulas, & citharœdos pone te in auribus: cùm verò philosophos, auoca à sensibus, redeas ad teipsum in animi penetralia, mentisque secessus. Assume illas Thianei aures, quibus, cùm omnino non erat in corpore, non terrestrem Marsiam, sed Apollinem cælestem diuina cithara vniuersi melos ineffabilibus temperantem modis exaudiebat. His auribus philosophorum verba si delibaueris, mellea tibi ad Nestoris inuidiam esse videbuntur. Sed hæc sinamus nimio plus assurgentia. Profectò fastidire in philosopho subtilissime disputante minus concinnam elocutionē, non tam delicati stomachi est, quàm insolentis. Neq; est aliter, ac

Sileni Alcibiadis.

si quem in Socrate de moribus docente offendat aut laxus calceus, aut toga dißidens, & sectum praue stomachetur ob vnguem. Non desiderat Tullius eloquentiam in philosopho, sed vt rebus, et doctrina satisfaciat. Sciebat tam prudens, quàm eruditus homo nostrum esse componere mentem potius quàm dictionem: curare, ne quid aberret ratio, non oratio. Attinere ad nos ἐν διαθέσει λόγον, non attinere τὸν ἐν προφορᾷ. Laudabile in nobis habere Musas in animo, & non in labris: nequid in illo vel per iram sonet asperius, vel per libidinem eneruatius. Denique nequa sit discors à genuina ipsa, qua temperatus est modulabiliter harmonia. Quam Plato cùm intelligeret theatrali ista, & poëtarum sæpe corrumpi, à Repub. sua poëtas omnes eliminauit, gubernandam autem philosophis reliquit, mox certè si per lasciuiam diffserendi poëtas fuerint imitati, exilio condemnandis. At instabit Lucretius, etsi non egeant per se philosophiæ commentationes amœnitate dicendi, per eius tamen adhibitionem dißimulandam esse ipsarum rerum austeritatem, sicut absynthia per se pellunt morbos, melle tamen illinuntur, vt puerorum ætas improuida ludificetur. Hoc fortè tibi faciendum erat ô Lucreti, si pueris scribebas tua: si vulgò, faciendum vtique tibi, qui non absynthia modò, sed meracißima toxica propinares. Sed longè alia nobis habenda ratio, qui vulgus (vt antè diximus) non allectare quærimus, sed abstterrere, nec tetra absynthia, sed nectar propinamus. Sed contendet Lactantius satis constare in auditorum animos, vel seniorii influere potètius veritatem, & vi sua instructam, & lucce orationis ornatam. Si fuisses ô Firmiane tam frequens in sacris litteris, quàm in fictis litibus fuisti, & hoc nos dixisses, & nostra nō minus bene fortasse confirmasses, quam

In affectu orationē.

In eloquētia, siue enuntiatione.

In Lucretium.

In Lactantium.

quàm destruxeras aliena. Dic, quæso, quid mouet fortius, & persuadet, quàm sacrarum lectio litterarum? Non mouent, non persuadent: sed cogunt, agitant, vim inferunt legis rudia verba, & agrestia: sed viua, sed animata, flammea, aculeata, ad imum spiritum penetrantia, hominem totum potestate mirabili transformantia. Periclis orationibus elaborati, & luculentis nihil se commoueri inquit Alcibiades, sed Socratis verbis nudis, & simplicibus. Addit etiam si sint inepta, rapi in furorẽ, extra se poni, & velit, nolit, faciendum ei, quod ille præceperat. Sed quid perdo verba in re confessa? si non desipit auditor, à fucato sermone quid sperat aliud q̃ insidias? Tribus maximè persuadetur, vita dicentis, veritate rei, sobrietate orationis. Hæc sunt Lactanti, quæ philosopho fidem conciliabunt: si bonus fuerit, si veridicus, si id genus dicendi appetens, quod non ex amœnis Musarum siluis, sed ex horrendo fluxerit antro, in quo dixit Heraclitus latitare veritatem. At dicet quispiam: Agè amice, examinemus hæc deposita contentione. Reuerendum quoddam, atque diuinum per se est sapientia, nec exotico quoquam eget ornatu: sed quæ inuidia & hunc accedere? Quis negat quæ per se decent, si adornentur, fieri decentiora? Ego amice hoc in plerisque nego, adeò multa sunt, quorum splendorem, si quid adiunxeris, elimines, & non illustres: ita sunt scilicet in sua natura optimo statu, vt demutari ab illo nisi in peius, non possint. Marmorea domus picturam non recipit, si opus albarium superinduxeris, demas de dignitate, de pulcritudine. Non aliter & sapientia, & quæ tractãtur à philosophis tectorio non clarescunt, sed offuscantur. Quid plura? Nónne vulgatum bonas formas cerussa deuenustari? in vniuersum quidquid pulcri superimponas, celat

Litteræ sacræ.

Persuasio à tribus.

Veritatis antrum.

celat quod inuenit: quod affert secũ, illud ostẽtat: Quare si quod prius fuerat aduentitio præstat, iacturã fecerit illud quidquid est, non lucrum, Ob eam causſam nudam se præbet philosophia, vndique conſpicuam, tota sub oculos, sub iudicium venire gestit, scit se habere vnde tota vndique placeat. Quantum de ea veles, tantum de forma veles, tantum de laude minuas, ſinceram, & impermiſtam se haberi vult, quidquid admiſceas, infeceris, adulteraueris, aliam feceris, ſtat puncto inſectili, & indiuiduo. Quapropter nec ludendum tropis, nec verbis aut nimijs luxuriandum, aut tranſlatis laſciuiendum, aut factitijs audendum in re tam ſeria, tanti diſcriminis, in qua demere, addere, demutare aliquid, ſit flagitium. At inquies, Age damus hoc vobis, vt non ſit veſtrum ornatè loqui: ſed veſtrum eſt certè (quod nec præſtatis) vt Latinè ſaltem, vt ſi nõ floridis ſuis tamen verbis res explicetis. Non exigo à vobis orationem comtam, ſed nolo ſordidam: nolo vnguentatam, ſed nec hircoſam. Non ſit lecta, ſed nec neglecta. Non quærimus vt delectet, ſed quærimur quòd offendat: bene habet, iam ſcilicet ad nos deficis. Sed amabò iam cognoſcamus, quid iſthæc ſit Latinitas, quam ſolam dicitis debere philoſophos, & non perſoluere. Si dicendo incurrat, exempli cauſſa, à Sole hominem produci, cauſſari hominem noſtrates dicent. Clamabis actutum, hoc non eſt Latinum, hucuſque verè, non eſt Romanè dictum, hoc verò verius, igitur nõ rectè, peccat argumentũ. Dicet Arabs eandem rem, dicet Aegyptius, non dicent Latinè, ſed tamen rectè. Aut enim nomina rerum arbitrio conſtant, aut natura. Si fortuito poſitu, vt ſcilicet communione hominum in eandẽ ſententiã cõueniente, quo ſanxerit vnumquodq; nomine appellari, ita apud eos rectè appelletur: quid

quid prohibet hosce philosophos, quos nuncupatis barbaros, conspirasse in vnam dicendi normam, apud eos nõ secus sanctam, ac habeatur apud vos Romana? Illam cur rectam non appelletis, appelletis vestram, nulla est ratio. Si hæc impositio nominum tota est arbitraria, quòd si dignari illam Romani nominis appellatione non vultis, Gallicam vocetis, Britannicam, Hispanam, vel (quod vulgares dicere solent) Parisiensem. Cùm ad vos loquentur, continget eos pleraque rideri, pleraque non intelligi. Idẽ accidet vobis apud eos loquentibus, Ἀνάχαρσις παρ' Ἀθηναίοις σολοικίζει, Ἀθηναῖοι δὲ παρὰ Σκύθαις. id est, Anacharsis apud Athenienses solœcismum facit, Athenienses apud Scythas. Quòd si nominum rectitudo pendet ex natura rerum, debemúsne rhetores, an philosophos, qui rerum omnium naturam soli perspectam habent, & exploratam de hac rectitudine consulere? Fortè quæ aures respuunt, vtpote asperula, acceptat ratio, vtpote rebus cognatiora. Sed quid oportuit nouare eos linguam, & si nati erant inter Latinos, non Latinè loqui? Non poterant illi ô Hermolaë, dum legebant in cœlo fatorum leges, euentorum notas, ordinem vniuersi: legebant in elementis nascendi vices, & obeundi simplicium vires, mistorum temperaturas: non poterant, inquam eodem tempore in Cicerone, in Plinio, in Apuleio Romanæ linguæ proprietates, leges, obseruãtias adnotare. Quærebant quid abhorrens, quid receptum in natura: quid à Romanis interea non curabant. Verum enimuero iam te loco meliore statuo, do tibi eloquentiam, & sapientiam mutuo nexu inuicem conspirasse. Abiunxerunt philosophi sapientiam ab eloquentia: abiunxerunt historici, rhetores, poëtæ, quod deflet Philostratus, eloquentiam à sapientia. Hos tu victuros celebri fama minimè

dubitas. Illos non nisi in pœnam, & contumeliam. Vide quid agas, in disertam mauult Cicero prudentiam, q̃ stultã loquacitatẽ. Non quærimus in pecunia, qua moneta percussa sit, sed qua materia constet. Nec est qui purum aurum non malit habere sub nota Teutonum, quàm sub Romano symbolo factitium. Peccant qui dissidium cordis, & linguæ faciunt: sed qui excordes toti sunt lingua, nónne sunt mera (vt Cato ait) mortuaria glossaria? Viuere sine lingua possumus, fortè non commodè: sed sine corde nullo modo possumus. Non est humanus, qui sit insolens politioris litteraturæ. Non est homo, qui sit expers philosophiæ. Prodesse potest infantissima sapientia, insipiens eloquentia, vt gladius in furentis manu, nõ obesse maximè non potest. Ergo inquies, & statuæ non à figura, sed à materia commendantur. Et si Chœrilus eadem quæ Homerus, & de eisdem Meuius, ac Vergilius cecinissent, futurum erat vt æquè illi, atque isti inter poëtas reciperentur. Nónne vides disparilitatem similitudinis? Illud & nos assueramus, à specie rem æstimari, nõ ex subiecto. Est enim à specie res id quod est: sed alia specie quispiam inter philosophos, alia inter poëtas recipiendus. Scribat Lucretius de natura, de Deo, de prouidentia, scribat de ijsdem ex nostris quispiam, scribat Ioannes Scotus, & quidem carmine, vt sit ineptior. Dicet Lucretius rerum principia, atomos, & vacuum: Deũ corporeum, rerum nostrarum inscium: temere omnia fortuito occursu corpusculorum ferri: sed hæc Latinè dicet, & eleganter. Dicet Ioannes, quæ natura constant sua materia, speciéque constitui: esse Deum separatam mentem, cognoscentem omnia, omnibus consulentẽ. Nec propterea quòd vniuersa etiam infima videat, ac moderetur, è sua pace minimum dimoueri, sed quod dici solet,

Mortuaria glossaria.

let, κατίοντα μὴ κατίναι. At dicet insulsè, ruditer, non Latinis verbis. Quæso quis in dubium reuocet, vter poëta melior, vter philosophus? Extra omnem est controuersiam, tam rectius Scotum philosophari, quàm ille loquitur ornatius. Sed vide quid differant: huic os insipidum, illi mens desipiens. Hic grammaticorum, ne poëtarum dicam, decreta nescit: ille Dei atque naturæ. Hic infantissimus dicendo sentit ea, quæ laudari dicendo satis non possunt: ille fando eloquentissimus eloquitur nefanda. Hæc illi fortasse afferent, Hermolaë carissime, in defensionẽ suæ barbariæ, aut, qua sunt subtilitate, multò fortasse meliora. Quorũ sententiæ nec ego planè accedo, nec ingenio cuiquam, & liberali accedendum puto: sed exercui me libenter in hac materia, tanquam infami, vt qui quartanam laudant, cùm vt ingenium periclitarer, tum hoc consilio, vt veluti Glauco ille apud Platonem iniustitiam laudat, non ex iudicio, sed vt ad laudes iustitiæ Socratem extimulet. Ita ego vt eloquentiæ causſam à te agi audiam, in eam licentius repugnante paulisper sensu, atque natura inuectus sum: quam si vel negligendam, vel posthabendam barbaris existimarem, non ab illis ad eam, quod nuper feci, ad Græcas literas, ad tuum nunquam satis laudatum Themistium penè totus defecissem. Quamuis (dicam libere quod sentio) mouent mihi stomachum grammatistæ quidam, qui cùm duas tenuerint vocabulorum origines, ita se ostentant, ita venditant, ita circunferunt iactabundi, vt præ seipsis pro nihilo habendos philosophos arbitrentur. Nolumus, inquiunt, hasce vestras philosophias. Et quid mirum? nec falernum canes. Sed nos hac fini epistolam claudamus. Si decus aliquod, nomenque sibi promerueruntbarbari illi sola rerum cognitione, non esse facilè dictu

Descẽdẽtẽ nõ descẽdere.

dictu, quem locum, quid laudum tu tibi vendices, qui sis inter philosophos eloquentißimus, inter eloquentes, vt dicam Græce, φιλοσοφώτατος. Florentiæ, III. Nonas Iunias. M. CCCC XCV.

HERMOLAVS BARBARVS
Ioanni Pico Mirandulæ suo S. D.

EXSPECTABAM quidem istinc vsuras aliquas omnino ex ijs litteris, quas superioribus diebus ad te dedissent: sed tu eas (quæ tua liberalitas est) etiam inciuilibus, & immodicis remunerandas esse censuisti, non epistolam rescribens, sed volumen ferè iustum. Ea mihi res, vt par erat, attulit incredibilem voluptatem, quòd videbam te quanquàm occupatißimum, delectari lectione litterarum mearum adeò, vti ne minima quidem in ijs, & friuola præterire inexplorata patiare: id quod ego nuper ex hac epistola tua facilè animaduerti. Nam cùm ipse in quodam litterarum ad te mearum angulo quasi aliud agens, & in transcursu philosophos æui nostri barbaros insectatus essem, quibus te quoque infensum esse factum, & nuntium remisisse scriberes, occasione hinc arrepta, litem, & controuersiam veterē inter nos & illos de genere dicendi philosophorum multis millibus versuũ comprehensam, & explicatam, opus elegans, eruditum, elaboratum ad nos misisti, perfectum celeritate tanta, vt nisi quòd opes ingenij tui perspectißimas habebam, crediturus fuerim paratum fuisse tibi pridem hoc argumentum, vt ad primam quanque occasionem proferre posses. Sed vt ea mihi res & festiuior, & iucũdior eueniret, homo lepidißimus, humanißimus, latinißimus, barbaros contra Barbarum defendis, vt hostis pro hoste, socius contra sociũ, ipse contra teipsum stare, patrocinariq; simulares. Illud sanè plurimũ me delectat

lectat, quòd sub specie defensionis exitialiter iugulas, quos defendis. Primùm quòd hostes eloquentiæ tueri se, nisi per eloquentes viros non possunt, quasi mancipia, quasi bruta: deinde, quòd si te patrono, te vindice, te aduocato non elabũtur, neq; colluctari, neque tergiuersari præterea poterunt. Proinde ab amicis, quos habeo Patauij, certior factus sum apologiam tuam, quæ Scytharum & Teutonum est inscribi cœpta, quasi Typhonis, & Eumenidum laudatio molestissimam accidisse maiori eorum parti, quos defendis, alijs aliter factum tuũ interpretantibus. Nam nobis quibus cum verbo litigas, corde sentis, gratissimam omnibus rem feciſti, quia & ductum, & emphasim intelligimus, ἄλλα μὴν χαρ λίυκων, ἄλλα δὲ λίυκωνος υἱός. Alioqui transfugam appellare te possemus, si quẽadmodũ scribis, etiã sentires. Quanquã vt tecũ iocer, si transfuga non es, præuaricator sis oportet, qui parietes duos linas, & caussam quam susceperis, schemate corrumpas. Nihil enim interest, quacunque ratione Barbaros clientes tuos prodas. Quod autem schema callidius adire poteras, quàm reus eloquentiæ confitentes, & noxios eloquentia conari summa defendere? idque rationibus, quas vel ipsi facillimè diluant, quos tueris: modò siquis est ex illo grege, qui possit ea capere quæ dixisti, tanto cultu prædita, tot luminibus, tot emblematis oculos adeuntium stringentia, adde tot sententias prurientes, tam multas historias, & exempla remotioris doctrinæ, quasi flosculos, & omnino θάλασσαν ἄγαθῶν, ad quæ siqui sunt ex illis paulominus asini, volebam dicere ἄμουσοι, auriculas tantum mouent, ceteri diffugiunt, respuunt, detestantur. Quorum è numero vnus aliquis a gymnasio Patauio (nihil confingo Pice, ridiculam omnino, sed veram hi-

Alia enim Leucon, alia Leuconis filius.

Mare bonorum.

Inelegantes.

historiam denarro) audaculus, & insolens, cuiusmodi ferè sunt, qui litteras humaniores & odio, & ludibrio habent: Picus, inquit, iste quisquis est, grammaticus opinor, paruo pedi calceos magnos circūdedit. Quid enim opus est tam multis rhetorijs? aut quid ranis propinat? addidimus ipsi, & quidem Seriphijs. Ecquis est, inquit, tam stolidus, atque sensu carens qui patronū hunc egregium cum altero quisquis est, nephario grammatista colludere non intelligat? Mihi quidem videtur flere ad tumulum nouercæ, nullam homini fidem habeo. Accedit quòd nec prima huius cantionis, nec media, nec postrema teneo, non secus hercule, q̄ si Græcè nos vel Aegyptiè defenderet, & omnino littoribus loquitur. Sed finge patrocinium eius fidele: si vincimur, malè factum: sin vincimus, pessimè. Futurum enim est vt non iure nostro erepti, sed eloquētiæ viribus dicamur, cui sumus, & semper esse volumus infensissimi. Quid autem potest ingenuo molestius accidere, quàm ei vitam, & salutem debere, quem sublatum, & perditum velit? Atque iste ipse noster inopinatus, & magnus patronus si superabitur: quoniam superari cum eloquentia non posse prædicant, ratione ipsa superatus, & veritate putabitur: sin superabit (quod abominor) deficiet ad suos illico, decus hoc & victoriam eloquentiæ suæ tribuet. Malo non defendi, quàm hoc periculo defendi: suspectum mihi hoc hominum genus est. Lepori canis fauet: intempestiua beneuolētia (nescio qui poëta dixerit) nihil à simultate differt. Iam quis vnquam hominem sic defendit, vt ea quæ dicuntur, intelligat solus accusator? Aut quis ita causſam suā agi patiatur, vt is qui sententiam est laturus, ex aduersa parte iudex idem, & arbiter cooptandus sit? Itáne reiectioni quidem locus esse posſit, vt conditione simus

peiore

peiore futuri multò, quàm fabri, quàm mancipes tabernarum, & institores, & venalitij. Sed audio eum exemplis, historijs, fabulis, testimonijs poëtarũ vti, nec enim percipio ipse, quæ pro nobis scripsit. Quòd si hæc vera sunt, miseri quo recidimus? Adeón' rem redijsse, vt tenere iura nostra per fabulas, & apologos oporteat? At verò esse, vbi & hypotheticis, & inductionibus, & enthymematis agatur. Quid ni? Philosophus sum, apodixin desidero, cetera oratoribus relinquo. Dices non omnia posse per apodixin doceri, probabilibus interim locum esse. Reuocatur ergo res ad aleam, probabilia multa cõtra nos, pro nobis item multa, quis arbitrabitur? Finge dictum esse ab isto, philosophiam rebus constare, verborum pompa nihil indigere. Credo enim hanc esse summam omnium, quæ pro nobis dicantur. Contra illi philosophiam, quæ sit munus diuinum, sanctum, religiosum, religiosè adiri oportere, manibus non illotis, sed puris, sed nitidis, sermone casto, non spurco, non lutulento contrectari. Vtrunque probabile, tã illud prius, quæ sua vi polleant, extrarijs non egere, quàm hoc posterius, rem nobilem, & eximiam, & visendam sordidis verbis, & ignobilibus inquinari, contaminari, pollui non debere. Vendibilius hoc fortasse, non quòd philosophia sine verborum delectu pellucentium, & nitentium desinat esse summum bonum: sed quemadmodum numina, quanquam nihil indigent humanis opibus, tamen & donari, & coli volunt: ita philosophia ornari se non modò patitur, sed amat, inquiunt, & laborat. Deo perfectius, absolutius nihil esse, nusquam tamen plus auri, plus argenti, plus marmoris, plus pretiosæ vestis, plus gemmarum, quàm in templis, & in altaribus conspici. Non igitur licere deos colere, philosophiam nefas esse.

Nouo-

Locus à cõtrarijs.

Nouerunt enim & oratores locum à repugnantibus, & contrarijs: eóque vel frequẽtißimè vtuntur, qui est inter omnes (vt ipsi prædicant) instantißimus, & acerrimus. Quid autẽ sit instans, & acer sermo, nihil docent, sed nos ad Aristotelem nunquam à nobis lectum, nunquã legendum remittunt. Iam ne illi quidẽ philosophos eloquentibus postponunt, non enim tam parum prudentes sunt, sed philosophos eloquentes infantibus præferunt. Nempe quia plus sit bonis duobus esse præditum, quàm vno. Dicunt enim hoc argumentum à toto duci: Themistium id eos docere, quem è Græco in Latinum vertisse gloriantur. Nam totum & quantitas esse, quantitatem porrò aliam numeri, aliam modi faciunt. Quia verò nos argumento respondebamus (sæpe enim cum ista grammatistarum, & nebulonũ manu congredior) alterutrum duorum aut eloquentiam bonum non esse, aut bonum quidem esse. Ceterùm nihil attinere ad eam de philosophia, vtique non plus quàm ad sutoriam, statuariã, excusoriam, vtranque disiunctionis partem longißimo, & profundißimo risu exceptam amoliuntur, & diluunt in hunc modum. Primùm, quòd philosophia omnis bonũ sit: Rhetoricen porrò philosophiæ partem esse testari Peripateticos omnes ferè contendunt. Speciem enim esse ciuilis scientiæ rhetoricen Aristoteli credendum esse, qui hoc dicat. Hoc genus interpellationem ab Aristotele vocari affirmant eam, quæ generaliter obnuntiet, & ad primam tantum syllogismorum figuram pertineat: sicut eam quæ particulariter concipitur, in figurã summam, nec aliter reponi posse. Hoc ego verum sit, an contrà, nescio: nec enim Aristotelem vbi hoc dixerit inuenio, sed satis intelligitur argumentum à genere sumtum esse. Quanquàm dicat hæc Aristoteles portenta

tenta, nēcne, ipsi parum laboramus. Quandoquidem philosophi eius omnes ferè libri nimiam propter obscuritatem à nobis deserti sunt, ab illis, vt iactant, occupati: propterea nos qui bouillas edimus, & suillas, quique pomenta nobis hæc delicatos, & ociosos homines suffurari facilè passi sumus, congressum hunc in Aristotele, quasi scopulum vitamus, in cetera pertinaces, & imperterriti. In altera porrò disiunctionis parte sic eludimur, Si ad rhetoricen philosophia nihil pertinet, nec animal ad hominem. Pertinet autem animal ad hominem, quis hoc non viderit? ad rhetoricen ergo philosophia pertinet, siue quasi partem, siue quasi formam, & speciem, quod & magis probant. Respondi, philosophiæ partē eius esse, quam practicen vocamus, non eius quam theoricen. Studebamus, inquiūt, vobis hoc exprimere. Philosophi vultis esse dimidiati, semiperfecti, mutili, rhetoricen philosophiæ partem esse conceditis, & tamen fœdum, & turpè ducitis rhetoricen à philosopho teneri, sine qua philosophus perfectus, & cumulatus nemo sit futurus. Cui enim desit aliquid, hoc perfectū, & cōsummatum esse non posse: alioqui si philosophia omnis ad animi nostri perfectionē pertinet, rhetorice nō pertinet: syllogismum figura secūda necti, qui sit elenchus, philosophiam aliquam non esse philosophiam: quod genus ex contrapositis appellatiū ab Aristotele primo volunt. Quòd si animus eloquentia perficitur, quæ inuidia est contendere philosophū eundem, & eloquentem esse non oportere? His quasi cumulū quendam, et corollariū hoc addebant, Valeat auctoritas, & exempla maiorum: Aristotelem, & Platonē, quorū sectam, & placita profitemur, eloquētissimos viros fuisse, nihil vt sit oratione illorū suauius, purius, luculentius. Proinde qui philoso-

phiam cum eloquentia pugnare dicerent: qui rhetoris officium aliud non esse quàm decipere, quàm mentiri, calumniã euidentẽ esse, & quæ Peripateticũ nihil sapiat, & quæ ignorare videatur inter oratorem & sophistam quid interſit: & quod discrimen in Topicis, & Rhetoricis Aristotelem reddidisse perhibent. Nec minus auidè cauillari, qui dicant orationem in philosopho mollem, & delicatam esse non oportere, quasi sit aliquis qui hoc requirat in philosopho, quod ne in oratore quidem feratur. Sed quemadmodum oratio luxu diffluens, atq; fracta, sic squaloroſa, illuuioſa, lutulenta, ſordida grauitatem, & maiestatem philosophiæ commmuunt: medium quendam tenorem & filum dicendi probant. Atticã volunt esse, non Asiaticam, non Germanicã, sicut neq; mensam. Displicet Cynica, displicet Persica: sumtuoſa hæc, illa ſordida: placet frugi: sic oratio. Propterea ridendos esse, qui tam liceter in re confeſſa mentiantur, dicentes orationem, qua philosophi modo vtuntur, ſetoſam, & ſqualidã, & horrentem, venerationis cuiuſdam, & maiestatis plenam eße. Iam hic ego fateri verum adigor: nã impudens mendacium ne in patrono quidem, & aduocato ferimus. Si ſermo noſter ſordidus non est, non video quod genus dicendi ſordidum esse poßit. Aut, ſi hũc horrorem, & maiestatẽ habet, eundẽ habebit & cerdonũ, & ruſticorum oratio. Nec enim cultius ipſi loquimur, q̃ cerdones, & populus: vernaculo melius vſuri q̃ ſic Latino. Aliterne loquuntur agrarij ſacerdotes, & pædagogi, tabelliones, & formularij, q̃ nos loquamur? Quis tamen vnquã in illorum ſermone religionem & maiestatẽ notauit? Nec minus intẽperãter verſari, qui teſtimonio Ciceronis contra ſe nitantur ſcribentis quodã loco: Et tamen a philoſopho ſi afferat eloquentiam, non aſpernor;

ſi

si non habeat, non admodum flagitem. Nec enim potuisse maximum oratorem, qui sententiam Epicuri cõuelleret, aliter respondere Lucio Torquato, qui sic dixisset: Sed existimo te sicut nostrum Triarium minus ab eo delectari, quòd ista Platonis, Aristotelis, Teophrasti orationis ornamenta neglexerit. Nam illuc quidem adduci vix possum, vt ea quæ senserit ille, tibi non vera videantur. Tum Cicero: Vide quantum fallere Torquate, oratio me istius philosophi non offendit. Nam & complectitur verbis quod vult, & dicit planè quod intelligam, & tamen à philosopho si afferat eloquentiã, non asperner: si non habeat, non admodum flagitem. Re mihi non æquè satisfecit. Hæc illum non tam ex animi sententia, quàm ad hominem dixisse. Multa enim in disputando nõ plus ex animi sententia dici, quàm vel captandi, vel molliendi gratia vel docendi. Alioqui multos in Cicerone locos esse ex quibus id commonstrant. Primum eodem libro de Finibus: Sed ex eo, inquit, credo quibusdam venire vsu, vt abhorreant à Latinis, quòd inciderint in inculta quædam, & horrida, de malis Græcis Latinè scripta deterius: quibus ego assentior, dum de eisdem rebus ne Græcos quidem legendos putent. Res verò bonas, verbis electis grauiter, ornateq; dictatas quis non legat? Itẽ aliubi, Philosophia, inquit, iacuit ad hanc ætatem, nec vllum habuit lumen litterarum Latinarum, quæ illustranda, & excitãda nobis est. In quo inquit, eo magis nobis elaborandum est, quòd multi iam esse libri Latinè dicuntur scripti inconsideratè ab optimis illis quidem viris, sed parum eruditis. Fieri autem potest, vt rectè quis sentiat: & id quod sentiet, politè eloqui nõ possit. Sed mãdare quenquã litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec accuratè illustrare possit, nec delectatione

aliqua allicere lectorem, hominis est intemperatè abutẽtis otio, & litteris. Itaque suos libros ipsi legunt cũ suis, nec quisquam attingit, præter eos, qui eandẽ scribẽdi licentiam sibi permitti volunt. Mille alios locos quibus hoc ostendant, tam vbi nouitatẽ verbi non satis apti fugiendam esse Cicero præcipiat, quàm vbi commoditatem in dicendo non negligendam contendat. Nolim (inquit) nisi Latinè quidẽ dici posit, speciebus, & specierum dicere. Heus tu quisquis es, patrocinij fides vbi? hoc tu defendere appellas, non prodere, testi denuntiare, qui nos iugulet? Sciebas quid is dicturus esset perfidia, nesciebas imprudentia testem citare subiectum ab aduersario, qui auctoritatem habiturus esset, non arguentis modò, sed etiam confitentis. Quis hoc peccasset tantum non orator? At verò arbitraria res est vocabulum non profectum natura, sed ex aliqua quasi cõuentione hominum, & pactione. Quis hoc negat? sed & petasus, & tunica: nemo tamẽ tunicam pedibus circundat, petaso latus integit. Non omnia quæ placeant, etiam bona esse. Braccatum os Mecœnatem, quasi Sarmatam, potuisse quidem ius dicere, quoniam arbitraria res esset: sed qui non reprehenderit fuisse neminem. Vt calceos à sutoribus, & vestes ab institoribus, ita rationem dicendi ab oratoribus petendam, & condiscẽdam esse. Quid tam arbitrarium est, quàm leges, quàm iura, quàm cerimoniæ? Quis tamen ferat hæc philosophum, quam lubet egregiũ, quàm lubet Deo proximũ, vel nouare, vel immutare cupientem? Præsertim nobis qui de contẽplatore modò loquimur, & ab eo practicè discludimus, sine qua homo nõ philosophus est, inquiũt, sed stupor. Hæc illi nescio q̃ vera, certè verisimilia: neq; tamẽ protin⁹ herbã dedi; est enim hic noster in disputãdo

mos,

nos, rigere semper, nunquam dare terga, nunquã manus, confugia semper aliqua, siue latebras habere, à quibus ne Aristoteles quidem ipse, si reuiuiscat, posset nos euellere. Quanquam & hac parte nos incessunt, rusticitatem, & impudentiã appellantes, natam ex hoc ipso, quòd litteras bonas contemsimus. Mirum dictu, liberalium artium professores non satis esse liberalibus litteris carere, nisi eas & odissent, & omnibus modis lacesserent: vt nemo sit liberalibus studijs infensior, quam qui liberaliũ artium doctores vocari volunt. O iocularem ambitionẽ, aliquos esse, qui nomine glorientur, rẽ contẽnant: Quãobrem, inquit, hæc summa est, aut rationem aliquam euidentem, & necessariam pro nobis habent, aut non habent: si habent, proferant hanc quàm primùm: hæc vna mihi sufficit, nec in ea re desidero patrocinium hominis eloquentis: sin non habent, loci sunt cõmunes, & translatitij, non minus contra nos, quàm pro nobis fortasse valituri, & quòd in pari caussa facilius persuadent, qui appositè loquuntur, quàm qui contrà: & quòd præiudicijs clarorum virorum premimur, Aristotelis, & Platonis, & omnium antiquorum, quos non solùm philosophiæ, sed etiam eloquentiæ præsides, & antistites fuisse constat. Proinde aut quæstio tota iaceat aut suscipiatur ab his, qui loqui nesciunt, hoc est, qui partibus nostris & verbo, & animo fauent. Hanc tu quisquis es, anagyrim (vt prouerbio medicorum vtar) ne moueris. Malumus caussa tota cadere, quàm per te seruari: satius enim est fortiter vinci, quam turpiter vincere. Quandoquidem & ita vinci minus erit molestum: & victoria per hostes quæsita, dulcis, & speciosa esse non potest. Hæc Pataum' ille simius, quæ omnia scripsi ad te libenter, vt intelligeres nullam tibi popularem auram

apud istos quæsitam esse, plurimum apud nos. Ceterum
Iumento indigetē. suscepisti rem nō solum (vt scribis) ὑποζυγιώδη, sed etiā
Impossibilem. ἀδύνατον. Quid enim est aliud Αἰθίοπα λευκαίνειν, quàm ra
Aethiopē dealbare. tionem philosophandi barbarā, & ineptā velle defen-
dere? Quid, inquā, est cotem alere, nisi gratiā exspectare
ab ijs, quos ipsæ deæ Gratiæ nunquā nouerunt? Quocir
ca mirum non est (patere tecū in re facetā iocer) si non
modò nobis, contra quos egisti, sed ne illis quoque, pro
Ipsa quidē oratio ad- quibus egisti, causſam tuā probaris. ὁ μὲν γὰρ
mirāda, qui autem di- λόγος θαυμασὸς, ὁ δ' λέγων ἄπιστος. Tu verò (nec
cit non credendus. enim desino iocari) credebas ex actione tua
Homo homini Deus, aut dæmonium. barbaris extorqueri tritum illud, ἄνθρωπος
Iste funis nihil attra- ἄνθρώπῳ δαιμόνιον, ceu per te seruatis, et qui-
xit. dem ex insperato, sed αὐτὴ ἡ μήρινθος δ' ἐνδιδ-
Terrestris cū sis, ne ἰσπακτὶ, captasti ventos retibus. Quamobrem
quæras mare: & cū nō moneo te mi Pice, χέρσῳ ὢν μὴ θάτα θάλατ-
sis Syrus, ne syrisses: σαν, χώρᾳ μὴ Σύρῳ ὢν μὴ σύριζε, καὶ νέους φίλου
& nouos amicos parās optimè, veterum ne ποιῶν λῶστε τῶν παλαιῶν μὴ ἐπιλανθάνου. Alios
obliuiscere. qui fecisti quod liberales & opulenti so-
Nam qui multū pipe lent, ὁ χωρὶς ἔχων πολὺ τὸ πιπίρι ζῶν, τίθησι κ' ἐν
ris habet, admiscet λαχάνοις. Vale. Politianum saluta Venetijs.
vel holeribus.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Bernardo Riccio suo S. D.

POLITIANVS noster magnus litterarum arbiter,
imò censor, imò assertor, id agit, quod omnes, qui ex cā-
dē fidelia sunt, agere debent: cuius epistolis, quas nuper
mihi complures legendas tradidisti, mirificè delectatus
sum. Sed illa me præcipuè affecit in manum sæpius re-
sumta, quæ ad Pici laudem, viri clarissimi, consen-
súque omnium nunquam satis laudati verissimè pertinet.
Ioan. Pici Mirandulæ laus. Nam meritò eos retaxat Politianus qui Picum præter
quàm honoris causſa nominarint: in cuius admirabili na-
tura,

tura, nisi quoddam nostro æuo contigisse cæleste munus fateamur, sentimus vt pecudes, neque melius vocem effundimus, quàm vt balantes. Ille vnus omnium mihi sapientissimus videtur esse, qui gentilitias diuitiarum sarcinas abiecit: ac beatissimum ob id existimo: quoniam à sapientiæ studio nunquam cessat. Qui quanquam in omni disciplinarum genere admodum est versatus, multa tamen (vt arbitror) antistitibus philosophiæ inuenienda superfuisse, aut adhuc perficienda cognoscit, ex quibus animum suum dijs ipsis propinquiorem fieri posse non desperet, continuò vestigatur. Qui verò eloquentiam, quæ in eo singularis est, maiorem desiderat, hic mihi suauitatem in melle desiderare videtur. Orationis enim vis, ac ornamenta rebus ipsis, quas felicissimè tractat, nusquam minora sunt, adeò vt ratio, atque oratio cum ipso ex eodem vtero natæ credantur. Sapienter igitur Politianus (vt assolet) ac piè importunas abigit muscas, non à Pico, sed à venerando quodam diuini hominis simulacro, ne cui publicè serta, ac tura debeantur. Vale. Mediolani Nonis Iunij M. CCCCXCIIII.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Antiquario suo S. D.

EPISTOLAM, quã tu dederas ad Ricciũ, protinus vt accepi legendã, Pico misi: quoniã pertimere magis adipsum, quam ad me visa est, vt in qua laudor ego absente, nihil ob aliud, nisi quia Picũ laudo: quod qui non facit, aut omnimo brutus, aut inuidus est. Scripsit igitur homo omnium gratissimus, & ipse ad te hãc epistolam statim quã tibi nunc mitto, doctam (sicuti videbis) acutã, cordatã, plenãq; humanitatis. In qua facilè perspicies, quãti non modo officiũ tuum, sed & volũtatem fecerit. Interim

terim consules tuis pariter, nostrisque rationibus, si laudanti putabis ei credendum, qui mentiri ferè sit nescius, etiam in amicorum laudibus. Ego certe me verè laudatum soleo credere, quoties à Pico laudor. Multoq; nunc verius, quia tecum laudor: nisi (quod opinor potius) in te laudando veras omneis laudes exhausit, ac iam falsis vtitur, contentus veris in te, quibus abundat. Vale

IOANNES PICVS MIRANDVLA
Iacobo Antiquario suo S. D.

INTER voluptates, quas cùm eram Florentiæ, de Politiani consuetudine maximas capiebam, viri mea sententia nostro æuo omnium literatißimi, non erat illa mediocris quo tuas ad ipsum epistolas graues illas semper, & eleganteis, vt quamque accepisset, statim mihi dabat legendas. Delectabat in illis me vehementer, & prudentia quædam singularis, quam magnis etiam in rebus, negotijsq; tractandis à prudentißimis commendaris, & orationis cultus, atque sobrietas. Tum quòd in nonnullis honorificam nostri mentionem faciebas, non solùm mihi tuæ litteræ placebãt, sed in illis quoque ipse mihi placebam, scilicet testimonio tanti viri cedente conscientiæ: quæ nonnihil dißimulãs quod sentiret, quasi ipsa se proderet, non magnopere pugnans, & propemodum volens fallebatur. Ita duplici nomine tibi eram deuinctus, inde tuæ virtutis, hinc collati sæpius in nos non officij modò, sed beneficij. Cogitaui non semel agere tibi gratias per epistolas, ne fortè parum gratus, aut ne tecum rusticus existimarer. Verùm cùm tu, Politianusq; noster pulcerrimũ quoddam inter vos litterarum cõmercium exerceretis, nolui Musis importuna Pica obstrepere, quasiq; malè vocalis anser alternè sibi cõcinẽtes olores inter turbare, alioqui tibi animũ nostrum per Politianum ipsum pa-

patère sciebam. Tum conscius infantiæ meæ interprete libens vtebar eloquentißimo. Nunc ab ipso missæ ad nos tuæ litteræ sunt, quas ad Bernardum Riccium nuper dedisti, iuuenem ingeniosum: in quibus tãtum tribuis mihi, quantum nec optare ausim, nedum mereri me credam. Rupit officij magnitudo nostrum hactenus, nescio an ciuile, certè non superbum silentium. Nec potui tibi non agere gratias immortales, non quòd premas me laudibus immodicis, quas non agnosco, sed quòd ita me ames, vt tuum illud alioqui constans, robustúmque iudicium, tantopere tamen in nobis sub amoris pondere vacillauerit. Debeo igitur tibi suprà quàm vel ego posßim persoluere, vel tu facilè credere. Nec est quidquam tam arduum, tam difficile, quod non æquè pro tua dignitate sim facturus, ac pro mea salute. Tu quidem in Politiano me posßidebas hactenus, nunc verò nihil mutatare, tuis tantum rationibus Pici nomen, quod suberat, explicabis. Vale. Ex agro Ferrariensi, quarto Kalendas Iulias, M. CCCCXCIIII.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Ioanni Pico Mirandulæ
suo S. D.

POLITIANVM meritò laudare potes, me non potes: amari abs te cupio, laudari verò puto ineptißimum: sed neque antiquius mihi quidquã esse potest, q̃ cum Antiquariũ in tuis nominibus habes. Debeo enim tibi plurimum cùm mea causa, tum magis sæculi, quod à te tantopere illustratum cernimus, adeò vt non dubitem gentilẽ, atq; cognominẽ auem tuam à posteris consecratũ iri miraculo tenus. Sed si Aegyptijs figmẽtis in tegendarerũ fide non delectaris, certè illud palam est, quòd philosophantiũ omnium maximũ, viuentium optimũ, scribentium

tium præclarißimum nemo eſt, qui te non arbitretur. Id ſi inficiaris, caue ne maxima Deorum munera penes te depoſita diſſimules, & malè habeas. Iſta enim animi ingratitudine, quam in te nullam eſſe nobis olim perſuaſimus, efficeres, vt quidquid ex omni ætate de viris vnquam clariſſimis fuit prædicatum, ſentiremus deſideratum fuiſſe potius, quàm compertum. Nam ſi quidquam vel ſtudio non quæſitum, vel non tributum à natura, aut à fortuna tibi minus præſtitum fuiſſe cenſes, alium poſt natos homines ſi adeptum oſtendes, nõ Picum tenemus, ſed Phœnicem. Nihil damus auribus tuis, adulationes Græculas odimus ſemper, vera, & ſolida eſt gloria tua. Quod animus de te ſentit, lingua depromit. Neque aliter laudauerim, quàm probem Nam qui te laudibus proſequendi finem facit, is admirandi rurſus quærit initium. Nec putes, quoniam me nuper tuis litteris exornaſti, teſtimonium à me tibi mutuò reddi. Me ipſum nemo melius nouit, quàm ego. Ex otio nullam, ex negotio autem vel minimam opinionem vſurpaui. Principium benignitas effecit, ne omnino in turba deliteſcerem, quibus præterquàm fidem, & diligentiam, quid rependere poßim, non video. Itaque ſiquid in hoc vitæ meæ inſtituto contigit aliquando, quod tibi placeret, totum illis acceptum refero, qui non ſolùm multitudinem ſuorum magnis liberalitatibus extulerunt, verumetiam ſæpe in regna reſtituerunt hoſtes, quos vicerant. Vale. Mediolani, Nonis Auguſti. M. CCCCXCIIII.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano S. D.

DEBEBAM tibi antea quantũ ſat erat, nec addere poterã aliquid amori erga te meo: ſed tu viſus es, quod nõ putarã, tuis de meipſo rationibus permultum adjecre,

re, conciliata nuper omnium, qui viuunt, clarissimi Pici beneuolentia. Sciebam eum mirum in modum comem esse: sed tam citò fieri posse familiarem, non credebam. Fecerunt planum id nuper eius litteræ: quas (vt nosti) ita elegantes exspuit, vt homo ad gratiam natus, atque expositus, & obuius. quidquid à Philosophis præclarum in omni æuo memoriæ fuerit mandatum, tum ad vitæ institutum, tũ ad animi sui ornamenta libenter vsurpans, vtrique Philosophiæ in admirationem adductæ, priscam illam Barbariæ expultricem eloquentiam restituisse censeatur: neque aliud magis videatur egisse, quàm Oratorem, & Philosophum iuxta bonum, atque humanum esse. Inde quoque neminẽ ostenderet insolescere, nisi agrestibus moribus conspersum. Rescriberem porrò necne ad eum, aliquantulum dubitaui, quoniam tam suaue de me concinuisset. Verebar enim ne de illius opinione in aliorum censuram incurrerem, & quem doctum idoneúmque ad scribendum ipse iudicasset, isti longè aliter esse deprehenderent. Sed quanquã nihil tutius sit quàm silentium, hæsitationem tamen euicit meam de memoria nunquàm exituri Pici mansuetudo, ad quem quod videbis respondeo: verùm fides tua mihi spẽ fecit. Nam proculdubio tuæ opis egemus, tum aduersus sciolos, quorum fetura his temporibus multa contingit: tum præcipue cũ eodem Pico, quẽ orabis, ne litterarum cõdimenta ex me requirat, sed mea singulari aduersum se obseruantia cõtentus, Antiquarium inter suos habeat, neque antiquari vnquam patiatur, susceptæ semel amicitiæ legem. Vale, & me ama. Mediol. Non. Aug. M.CCCCXCIIII.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano suo S. D.

COM-

COMPLICAVERAM iam Politiane, litteras ad Picũ, eas superscripturus, ac illius nomen adiecturus: qui ex omni fortunæ, ac etiam virtutum consummatißimi hominis aceruo potißimum deligerem, non occurrebat. Nam si quid speciatim illi tribuissem, videbar non habuisse rationem reliquæ multitudinis. Itaque explorata diligẽter rutina, nihil magis placuit, quam felicem appellare illum, in quẽ Dij suorum munerũ sinũ prorsus effuderunt. Quod omnino haud feciſſem, nisi à te rectè factũ censeri credcrem. Vale. Non. Aug. M. CCCCXIIII.

MARSILIVS FICINVS
Angelo Politiano suo. S. D.

Pallas. CONTRA multos Astrologos, qui more Gigantum eripere cælum Ioui tam frustra, quàm impiè molliuntur, meritò & Picus alumnus Palladis, & tu miles Herculeus sæpe, felicitérque certatis. Nempe Palladem Orpheus Gigantum expultricem canit, et ab Hercule Poëtæ multi Gigantem Antæum à terra simul, & è vita sublatum ferunt. Ego autem quid? Profectò tanquàm in omni vita vobis vnanimis, in hoc quoque studio conspiro vobiscum. Et si fortè non decerto strenue, tamen ita planè decerno. Ceteri quidẽ Platonici cælestes imagines, quas describunt Astronomi, pro oportunitate commemorant, neque reprobant eas, neque rursus comprobare student: Plotinus autem talia extra controuersiam ridet. Ego quoque in commentarijs meis in eum tam quam interpres æquè derideo, partim quidem eius auctoritate confisus, partim etiam quoniam nullam habeo certam eiusmodi imaginum rationem. Multas prætereà ibidem Astrologorum regulas in controuersiam similitudine deduco. Sed in libro de vita, vbi profiteor Medicinã, ac remedia vitæ vtcunq;, & qualiacunq; possum, vndiq;

Imagines cælestes.

Astrologi à Plotino irridẽtur.

dicq; diligenter exquiro: neq; despicio prorsus imagines illas, neque omnes respuo regulas. Etsi enim arbitror certam his rationem nullam inesse, tamen vt studiosissimus humanæ medicinæ curator remedia non solùm sapientibus certa, sed etiam multis probabilia sector, vt subsidia passim accumulem quomodolibet profutura, nequid deniq; prætermiserim intentatum, quod ad vitam vtcunq; conducturũ cuiquã videri possit. Nonnulla tamẽ interseram firmiora, multa quoq; passim congero, quæ etsi forte minus spero, tamen opto prodesse. Quod autem in principio libri tertij dicere videor, imagines ab antiquioribꝰ Platonicis in cælo dispositas esse, non id equidem volo. Non enim consilium ibi meũ est Platonicos affirmare cælestium imaginum assertores, de quibus aut nihil, aut parũ quid loquuntur: sed Platonicorũ quorundã fuisse sententiã, mundi animam cælestia sibi corpora peperisse, stellasq; cũ cælo, atq; vltra stellas singulas, si modò ibi vllæ sint imagines, eiusmodi quoq; imagines genuisse. Narro autem illic dispositiones signorum imaginumq;, nõ quales apud Platonicos, sed quales apud Astrologos obseruauerim. Iam verò quantũ imaginibus vel cælestibus credam, vel arte factis confidam, progressio libri declarat. Præterea in libro de Sole non tam Astronomica doceo, quàm per hæc morales allegorias affecto, anagogiasq; ad diuina perquiro. Denique tam in libris de vita, quàm de Sole lumine cum philosophicis poëtica miscens, liberius sum interdũ, & forte licentius euagatus. Cum Plotino parcius, & seuerius ago: vt mihi tandẽ non ingratũ sit futurũ, astrologica portẽta fuisse à Pico nostro Mirandula singulariter confutata. Quæ enim ego nusquam affirmo, imo & cum Plotino derideo, explodi à Mirandula gaudeo. Superstitiosam præterea vanitatem ab illo,

Imagines à Platonicis in cælo positas, quomodo intelligendum.

illo, tanquã à Phœbo Pythonicum virus extingui tecum Politiane congratulor. Tu enim semper hac in causa, vt vbique soles, te Herculem præstitisti. Soles profectò iã diu hæc Astrologorum prodigia, vt alia monstra, passim acriter insequi, vt non terris solùm, sed etiam in cælo monstra fortissimus Hercules expugnaueris. Vtinam denique sicut Herculi, sic et tibi superata tellus sidera donet. Interim in terris viue diu. Vale feliciter. XII. Kalẽd. Septemb. M. CCCC XCIIII.

ANGELVS POLITIANVS
Marsilio Ficino suo S. D.

QVANTA me voluptate, quantóque putas affici gaudio Marsili Ficine, cùm te, Picúmque meum sic esse concordes video, non modò vt idem velitis in vita, sed & idem sentiatis in studijs? quanta rursus, vbi me vobis non minus esse carum perspicio, quàm vos estis vterque vtrique? Quid quòd omnes in hoc incumbimus, vt recta studia pro virili inuenemus? ac non vllo præmio, sed operis amore solicitati, semper hoc agimus tamen, ita dispensatis inter nos officijs vt nulla fermè studiorum parte cessetur. Etenim Picus ipse Mirandula sacras omnes litteras enarrat, aduersus ecclesiæ septem hostes directa fronte decertat, inter Aristotelem iam meum, Platonémque semper tuum caduceator incedit. Tu Platonem, quanquam & alios veteres, sed Platonem tamen ipsum maximè, Platonicósque omnes, & Latinè loqui doces, & vberrimis commentarijs locupletas. Mihi verò (quandiu cathecumenos in Philosophia vestra sum) varietas ista certè litterarum cessit, quæ non minus habent iucunditatis, etiam si minus auctoritatis. Nam quod ad Astrologos attinet, de quibus epistolam mihi pulcerrimam scripsisti, lætor summopere quòd à Pico nostro tu quoque vel

nunc

nunc primùm stes, vel olim iam steteris. Nec enim referre arbitror, vtrum tibi aliud aliàs visum sit, an ex aliorũ potius opinione aliquãdo scripseris. Nã nec mutare sententiam turpe Philosopho, qui cottidie plus videt, & ad opinionem vulgi sæpe se non inutiliter accommodat, quod & Aristoteles in Exotericis libris, & in dialogis Plato fecit, qui quidem dogmatici non habentur. Quin ipsæ quoque Iustiniani principis leges, in quibus aliquid repugnare cõtra leges est, aliud in institutionibus, aliud in Pandectis decernunt, hoc est (vt mihi videtur) aliter rudibus, aliter eruditis præcipiunt. Ago verò tibi gratias ingenteis, quòd me dignatus honore tanto fueris, vt mihi potißimùm tuam sententiam participaueris. Illud verò nescio satisne probem, quòd Herculem vocare me pergis. Tu quidem opinor iocaris. Sed tamẽ anſam timeo ne præbeas cauillandi, ridendiq; maleuolis, & inuidis, quibus nemo vnquam vir bonus, ac doctus caruit. Quod enim tu, si non amore deceptus (quanquàm id potius) at leui certè similitudine, qua parua sæpe magnis comparamus, adductus, mihi tribuis, hoc isti maligni interpretes adulationi, credo potius aßignabunt, ac me quoque ridebunt, ceu si de eo mihi cognomine multũ placeã. Mihi tamen omnino longè pluris est argumentũ hoc amoris erga me tui, quàm quid omnes isti vel sentiant, vel loquantur. Contemno enim falsa, & leuia, vel conscientia mea fretus, vel auctoritate tua munitus. Sed hæc tamẽ coràm cõmodius. Tu, velim, quãdo Caregianũ tuum Sextilimẽse nimis æstuat, ruſculũ hoc noſtrum Fæſulanũ ne fastidias. Multum enim hîc aquarum habemus, vt in conualle minimum Solis, vento certè nunquam destituimur. Tum villula ipsa deuia cùm penè media silua delitescat, tota tamen æstimare Florentiam potest. Et cùm sit in proxi- Fæſulan⁹.

mo

ximo celebritas maxima, semper apud me tamen solitudo est mera qualem profectò secessus amat. Vti poteris autem duplici spe. Nam sæpius è querceto suo me Picus inuisit improuisus obrepens, extractumq; de latebra secum ducit ad cœnulam, qualem nosti frugi quidē, sed & scitam, plenámque semper iucundi sermonis, & ioci. Tu tamen ad me potius, nō enim peius hīc cenabis, bibes fortasse vel melius. Nam de vini quidem palma, cum Pico quoque ipso valde contenderim. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER DECIMVS.

ANGELVS POLITIANVS Ioanni Dei gratia inuictissimo Regi Portugaliæ, & Algarbiorum citra, & vltra mare in Africa, dominoq; Guineæ

S. D.

QVANQVAM nec fortuna mea, nec eruditio, nec vlla omnino virtus eiusmodi est, vt licitū mihi putem scribere adire Rex inuicte, tanta me tamē dignitatis, splendoris, gloriæq; tuæ, tantaq; laudū tuarū iā per omniū ora volitantiū perculit admiratio, vt spōte sua calamus ipse meas exhibere tibi litteras, testari animū, significare voluntatē, gratias agere deniq; totius ætatis nostræ nomine gestiat. Quæ nūc virtutū tuarū penè cælestiū beneficio iā cū vetustis sæculis, iāq; cū omni fortiter audet antiquitate cōtēdere. Nā profectò si breuitas hæc epistolaris, aut si ratio tē

poris

poris pateretur ipsa me faceret audacẽ veritas, vt ostẽdere tentarem nullius vnquam veterum nec laureas, nec auratos currus, cum tuis posse rebus, factisq; prorsus, immortalibus comparari. Vt enim quæ penè puer aduersus impias Africæ contumacis gentes prælia gesseris, vt fusos diuersorum hostium validissimos exercitus, vt capta oppida vi, prædas abactas, impositas nationibus asperrimis leges, vt item domesticas artes, & decora pacis minimè bellicis concessura præterirẽ: quanta se mihi tandem rerum vix credibilium facies aperiret, si lacessitos, confractósque remigio tuo rudes intactósque prius Oceani tumẽtis fluctus commemorarem, despectas Herculis metas, redditum sibi ipsum, qui fuerat interuulsus, orbem terrarum, Barbariámque illã, ne rumoribus quidem nobis antea satis cognitam, fatuam, immanem, incultam, sine more, sine lege, sine religione, ferino propè ritu degentem, nunc humanitati, nunc vitæ, nunc docilitati, & cultui, nunc etiam pietati restitutam! Porrò mihi tum narrandi locus idoneus hîc esset quantæ nostris hominibus illinc inuectæ commoditates, quàm larga compendia, quàm multa importata viuendi subsidia, quanta etiam veteribus historijs accessio facta, quanta rebus antiquis olim sanè vix credibilibus adiecta fides, quantáque rursus eisdem sit admiratio detracta. Tum mihi etiam Plato ille magnus, & Aegyptiorum compares sæculo annales, omni mendacij suspicione forent absoluẽdi, qui de istius ãte perdomiti Oceani magnis quibusdam exercitibus, non magno tamen assensu meminerunt. Ergo & Macedonem iure ingemuisse Alexandrũ faterer, qui mũdos adhuc alios suis restare victorijs suspirabat. Etenim quid tu aliud, obsecro, rex nobis, quàm terras alias, mare aliud, alios mundos, aliáq; postremò

sidera non magis inuenisti quàm ab æternis tenebris, & à veteri penè dixerim chao, rursus in hanc publicam lucem protulisti? Sed quorsum hæc ego nunc tam multa? Nempe vt rogem non sæculi modò istius, sed omnis etiã posteritatis, omnium gentium verbis, ne perire rerũ tantarũ, néue intercidere consecrandam scilicet æternitati memoriam patiaris, quin ferrea doctorum hominum, atq; adamãtina potius signari iubeas voce, quæ nec æui quidem tacitè se voluentis edaci dente consumitur. Et cur autem qui virtuti faueas, non & comiti virtuti gloriæ faueas? Aut cur vnus generosi maximè spiritus, animiq; rex, non hanc instabilem vitæ humanæ breuitatem, quæ sic exigua spe, tenuiq; pendet, quæq; tam angustis limitibus concluditur, immortali gloriæ semper florentis curriculo promoueas? Cur non memoria rerum maximarum, vel ad successores tuos propagetur, vt præclara ista facinora caritura semper exemplis, ad institutionẽ quoque ipsorum, regulamq; proficiant? Cur non aliquã rogo formulam natis, nepotibúsque deinceps tuis relinquas, ne quis ab hac vnquam perenni, contestatáque maiorum virtute degeneret, cuius ad instar illorum potissimum regalis effingatur indoles? Cur non postremò ceteri quoque sub omni, quà latissimè patet, ambitu cælina scituri principes habeant ex te, si non quod imitentur, at certè quod admirentur? Nihil autem interest, vtrum pulcerrimos quispiam filios gignat, nec cibis tamen enutriat, an ingentia edat facinora, nec litteris tamen illustret. Absit hoc, absit excellentissime rex, vt tuæ istæ immortalitate dignissimæ laudes, in vasto illo nostræ fragilitatis aceruo delitescant. In quo videlicet omnium labores obruti iacent, quicunque doctissimorum virorum suffragijs caruerunt. Memineris Alexandri, memineris

neris Cæsaris, quæ duo nobis præcipuè nomina fasto-
sa vetustas obiectat. Quorum videlicet alterius nobi- Alexãdri vox.
lis illa ad Achilis tumulum fertur exclamatio, fortu-
natum vocantis adolescentem, qui suarum laudum præ-
conem Homerum inuenisset. Alter etiam in procinctu, Iul. Cæsa-
ac penè in acie quoque ipsa, rerum suarum commenta- ris com-
rios ita diligenter conficiebat, vt nihil à quoquam tam mentarij.
putetur accuratè perscriptum, quod non illorum pu-
rissima elegantia superetur. Hi tibi sunt igitur insequen
di saltem rex optime, quos longo interuallo in ceteris
antecellis. Atque id quidem tum denique verè à me, nec
adulandi studio dictum intelleges, cum tute rex in te-
metipsum diuinæ mentis aciem reflexeris: cùm tanti ho-
noris, tantæ maiestatis, tanti denique istius imperij pul-
cerrimos titulos intentis (quod dicitur) oculis perspe-
xeris, quantumque teneas in rebus humanis fastigium,
toto penitus obtutu consideraueris. Et enim Lusitaniæ Lusitania.
te regem cernes, hoc est (vt semel dixerim) Romanæ mul
titudinis, cuius olim tam multis (sicut accepimus) colo-
nijs ista potissimum regio frequentabatur, Cernes Afri- Africa.
cæ te vindicem, quæ tertia pars orbis, magna sui parte
iam per te catenis exuta Barbaricis, etiam in dies magis,
magisque plenæ libertatis exspectatione triumphat.
Cernes eundem te vasti illius, & indignantis Oceani
domitorem, cuius ad primos quoque impetus etiam do-
mitor orbis Hercules expauit. Occurres tute tibi sanctæ
Christianæ fidei, veræq; religionis propugnator, ac ma-
ximus aduersus Maumeticam perfidiam, pacis, armorũq;
arbiter, rabiem illam teterrimam sola maiestate pro-
sternens, solo nomine, solo virtutis miraculo grauis-
sima bella conficiens. Idemq; mundi alterius sequester,
& ianitor, tot illos sinus, tot promontoria, tot littora,

tot insulas, tot portus, tot oppida, tot maritimas vrbes, vno veluti pugillo concludens, & numerosissimas nationes penè sub manu tenens, ad quas antea tamen ne ipsius quidem famæ quamlibet præpetes alæ peruolârũt. Quid illa? Quanta sunt, obsecro, quòd te visere ignotissimi reges, tua gestiunt adorare vestigia, quòd tuis aduoluere se genibus, perq; tuam istam tam fide, quam armis potentẽ dextram rigari se certatim salutari fonte festinant? Quid quòd exciti virtutis amore, priscis inauditæ sæculis, extremi quoque hominum conuolant ad te populatim, totúsque iam meridies suis penè funditus sedibus reuulsus, ad eundem te venerabundus accurrit, vt vultum propius istum parem cælicolis, vtq; regiæ frõtis decus, diuinámque pænitus maiestatẽ contempletur? Conferat ijs nunc aliquis captam Babylona, quanquàm lateritio muro superbam, profligatos Oriẽtis etiam suapte natura fugacissimos barbaros. Conferat Scythas campestres, & vagos: ne satis quidem fortiter irritatos, dum ne occisum quoque inter pocula carissimum quenque laudi tribuat, dum ne peregrinos cultus, & indecoras adulationes turpiter ascitas. Cõferat & Gallias etiam toto decennio vix subactas: aut minora his alia rursum, dum ne ciuilem quoque, & cognatum toto orbe fusum crudeliter sanguinem præconio dignetur. Tu igitur præcipuè dignus (rumpatur inuidia licet) tu præcipuè dignus vnice rex honoribus sempiternis. Tibi aduigilare nostras lucubrationes, id est, omnium quicunque Musarum veneramur sacra, præteris conuenit. Quapropter (si qua mihi est apud te, quamuis ignoto homini, tui tamen studiosissimo, fides) delegetur, obsecro, magne rex idoneis hominibus officium mandandi litteris (interim quidem) quocunque stylo,

lo, quacunque lingua, materiam, segetémque rerum à te tuisq; gestarum: sed in qua deinceps operosius excolẽda tam ceteri, quibus idem est ardor animi, quàm nos ipsi quoque neruos qualescunque nostris intendamus. Et quidem rogaui ego nuper hos tuæ ditionis adolescẽtes, ingenio, moribusque præstantes, Ioannis Teixiræ Cancellarij tui maximi libros, vt mihi istic ipsorum opera rerum à vobis gestarum (si qui modò extent commentarij) describerentur. Qui quanquàm se diligentißimè curaturos, pro eo quod præceptori debent, officium pollicerentur, deesse tamen ipsemet mihi nolui, sed has vltro ad te litteras indulgentißimum, clementißimumq; regem, iam meum quoque dare decreui: malens utique audacis animi subire scribendo crimen, quàm tacendo pusilli. Iam quod ad personam meam deinde attinet, homo equidẽ sum non mediocris fortunæ, sed litterarũ tamen professione me quoque non omnino postremæ credunt esse aliqui celebritatis. Innutritus autẽ penè à puero sum (si quid hoc ad rem facit) castißimis illis penetralibus magni viri, & in hac sua florentißima Repub. principis Laurentij Medicis: qui cùm sit ipse quoque in primis tui cupidißimus, etiam me verbis aliquando suis in istius amorem virtutis ita inflammauit, vt dies, noctésque de tuis cogitare præconijs non desistam: nec omnino quidquã nunc exoptem magis, quàm vt ea mihi vis, ea facultas, ea denique detur occasio, qua nomen tuum cælesti prædicatione dignißimum, qua pietatis, integritatis, innocentiæ, religionis, continentiæ, prudentiæ, iudicij, qua iustitiæ, fortitudinis, prouidentiæ, liberalitatis, animíque magnitudinis, qua postremò tot operum, tot illustrium facinorum tuorum testimonia sic etiam per me fidelibus seu Græcæ, seu Latinæ lin-

quæ consecrentur monumentis, vt nulla humanarum rerum vicissitudine, nullo vnquam fortunæ variantis incursu, nullo etiam squalentis ævi senio deleantur. Vale.

IOANNES DEI GRATIA REX Portugaliæ, & Algarbiorum citra & vltra mare in Africa, dominusque Guineæ, Angelo Politiano viro peritissimo, & amico suo S. P. D.

Ex suauissimis tuis litteris doctissime vir, iã diu perlectis, & maximè ex dilecti Ioannis Teixiræ Cancellarij nostri maioris frequenti relatione vberrimè intelleximus, te gloriæ nostræ (si qua in humanis est) fore percupidum, & nomen nostrum cum rebus gestis, tuo litterario beneficio ab obliuionis rubigine reddere exemptum. Quæ etsi satis magnum summæ in nos benevolentiæ, ac obseruantiæ argumentum testantur, tamen eamus ab animi tui probitate, ingenijq; acumine, atque doctrinæ copia, quæ longè maiora suspirãt, credimus emanasse. Pro quibus magnas tibi habemus gratias, quas dũ tempus & res exegerint, cumulatiores referemus, speramúsque tuæ erga nos affectionis te non pœnitere. Et vt tibi breuibus ad propositum respõdeamus, scias nos tui officij, & pij laboris, quem in nostræ mortalitatis redemtionem tam crebrò polliceris, esse admodum gratos, ídque amplectimur, vehementerque laudamus. In cuius executionem curabimus diligenter, vt annales nostri, quos vulgari, & patrio sermone pro regni instituto posteris tradendos iubemus, hi Hetrusca lingua, vel Latina saltem familiari demum conficiantur, ad te scilicet quam primum deferendi, vt eos iuxta veritatis tenorem, nostram in memoriam ita tuis salibus, & grauitate, doctrináque respergas, limáque expolias, vt saltem

rem tua coniuuante facundia, lectione dignos efficias. Nam multum interest (vt melius nosti) quo dicendi modo vnumquódque, licet egregium sit, referatur. Quia quemadmodum vsu videmus optimos natura cibos prudenter reijci, cùm sordidius parati sint: sic etiam historiam, quæ ornatu suo, ac nitore vacat, contemnendam, reijciendámque existimamus. Sed his erroribus minimè metuendum est, quando tibi viro laudatißimo, omniúmque disciplinarum genere prædito erit curæ rebus nostris consulere. Habes igitur quæ nobis sit sententia menti. Reliquum est Angele noster, vt præfati Cancellarij filios, regiæ nostræ generosos, omnium tibi habeas commendatißimos. Quod etsi tua sponte, atque humanitate eras facturus: tamen vt nostro intuitu aliquid cumuli accedat, te nimium rogamus. Hi enim sunt, quibus te in omni genere gratitudinis debes credere obnoxium: nam vicißim pater, & filij, alter meritis, & laudibus, & alij approbatißimis doctrinæ tuæ testimonijs non cessant, apud nos te sæpius extollere, nomenque tuum in hos mundi fines propagare, quod tuæ gloriæ, & existimationi haud parum conducit. Sed adolescentibus ipsis plurimùm congratulamur, in id ætatis, & temporis incidisse, quo à tuo litterarum fonte aliquid doctrinæ poßint feliciter haurire: cum qua Deo præcipuè, & nobis deinde seruientes, vtranque cælestis & terrestris regni felicitatem promereantur, eámque sibi vindicent. Vale. Ex Vlixbona, XXIII. die Octobris M.CCCCXCI.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI Teixiræ Max. regio Cancellario S. D.

CONATVS persæpe sum scribere aliquid ad te vir clarißime, quo tibi meus animus, studiumq; , & voluntas

tas innoteſcerent. Verùm neſcio qui ſemper ingenuũ dixerim, an ruſticus obſtitit pudor, vt qui nec me tibi ſatis notum ſciebam, & virtutis, fortunæq; tuæ quondam quaſi fulgore deterrebar. Sed impetrauit à me tandem qualeſcunque has litteras vel mei officij ratio, vel tuæ humanitatis opinio. Quod igitur epiſtolæ huius vel mihi accommodatius, vel tibi acceptius fore argumentum ſperem, quàm ſi de tuis liberis, iiſdémque meis diſcipulis ex vero quid ſentiam perſcripſero? Miſiſti tu quidem illos in Italiam vir excellens, vt moribus, vt litteris, vt omnibus denique ingenuis artibus ad ſummæ fortunæ cultum formarentur. Sed eos domo ſecum credo paternos attulêre mores, vt exempla non magis accipiant ipſi quàm præbeant ceteris. Nihil in illis ineptum, nihil improbum, nihil immodeſtum, nihil durum. Non inuerecunda frons, non elatum ſupercilium, non licentes oculi, non proteruior lingua, non inconſtans vultus, non aliquid poſtremò vel in facie tota, vel in geſtu, vel in ſtatu, vel inceſſu, quod offendat, quod moleſtum, quod putidum, quod odioſum ſit. Aedes cottidie ſacras frequentant, magiſtris operam dant, non aſſiduam modò, ſed & alacrem. Doctiores condiſcipulos humanitate ſibi, & obſequio deuinciunt: quos moribus obſore, vel famæ credant, eorum conſuetudine pænitus abſtinent. Nullum inter ipſos, niſi de ſtudijs, ac de ijs perpetuum certamẽ. Nullibi ſæpius, aut libentius, quàm aut in oculis præceptorum, aut in cœtu condiſcipulorum verſantur. Horas quoque tempeſtiuas bonæ valetudini dedicant, eámque ob id proſperrimam tuentur. Ingenijs autem ſic excellunt, vt facilè ſe (ne multa dixerim) tuos eſſe liberos declarent. Percipiunt facilè, quæ traduntur, pronunciant eleganter, retinent fideliter, imitantur feliciter.

ter. Iam de studio quid dixerim? Nihil equidem ego ardentius, nihil vidi perseuerantius. Tantos ergo iam lingua vtraque fecêre profectus, vt ipse quoque non imperitissimus ingeniorum magister obstupescam. Quem verò eis domi custodem, moderatorémque dedisti sic eos prudẽter, amanter, diligenter curat, excolit, gubernat, instituit, vt omnino desiderari nihil possit. Non fallo equidem te, sed nec ipse rursus fallor. Ita esse rem, vel admirans inuidia fateretur. Quocirca multum equidem fortunæ isti tuæ, non minus animo tamen, propositóque gratulor. Nec enim leuis hinc ad te quoque redundat honos, filios tot, ac tales imbecilla adhuc ætatula, tam procul abesse à tuis oculis, à laribus, à patria, támque diu, non quidem fœnori multiplicando, nec mercibus commutandis, vt nostri solent, sed vt optimis institutis, vt optimis artibus, ac disciplinis imbuti viaticum sibi ad senectutem parent: in quod ipsa quoque fortuna nullum ius habeat. Quæ res tibi iam non modò supra spem, sed, opinor, etiam supra nota succedet. Mihi autem crede vir magne, non tibi illi apud nos minus acquirunt gloriæ, quàm sibi litteraturæ. Iam equidem vel tua, vel ipsorum causſa sic eos amo, sic me redamari sentio, vt in tuum penè mihi locum videar amore, & diligentia succeßisse. Qua fiducia videlicet ausim rogare te clarißime vir, vt epistolæ meæ, quæ iudicium regis tui tanquam Appollinis subitura iam nunc tota tremit, atque horrescit, tantum fauoris impertias auctoritate, qua polles, vt indulgentiam potius, quàm censuram tantæ illius maiestatis experiatur. Vale. Florẽtiæ, XVI. Kalend. Septẽb. M. CCCCLXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS
Marquardo Breisacio S. D.

CVM superioribus diebus Petrus Medices Florentinæ decus Reipublicæ, quem nos à tenero educatum linguæ vtriusque litteris eruditimus, Romam te profisciscentẽ salutauissẽt ac me sibi comitẽ fortè in diuersorium adduxissẽt, memoria tenes ortam ibi esse mentionem commentariorum quorundã, quos in ius ciuile Romanorum multis dicebar vigilijs elucubrare. Quo quidem loco, cùm tu ex nobis humanissimè quæsisses, quæ ratio susceptioperis foret, atque ego eam breuiter (vt in illis temporis angustijs) exposuissem: rursus te cupere adhuc significasti, vt illud ipsum, quod tibi tum perstrinxeram, posteaquam Romam te suspicarer peruenisse, scripto repeterem. Sed ego ne tibi confestim tanti regis obeunda legatione multum forsitan occupato molestus essem, dies compluſculos etiam de industria expectaui. Nunc autem quoniam nonnihil iam remissum tui laboris existimo, propterea quòd in istiusmodi munere prima quasi coitio solet esse acerrima: visum mihi tempus est, quod tibi erã pollicitus dependendi. Principio igitur scire te illud opinor, Imperatorem Iustinianũ posteaquàm ius ciuile perpurgauit, in ordinemq; redegit, cauisse illud in primis, vt in omnibus ciuitatibus, quæ dignitate aliqua præcellerent, exẽplaria legũ quàm emendatissima publicè asseruarẽtur, quascunq; ipse vel nouas condidisset, vel etiã antiquas enucleasset. Sed nullã ex his clarius tamen, aut celebratius, q̃ quod adusque eius vrbis captiuitatem Pisis magna religione sit custoditũ. Nam & maximus iuris interpres Accursius, & alij plerique viri doctissimi quoties de sinceritate lectionis ambigitur, litterã Pisanam (sic enim ipsi vocant) quasi fidelissimum quoddã testimoniũ citant, mendúmque esse omnino putant, quidquid vsquam aliter, quàm in quo diximus

Cõmentaria Politiani in ius ciuile.

Iustiniani edictum.

mus volumine, reperiatur. Captis autem deinde Pisis, liber idem Florentiam, cum præda reliqua videlicet in vrbem victricem translatus est. Ibi verò in ipsa curia loco celeberrimo monachorum quorundam, summique magistratus diligentia, & religione seruatur. Tum quoties profertur (quod ipsum non sine graui caussa fieri solet) accensis funalibus (ita enim mos traditus) monachi illi, quos dixi, summúsque magistratus capite aperto venerabundi circunsistunt. Nullæ in eo libro interpunctiones, nulla scribendi compendia grandes vbique litteræ, & compares. Græcum in fronte epigramma, Græcæ præfationes, auctorum, librorúmque index, quorum hæ leges à fontibus emanarunt, prorsus vbique argumẽta plurima, quæ breuitati seruiens omitto, quibus esse eum librum Iustiniani ætate descriptum non dubitemus: in primisq; voluminis ipsius veneranda facies, & quæ sanctam illã vetustatem procul ostentet. Hoc ergo mihi inspicere per otium licuit, rimariq; omnia, & olfacere: quæq; vellem excerpere diligenter, & cum vulgatis exẽplaribus comparare. Tribuit enim hoc mihi vni Laurentius ille Medices, vir optimus, ac sapientißimus, fore illud aliquando arbitratus, vt opera, labore, industriaq; nostra magna inde omnino vtilitas eliceretur. Deprehendi igitur multa nouis in codicibus vitia, multa in interpretibus: quoniam videlicet inerudito nati sæculo, cùm Latinitatis ipsius imperiti fuerunt, tum Græcam linguam pænitus ignorauerunt: multæ verò sunt ibi leges Græcis editæ verbis, quas aut omiserunt iuniores, aut in Latinum sermonem peßimè conuerterunt. Quapropter operæpretium me facturum credidi, si commentarios aliquos euigilarem, quibus in integrum corrupta diu lectio restitueretur, & linguæ Latinæ vis

Ang. Politiani commentarij in ius ciuile.

vis, quæ tota penè in legibus est, explicaretur. Quod vt ex sententia perficiam, multùm quoque me adiuuat, quòd eos quoque sum libros nactus, quos è Latina in Græcam linguam Iustinianus idem transferēdos curauit. Vnum duntaxat est, quod quidem me non tam impedit, quàm remoratur: quòd publicis lectionibus dum linguā vtranque, dum philosophiam profiteor, multum mihi operæ subtrahitur, multūq; temporis eripitur. Etenim quæ res præcipuum laborem desiderabat, in eam videlicet studia tantùm subsecundaria conferimus. Sed erunt hæ nostræ vigiliæ tamen auctoritate quoque Maximiliani vestri Romanorum inuictißimi regis muniendæ. Qui cùm designatus iam (sicuti speramus) imperator sit, cuius esse legibus armata maiestas debet, fauebit, opinor, illius studio, qui tantopere sit in armis ipsius aut expoliendis, aut reconcinnandis occupatus. Vale. Florentiæ, III. Nonas Februarij. M. CCCCXCIII.

LAVRENTIVS MEDICES
Angelo Politiano S. D.

Ex litteris, quas ad Michelotium dedisti, factus sum certior filiolos nostros aduersa valetudine vexari. Id vt humanū parentem decet, grauiter, molesteq; tuli. Quam profectò molestiam tu præuidēs, ita multis verbis, ac rationibus animū nostrum confirmare conatus es vt in maximā de nostra constātia dubitationē incidisse videare. Quod tametsi ab amore in nos tuo proficisci certo sum, multò tamen maiori molestia nos affecit, quàm significatio vlla aduersæ valetudinis liberorū. Quamuis enim parentis substantia liberi esse dicantur, multò tamē magis propria est animi ægritudo, quàm filiorum. Quibus enim integer, ac sospes est animus, ceterarū facilè rerū incolumitatē consequūtur: quibus verò infirmus, nullus vnquam

vnquam portus est à fortunæ fluctibus tutus, nullum est tam placatum æquor, tam quieta militia, quin perturbatione vexentur. Existimásne me adeò natura imbecillum, vt tam parua remouear? Si verò eiusmodi nostra natura est, vt facilè huc atque illuc perturbationibus agatur: at multarum rerum experientia confirmatus animus sibi constare iam didicit. Ego filiorum non valetudinem tantùm sed fatum quandocunque expertus sum. Pater immatura morte præreptus, cùm annum agerem primum & vigesimum, ita me fortunæ ictibus exposuit, vt quandoque me vitæ pæniteret meæ. Quapropter existimare debes, quam nobis virtutem natura negauit, experientiam attulisse. Verùm cùm tu in epistola ad Michelotium imbecillitati animi nostri diffidere non parum videaris, atque in tuis ad nos litteris summopere virtutem, atque ingenij nostri dotes extollas, hæcq; simul pugnare videantur: aut alterum falsum est, aut non ea es animi magnitudine, quam in me desiderare videris, cùm ea in tuis ad nos litteris silentio prætereas, quæ scripta ad Michelotium sunt, tanquam non tua à me, accipienda sint: vtpote qui existimas multò magis nuntiũ, quàm liberorum valetudinem, mihi molestiam allaturũ. Sed nolo esse in paruis longior, vt nõ idem incurrã vitium, quod in te vitupero, neque in ijsdem litteris & parua spernere, & prolixioribus verbis prosequi videar. Si quid est in epistola quod te mordeat, id totũ cõdones amori nostro, atque exercitationi, cui, vt puto, abundantius materiam suppeditat, si in quenquam incubimur, quàm si laudamus: multoque latior campus est in vnoquoque vituperationis, quàm laudis. Gaudeo mirum in modum Iulianum nostrum se totum litteris tradidisse, illi gratulor, tibíque gratias ago, quòd cum ad

hæc

hæc prosequenda studia excitaueris. Tu verò fac vt hominem ad litteras inflãmasti, ita sedulò cures, stimulosq; adijcias vt perseueret. Ego propediẽ vos reuisam, comitemq; vobis in hoc felici Musarum itinere me adiungã. Bene vale. Pisis, Pridie Kalẽd. Aprilis. M.CCCCLXXVII.

ANGELVS POLITIANVS
Laurentio Medici suo S. D.

NON quòd tuæ constantiæ, sapientiæq; diffiderem, propterea litteras dedi ad Michelotium potius, quàm ad te de liberûm tuorum valetudine: sed quoniam sum veritus, ne fortè inconsultior viderer, si grauior tibi à me nuntius alieno tẽpore obijceretur. Tabellarius enim sæpe litteras non aptè, non loco reddit: scriba verò temporum captat omneis articulos. Reueritus igitur iure sum Laurentium Medicem, cui malè si palpêre, recalcitrat vndique tutus. Nec verò ista repugnant, quòd hîc te reuereor, ibi laudo. Non enim ob aliud reuereor, quàm quòd omni laude puto dignissimum. Molles verò illæ tuæ morsiunculæ, tantum abest vt me lædant, vt ipsas quoque nescio quo pacto penè mihi magis blanditias commendent. Iulianus tuus verè frater, hoc est, vt docti putant, ferè alter, ipse sibi in studijs est non modò iã mirificus hortator, sed & præceptor. Nihilq; nobis ad summam voluptatem deest, nisi quòd abes. Vale.

Frater.

ANGELVS POLITIANVS
Laurentio Medici patrono suo S. D.

BAPTISTA Leo Florentinus è clarissima Albertorũ familia, vir ingenij elegantis, acerrimi iudicij, exquisitissimæq; doctrinæ, cùm complura alia egregia monumenta posteris reliquisset, tũ libros elucubrauit de architectura

chitectura decem, quos propemodum emendatos, perpolitósque editurus iamiam in lucem, ac tuo dedicaturus nomini, fato est functus. Huius frater Bernardus homo prudens, tuiq; inter primos studiosus, vt vna opera tanti viri memoriæ, voluntatiq; consuleret, & tuis insemeritis gratiam referret, descriptos eos ex archetypis, atque in volumen redactos, tibi repræsentat Laurenti Medices. Et cupiebat ille quidem vt ipsum apud te munus, auctorémque muneris Baptistam ornarem verbis. Quod ego mihi nulla ratione statui faciendum, ne tã absoluti operis támque excellentis viri laudes culpa detererem ingenij. Nanque operi quidem ipsi maius multò ex lectione præconium accedet, quàm quantum ego illis verbis consequi posim. Auctoris autem laudes non solùm epistolæ angustias, sed nostræ omnino paupertatem orationis reformidant. Nullæ quippe hunc hominem latuerunt quamlibet remotæ litteræ, quamlibet reconditæ disciplinæ. Dubitare posis vtrum ad oratoriam magis, an ad poëticen factus: vtrum grauior illi sermo fuerit, an vrbanior. Ita perscrutatus antiquitatis vestigia est, vt omnem veterum architectandi rationem, & deprehenderit, & in exemplum reuocauerit: sic vt non solùm machinas, & pegmata, automatáque permulta, sed formas quoque ædificiorũ admirabileis excogitauerit: optimus præterea & pictor, & statuarius est habitus, cùm tamen interim ita examussim teneret omnia, vt vix pauci singula: quare ego de illo, vt de Carthagine Sallustius, tacere satius puto, quàm pauca dicere. Huic autem libro, Laurenti, cùm vel præcipuum locum in tua bibliotheca velim attribuas, tum eum & ipse legas diligenter, & legendum vulgò, publicandumq; cures: nam & ipse dignus est, qui volitet docta per ora virũm, & in te iam

Baptistæ Alberti laus.

vno

vno propemodum recumbit desertum ab alijs patrocinium litterarum. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Ramberto Malatestæ Principi s. d.

NON possum facile consequi verbis, quantum mihi epistola tua pariter & admirationis attulerit, & voluptatis. Admiratus enim te sum loco, fortunáque ista iuuenem cùm popularibus regendis, tum verò militaribus studijs occupatum, sic iam profeciſſe in litteris, vt conferendus propemodum cum profeſſoribus ipſis, & hoc vnum ſemper agentibus videare. Voluptati autem fuit amor erga me quidem tuus non vulgaris, cuius in epiſtola eadem non ſignificationem modò aliquam mihi, ſed expreſſam propè imaginem oſtendiſti. Quare habeo gratiam meis libellis, quamuis & paucis adhuc, & rudibus, quòd animum mihi tuum tam facilè conciliauerint. Qui tamen vtinam digni forent laudibus, quas in eos nimis homo humanus contuliſti, magis illud cogitans, quomodo indulgeres amori tuo, quàm quomodo pudori meo parceres. Quod verò ad cauſſam tuam attinet, non concedo tibi prorſus vt eam rem vehementius optes, quàm ego. Quapropter enitar, faciam, experiar, denique nullum remittam ſtudium, quo tuæ iſti voluntati, atque honeſtiſſimo deſiderio ſatisfaciam. Ceterum illud moleſtum eſt quòd certi adhuc, quod quidem ad te ſcribam, nihil habeo. Non enim conueniēdi Petri Medicis copia mihi fuit hos dies, quoniā ſcilicet adhuc animi cauſſa ruſticatur. Cùm primùm ſe in vrbē receperit, præſto erimus, operamq; dabimus, vt illius erga te voluntas aut elicˢatur, aut ſi opus etiā fuerit, impellatur. Rumor certè vanus apud vos de belli apparatu, deq; militū delectibus increbuit. Nā cōtra, res ad pacē magis

magis (quod beneuertat) & concordiam spectat. Libraria prouincia Marcellus ipse suscepit, nos ei operā polliciti omnē sumus. Picus Mirandula noster, ex tuis litteris vel ad me, vel ad Marsilium mirificè te diligit, cuius etiā nomine salutē tibi ascribo. Vale. Florentiæ, Nono Kalend. Augusti. M. CCCCLXXXXIII.

ANG. POLIT. LAVRENTIO
Medici, Petri Francisci F. S. D.

Mantō Politianū

COGIS tu quidem me Laurenti carmen edere inconditum, inemendatum, & quod in publico semel pronuntiatum nimis fuisse impudens visum sit. Satis profectò fuerat vixisse vnum diem, quod tam foret imperfectum animal, ac posse etiam inter insecta illa quæ vocentur Ephemera, connumerari. Nanq; ego id ad præsentem duntaxat celebritatem, quasi Adonidos hortum concinnaueram. Prorogare tu nostræ Mantus (ita enim inscribimus) non tam vitam cupis, quàm dedecus: ferreus sim, si tibi quid denegem, tam nobili adolescenti, tam probo, tam mei amanti, tanto denique eam rem studio efflagitanti. Quare habe tibi quidquid hoc libelli, ac tu quoq; desiderio nostro aliquando subueni, & quæ tibi musæ amatoria carmina vernacule suggerūt, ne patere quæso à nobis expectari diutius. Vale. Florentiæ, IIII. Nonas Nouembris M. CCCCLXXXII.

Ἐφήμερα.

Adonidis hortū

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Saluiato suo S. D.

EN Rusticū tibi, id scilicet ab argumento inditū nomen. Tuo coactu prodit in vulgum, tibi est vni quidquid acciderit imputaturus. Iámne sentis quàm tibi tuendus sit, vel tuo ipsius nomine, vel meo? Tua enim fides in eo, meus honos agitur: cuius quidem etsi semper cura

apud te iam inde à pueritia excubuit, tamen eum tueri nunc vel ob idipsum impẽsius debes, quòd es nuper Laurentio Medici principi viro, cuius ego cliens, alumnusq; sum, vnus ex omni Florentina iuuentute gener ascitus. Profer igitur in tali patrocinio auctoritatem omnem, atque gratiam, quam videlicet tibi & viri excellentis affinitas, & tua egregia indoles, morumq; suauitas conciliant. Vale, & me, vt facis, ama.

Iac. Saluiatus gener Laurentij Medicis.

ANGELVS POLITIANVS
Laurentio Tornabono suo S. D.

DEBETVR hæc silua tibi vel argumento, vel titulo. Nam & Homeri studiosus es, quasiq; noster consectaneus, & propinquus Laurentij Medicis summi, præclarissimiq; viri, qui scilicet Ambram ipsam Caianam, prædium (vt ita dixerim) omniferum, quasi pro laxamento sibi delegit ciuilium laborum. Tibi ergo poëmation hoc qualecunque est, nuncupamus, vt sit amoris nostri monimentum, sit incitamentum tibi ad studia litterarum, præsertim Græcarum, in quibus tamen ita tantum processisti vt videare ad summũ breui, si modò perrexeris, euasurus. Vale. Florentiæ, Pridie Non. Nouemb. M. CCCC LXXXV.

Ambra Politiani.

ANGELVS POLITIANVS
Petro Medici suo S. D.

FACERE non possum, quin tibi agã gratias mi Petre quòd auctoritate, operaq; tua curaueris, vt in collegiũ nostrũ Matthæus Francus, homo (vt scis) mihi amicissimus, cooptaretur. Est autem non modò isto (licet inuidi quidã rumpantur) sed quouis honore dignissimus. Prima illi cõmendatio contigit apud patrem tuũ sapientissimũ virũ, iocorum, & vrbanitatis cùm faceta illa scriberet carmina patrio sermone, quæ nũc Italia tota celebrãtur.

Matth. Francus.

Quam

Quin idem parens tuus penè infantem adhuc te quædã ex his facetiora ridiculi gratia docebat, quæ tu deinde inter adductos amicos balbutiebas, & eleganti quodam gestu, qui quidem illã deceret ætatulam, commendabas. Nec tamen insuauior Francus in sermonibus, vsuq; domestico, siue tu dicteria, siue fabulamenta, siue id genus oblectamenta alia requiras, in queis non eius ingenium magis eminet, quàm prudentia. Nihil enim vnquam scurriliter, nihil immodestè, nihil non suo loco, nihil extrarem, nihil incautè, nihil sine delectu. Quare siue rusticaretur animi caussa, siue balneis operam daret Laurentius parens tuus (quod te meminisse non dubito) Francũ sibi adducebat comitem, cuius lepõre quasi recrearetur. Adhibuit eum deinde consiliarium Magdalenæ sorori tuæ Romam proficiscenti ad virum, videlicet vt rudis adhuc puella, quæ nunquam de materno sinu se promserat, paternum aliquem circa se haberet amicum, ad quẽ de re dubia referret. Hîc se Francus (vt homo est eximia patientia, sed & dexteritate) sic se nescio quo pacto diuersis, ignotisq; moribus accommodauit, vt & vniuersorum beneuolentiã collegerit, & sorori ipsi tuæ facilè vnus omnia paternæ domus solatia repræsentet. Gratus esse Innocẽtio quoque pontifici mirè dicitur, gratus aliquot è purpuratis patribus: tui certè illum ciues, qui Romæ negotiantur, in oculis gestant. Quid quòd breui caussarumq; foriq; Romani sic peritus euasit, vt iã non inter postremos habeatur? Est autẽ omnino ingenio versatilè Francus noster, & quod rebus ac personis omnibus cõgruat. Ceterum dispẽsatione domestica nemini cesserit, quippe gnarus omnium quæ postulat vsus, non tam prascribere familiæ potest, ac solet, quid quisq; agat, quàm quomodo, & quatenus agat. Addam vnum adhuc illius

insigne, nemo diligentius amicos parat, nemo fidelius retinet. Meus certè in ipsum contráque ipsius in me sic amor innotuit, vt quod gratissimum est, & nos inter rara admodum paria numeremur. Itaque bis me esse canonicum puto abs te factum, quando illum quoque nunc, id est, alterum me, nostro cœtui aggregasti. Non enim minus in eo mihi, quàm in meipso videor honestatus. Vale.

Politian⁹ canonicus.

ANGELVS POLITIANVS
Franciotto Vrsino suo S. D.

EXIGEBAS à me superioribus diebus, vt ponderũ nomina, & mensurarum breuissimè tibi colligerem, sed quorum potissimum sit apud Vegetium Renatum mentio libro, quem nunc in manum sumseris, quo me dicimam veterinariam pertractat. Geram tibi morem, sed & libenter mi Franciotte. Nam cùm tu Petri Medicis alumni, patronique mei sis amitinus, ijsdem cum ipso laribus educatus, excellentis & indolis, & virtutis, & ingenij inuenis, idémque singularis erga me semper humanitatis, nihil est vtique, quod magis ex animo faciã, quàm quod esse tibi quàm gratissimum sentiam. Prius igitur de ponderibus accipe, mox verò & de mensuris. Minimum pondus est qui Latinè Scripulus, & idem Græcè dictus Obolus pendere is putatur Siliquas omnino sex, quæ Ceratia Græcè nominantur: hoc est, quantum lentis octo semina: Tres verò Scripuli Drachmam faciunt, quod est argenti pondus. Duplex Drachma Sicilicũ facit. Drachmæ additus Scripulus Sextulam creat. Sextulas Vncia senas habet. Sextulæ duæ Duella vocantur. Octo Drachmæ reddunt Vnciam, quæ Scripulos omnino continet quatuor ac viginti. Sed & Vncijs duodecim Romana Libra constat: nanque Attica minor est, vt quæ Drachmis conficiatur septem & septuaginta, cùm Romana

Põderum nomina.

sex

sex & nonaginta. Sic Drachmæ centum minam constituunt, maiorem Drachmis quatuor Romana libra. Talentum verò Atticum maius est, ac minus: quod minus his, Minas habet sexaginta, quæ sex millia Drachmarũ sunt: quod maius, tres & octoginta Minas, sed & vncias insuper quatuor: nec maius vllum pondus Attico Talento. Dixi de ponderibus, dicam verò & de mensuris, illis, inquam, non quibus agros, sed quibus aut fruges, aut liquores demetimur. Incipiendum verò ab Amphora consecrata Romanis in capitolio, ne cui violaretur. Capit hæc omnino quantum teßera quoquouersus in area pedum quatuor. Pes autem sedecim constat digitis. Duplex Amphora Modus est, aut si mauis Græcè Medimnus: eadémque triplex efficit Sextariũ: Sextarij dimidium Cotula vocatur, & Hemina: quatuor verò Sextarij Chœnica complent, itasex Congium, qui Latinè Chus dicitur, inde forsitan Sextarij nomen, quòd eum sexies Congius capit. Scribit tamen Pollux Cotulam Chœnicis eße tertiam partem, Chœnicas octo & quadraginta Medimno contineri. Sed & Hemina sex impletur Cyathis, Cyathi verò pondus ferè Drachmæ decem, sicut Oxybaphi quindecim. Cyathi pars quarta Mystros, huius tertia Cyame, quæ duo Cochlearia capit. Sunt & Artabæ, quæ ternæ denos capiunt Modios. Et omniũ maximus Culleus, quem viginti amphoræ complent. Addam notas etiã quasdã, quæ legentem perturbent. Sextarij nota hæc est ℈ Scripuli ℈ Vnciæ . ℥. Semis ℈ Libræ ℔. Absolui iam quod mihi pensum dedisti. Siquid est quod in eo genere adhuc desideres, etiã atq; etiã potes audacter vti opera nostra. Restat vt te laudẽ Franciotte, quòd studiũ tantum adhibeas cõparandis equis bellatoribus, & alẽdis, sic vt libros etiã diligenter,

Talẽtum Atticum, maius, & minus.

De mensuris.

quibus ipsorum cura continetur, & exquiras, & euoluas, ac peritos, id est, veterinarios consulas, quorum scilicet ope vocabula quædam desita, ne doctissimis quidē viris intellecta consequaris. Decet hoc te bellicis laudibus inbiantē, vestigijsq; maiorum, gentiliumque tuorum fortiter insistentem: qui semper in armis incredibili gloria floruerunt, & nunc cùm maximè florent: sic vt familia Vrsina nihil esse aliud videri possit, quàm militum fortissimorum, ducúmque magnanimorum quoddā quasi seminarium. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER VNDECIMVS.

ANGELVS POLITIANVS Ludouico Sforciæ Vicecomiti principi clarissimo S. D.

ETSI minora fortasse videri possunt, optime princeps, de quibus ego nunc ad te scribam, quàm vt animaduersione, curaq; tua digna sint: tamen quæ tua esse humanitas dicitur, æquo animo laturum confido, si dū probari tibi quàm maximè studeo, deuocare paulisper ad hæc inferiora, velut ab excelsiore quodam fastigio te coner. Nam cùm tu princeps habearis ingenij perspicacissimi, prudentiæq; singularis, idémque bonas arteis, & hæc ingenua studia, quæ profitemur, præ ceteris foueas: omni ope cō tendere debemus, vt tu quàm honestissimè de nobis & loquaris, & sentias. Est enim bonorum principum cum viris

viris eruditis tacita quædam, naturalisque societas, vt alteri ab alteris illustrentur: ac dum sibi mutuò suffragantur, & gloria principibus, & doctis auctoritas cõcilietur. Sed vt ad id veniam aliquando, quamobrẽ scribere hanc epistolam instituí, Georgium habes Merulam prouidentißime princeps, hominem doctißimum, qui nõ solum docẽdo politiores cottidie tuos ciues reddit, verùm scribendo quoque res tuas gestas, maiorúmque tuorum non posteritati modò, sed etiam (vt credimus) æternitati commendat. Hunc ego virum cùm antea semper dilexi, & colui, tum posteaquàm sub tuum quasi vexillum se contulit, quibuscunque officijs potui, sum prosecutus. Nam & quoties incidit mentio, laudaui, sic vt neminem magis & obtrectatoribus eius, quibus profectò non caret, audacißimè restiti: & eiusdem postremò nomen, quàm honorificentißimè potui, scriptis meis intexui: sperauíque fore ne minor esse inter nos animorum, quàm studiorum coniunctio diceretur, quæ me tamen spes valde fefellit. Nam triẽnio iam & litteris suorum familiarium, & multorum sermonibus, & fama denique ipsa cottidie certior fio, non modò eum de nobis asperè, & acerbè quacunque occasione, sed etiam contumelioßimè solere loqui. Postremò librũ quoque aduersus Miscellanea nostra composuisse dicitur, plenum fortasse (quod ipse ait) erratis nostris, certè plenũ cõuicijs. Quo equidem libro tantum abest vt offendar, vt etiam gratias agam, modò aliquando edatur. Sed hoc moleßtum, quòd cùm diu vulgo recitet, adhuc tamẽ domi retinet, multa iactans, multa minitans. Itaque visum mihi est dare ad hominem litteras honoris mei causſa, nõ quidem vt in his iniurias illas expostulem, sed vt eum tamen rogem verbis amicißimis, vt mihi etiam aliquando Georgius Merula.

potestatem faciat audiendæ accusationis: ne scilicet indicta caussa condemner, ac si non excusandi, quæ scripsi, certè castigandi copia quandoque fiat. Hoc est denique quod ab ipso non solùm multis precibus, sed loco etiam maximi cuiusdã beneficij peto. Verùm nequis fortasse ad te mearum litterarum sententiam secus deferret, ex quo tuus animus offenderetur, mitto exemplum ipsius epistolæ, qua videlicet æquitatem postulationis meæ cognoscas: quod etiam vt impetrem, rogo me adiuues, nutu, auctoritatéque tua. Nam si mihi respondendi facultas dabitur, neminem equidem alium, nisi teipsum iudicem nuncupabo. Tum vt alia multa posthac, ita nunc responsum meum tuo clarissimo nomini dedicabo. Quã quam enim adhuc non contigit, vt te vllis officijs demererer, curabo tamen sapientissimè princeps, vt intelligant aliquando homines, fuisse etiam Politianum gloriæ, splendorisque tui studiosissimum. Vale. Florentiæ, pridie Calend. Februarias. M. CCCCLXXXIII.

ANGELVS POLITIANVS
Georgio Merulæ s. d.

Ex litteris, & sermone multorum cognoui iam diu te parum amicè de nobis & sentire, & loqui: scripsisse etiam contra Miscellanea nostra librum criminosissimũ, quem soleas quoq; libenter, vt in quenq; incideris, recitare: deniq; meipsum abs te (quod vix equidẽ credo) tertio quôq; verbo contumeliosissimè appellari. Quæ quoniam res magis rumoribus increbuit, quàm vt dissimulari iam posit, visum mihi est dare ad te has litteras, quib⁹ voluntatẽ, sensumq; omnem tibi meũ declararem. Ego te ad hanc diẽ, mi Merula, semper & dilexi, & colui, cotti dianisq; sermonibus, atq; hoc ipso Miscellaneorũ opere, quod

quod reprehendis, collaudaui. Nullaq; denique est à nobis in te vnquam (cuius quidem mihi sim conscius) orta iniuria. Quapropter non video quæ causſa sit, cur tu suspicionẽ dare maleuolis alienati à nobis animi concupieris: aut cur non potius ipse ad me liberè scripseris, copiamq; feceris amicißimo tibi homini, vel agnoscendi errores suos, vel refellendi. Non enim mihi fieri iniuriam puto, siquis aliter atque ego sentiat, aut scribat: quoniam sententiarum diuersitate, præsertim in litteris, amicitiam distrahi non est necesse: quin potius debere me illis magnopere intelligo, qui me ab inueteratis erroribus aliquando reuocent. Quare tu quoque siquid in me tale vel peperisti iam, vel adhuc parturis, vnde ego bonam frugem sim laturus, adeò non offendar, vt etiam perpetuò me tibi debiturũ profitear. Rogoq; te per amicitiam nostram, per communia studia, perque tuas vigilias obtestor, vt istud quidquid est, edas aliquando in lucem, neue mihi occasionem vel emendandi mei eripias, si verò: vel defendendi, si falsò accuser. Illud me fateor valde mirari, scripsisse ad me familiares quosdam tuos, quibus adhuc ego tui honoris causſa, ne respondi quidem, solere te in omnes inuehi nostræ ætatis professores, ac sustulisse animos de libellis quibuſdã modò repertis, vnde etiã lactis gallinacei (quod dicitur) haustum sumsisse te iactes. Quos ego tamẽ sermones ab obtrectatoribus tuis confictos, quàm abs te vsurpatos libentius crediderim. non enim decent canos istos. Nam quid habes in hoc seculo Merula, quod cõtemnas? Aut cur tantum libris ijs censeri te postulas, quos auspicio Lodouici Sfortiæ, sapientißimi principis inueneris? Cuius tu beneficiũ si supprimes, quod patère quàm latissimè debet, magnã profectò in te calumniã cõcitabis. Ce-

terum de eo tu videris. Multò enim tu melius perspicere quàm nos, quod tuum officium sit, & potes, & debes. Ego illud à te breuiter peto, notas vt istas scriptorum meorum (quas aiunt) aliquando publices, locumq; mihi des vel purgandi meipsum, vel corrigendi: quod si feceris, polliceor me quoq; par pari relaturũ. Vale

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano suo S. D.

BERNARDVS Riccius inter disciplinas, & alũnationes tuas sanè iuuenis non pœnitendus, potestatem mihi fecit legendi exempla earum litterarum, quas cùm ad Merulam, tum ad sapientissimum Principẽ Ludouicum eadem de re nuper conscripsisti, & quid à me consilij postulares, ostendit. Conueni cum eo in sententiam, vt litteræ ipsæ ordine suo redderẽtur, ne illis fortè suppressis, aut dissimulatis, si res ad aures peruenisset, de Miscellaneis tuis in aliquo metu fuisse videreris, cũ defensio longè validior, quàm accusatio sit parata. Quid iste senex vir, alioqui (quod nosti) lectionis multæ, atq; eloquentiæ non indiligentis, ex litterarijs tumultibus velit, planè iam cerno. Satis gloriæ sibi cõparauit: quoniam quæ commentatus est, & quæ scripsit, magna posteritatis spe, & viuentiũ gratia sunt recepta: nũc alienæ siquo fato imminet famæ, tã malè audiet, quàm malè dixerit alteri, laudis oblitus, aut prodigus suæ. Inter professores primas sibi partes vẽdicat: id ambienti cõcedatur, & merenti, sed ea lege, vt ab illo secundus esse non debeas, nisi ætatis concessu. Spero tamen (ne à toto absim) hominem tibi non multum nocere posse, cui vndique dentibus sit os vacuum. Interea verò pietatis erga illũ meæ fuerit, & amoris quoque in te maximi, diligenter curare, ne te mordicus lacessat. Sed quod æquissimè

simè petis, siquid in tuis libris à veritate, aut à maiestate Latina, cuius assertor studiosissimus semper fuisti, remotum reprehendit, & alienum, ostendat boni consulētis more: quia sis paratus herbam dare, neque puditurus errata corrigere: qui plurimum prodesse ingenijs concupisti. Vale. Mediolani, XV. Februarij, M.CCCC LXXXIIII.

LVDOVICVS MARIA SFORTIA
Angelo Politiano S. D.

ID ab naturæ, & maiorum instituto erga doctos nobis insitum est, quod fieri tu optas, vt eos diligamus, & vbi accidit, etiam libenter ornemus. Hoc autem tecum eò studiosius agimus, quòd ad doctrinā hoc plus habes: quia in Medicum gente nobis amicissima & vixisti hactenus, & illi carus haberis. Itaque minimè grauatim cum Georgio Merula id egimus, quod petijsti: non modò vt tu clarius intelligas, quæ per obscuros hominum sermones de illius in te accusatione istuc ferri dicis: verumetiam quia minimè probamus, vt viri eruditi aut mutuò odia exerceant, aut quod inuicem fraternè agi deberet, amicè monendo, id durius agendo ad mordacitatem transferant. Rescribit tibi ille, quod scribæ oratoris apud nos agentis dedimus. Itaque putamus eum tibi satisfacturum, & ostensurum, quamuis molestè tulerit. quæ sua putat ab alijs tanquam sua vsurpari: non obliuisci tamen quod veteri amico, & homini litterato à se debeatur. Vale. Vigleuani, die II. Martij. M.CCCC LXXXXIIII.

GEORGIVS MERVLA
Angelo Politiano S. D.

Conquereris Angele per litteras, quòd maledictis siue profitear, siue in circulis aduersus litteratos sermo habeatur

beatur, te insecter: criminosissimum præterea libellum confecerim, quem etsi nondum edidi, tamen vt in quemque incido recitem: atque non parum miraris, cur hæc in te moliar, qui me colueris, laudaueris, & nulla iniuria affeceris. Ego mi Angele priusquam te noßem, fama nominis tui adductus, quibus potui officijs sum prosecutus: libros Græcos, in quibus eruditio ampla, & recondita continetur, Florentiam ad te misi, nihil sanè veritus, quòd æmulus, & imitator studiorum fores. Quid? quòd de te semper honorificè sum locutus: tantúmque tibi deferebam, vt qui audirent plus amicitiæ, quàm veritati me tribuere existimarent. Meministi, credo, quid in frequenti auditorio Venetijs, cùm ad me acceßisses, palam dixerim te illum eße, quem prisca, & Romanæ doctrinæ instauratorem mihi pollicerer. Nihil vnquam contumelioßius sum locutus, nec eß qui audiuerit Merulam aduersum tua scripta (Miscellanea excipio) quidquam, quod te offendere debeat protuliße. Notauêre alij syllabas in metris vitioßè positas, alij solœcißmos tetigêre. Ego hæc, & talia in Politiano nec exegi, nec culpari debere duxi. Miscellanea vt primum mihi oblata sunt, titulo ipso permotu, carptim legi. Cùm in eum incidißem locũ, vbi cum honeßa præfatione mentionem de me facis, non potui non gaudere testimonio tuo. Quis enim à viro erudito laudari nõ expetat? Ceterùm familiares quidam, & discipuli animaduertiße se mihi retulêre non admodũ pauca, quæ iãpridem à me didiciß̃ent, & litteris prodidißem, ceu auctor eorũ eßes, in Miscellaneis à te vsurpari, atq; suppreßo nomine, alia velut peruersè interpretata damnari. Mouit ea res mihi ßtomachũ, extra iram, & obtrectationẽ. Deinde paulò curioßius dũ capita percurro, plus inueni,

quàm

quàm à familiaribus accepissem. Ita dū mea partim subrepta, partim subdolè designata cognosco, pauca tumultuariò in aduersarijs magis, quàm in codice adscripsi. Dices, cur non continuò mecum iniuriam expostulastis? Non æqua facere me existimabam, quasi tu errata nec cognoscere, nec corrigere scires: ita satis habui in summa magis quàm particulatim quid peccasses indicare. Potuisti, nisi tua nimis amasses, vbi te notare sensisti, diligentius Miscellanea explorare, tum retractare, siquid perperam scripsisses: & quod bona nomina facere solēt, si non erat vnde debitum redderes, saltem apud creditorem, quantum debeas profiteri. Quod autem indignaris, & ægrè fers quòd dictitem nostri temporis professores non admodū doctos mihi videri: abstineas quæso ab ira, & indignatione. Satis enim constat ex commentarijs nostris, qui circunferuntur, quid in re Latina præstare valeat Merula. Exibunt in publicum, & in aciem elucubratæ nostræ Centuriæ, quarum vim, & impetum quis sustinebit? Terga protinus dabunt, & diffugient. Ceterùm vt ad libros redeā, quos auspicio Lodouici principis excellētissimi à situ, & propinquo interitu vindicauimus, quid reum calumniæ me facis, quasi beneficium supprimere velim? Publicaui auctorum nomina, & operū titulos Gestiunt credo vmbræ, & scriptorum manes ad quos diligentiam, & fidem Merulæ iā peruenisse puto. An existimas ex ingenio, si non tuo, certè multorū me esse, qui si thesauros hos inuenissent, iterum eos defodissent? Canos mihi obijcis, importuni non sunt, superest animi vigor, corporis robur, celeres ingenij motus, manet præterea pertinax, & ampla illa tam rerum, quam litterarum memoria. Et hæc satis ad Politianum nostrum. Vale. Ex Mediolano, VI. Calend. Mar.

ANGELVS POLITIANVS
Georgio Merulæ suo S. D.

GRATAE mihi omnino litteræ tuæ fuerũt, gratiores futuræ tamen, si quod ego in primis optabam, petebãq; à te, secum quoque Miscellaneorum nostrorum notas attulissent. Nam ista quidẽ ratio scribendi tua, nec diluendi criminis mihi potestatem, nec agnoscendi fecit: sed quoniam in manu mea non fuit, quo tu tandem pacto rescriberes, breuiter ad hæc ipsa quoq; epistolæ tuæ capita respõdebo. Cõmemoras officia, q; adhuc ignoto præstiteris. Misisse enim Græcos ais libros ad me Florentiã, plenos eruditionis reconditæ, nihil veritum quòd æmulus, & imitator studiorum forem. Non soleo Merula nec facilè obliuisci, nec libenter dissimulare, siquod aliquando in me quisquam beneficium contulerit. Ceterùm tu quidem ad me libros misisti nullos, ac siqui Florentiam Venetijs allati sunt, eorum copiã Senatus Venetus Laurẽtio nostro Medici semper fecit. Sed nec ego æmulus, aut imitator studiorum tuorum: quanquam enim tu vir omnino in litteris magnus, non tamen planè tantus, vt te mihi vnquam ad imitandum proposuerim. Nam quòd te semper de nobis honorificè ais locutum: malo equidem tibi quàm tuis familiaribus credere. Solent enim minuti quidam, & pusilli, famam quoq; libenter magistrorum suorum detractare. Cuiusmodi hominum malignitates, ingratumq; animum nos quoq; interdum, magis etiam, q̃ volumus, experimur. Videlicet committere me tecũ studuerũt, falsisq; ob id suspicionibus impleuerunt. Sed vitiosas deprehendi syllabas inquis in nostris versibus. Rogo, quas? an eas forte dices, quas in fronte ipsa statim, sicut alia errata librariorũ collegimus? At hoc periniquũ est:

est: non enim præstare alienam culpam debeo, quã præsertim correxerim. Nescis quàm sæpe semidocti illi qui librorum excusoribus operam nauant, ita explicare se soleant, vt in quoque hæsitauerint, vt aut inducta pro receptis supponãt, aut ipsi ex tempore ad suum commodum falsa quæpiam comminiscantur? Præsertim si confusè, ac perturbatè scripta sint exemplaria, sicuti plerunq; solent, quæ prima procudimus. Nam & illud vsu quandoq; venit, vt ne ipsi quidem scripta nostra facilè relegamus. Quòd si calumniæ isti sit locus, quomodo quæso illa tua defendes? Non stratũ, non vlla valent velamina pati. Et item? Cui dat latratos obuia turba panes. Non enim saltem codices proferre antiquos potes, qui corruptæ lectioni adstipulẽtur, sicuti nos in Catulliano illo versiculo, quem quidẽ frustra inuadunt. Ista tamẽ lingua si vsus veniat tibi posßis. Fit autem interdum profectò, vt ne nostra quidem relegentes, mendum siquod ibi est librariorum, deprehendamus. Ecce enim quàm multa me præterierunt, quæ nemo bonus, & æquus obiecerit. Eulabiam scilicet artifices isti, pro ablabia, Sabadium pro sabazio, Theodoritum pro Theodoreto subdiderunt. Iidem capite duodeuigesimo, Pedianum pro Pompeio, pro Iuuenale Vmbritium. Capite rursum duodequinquagesimo, quintum ac vigesimum Plinij volumen, pro quinto & trigesimo. Sexto autem octogesimoque, Martialis septimum pro vndecimo citauerunt. Mustellariam quoque alibi quàm Mostellariam: & Cæcilianos annales, quàm Cælianos maluerunt. Solœcismos porrò adhuc nemo mihi ex doctioribus obiecit. Nam quæ vilißimi quidam nugatores in angulis garriebant, ea nos propalam citatis auctoribus confutauimus. Verùm hæc, & talia, inquis, in Politiano nec exigi, nec

Excusores librorum.

Loci Miscellaneorum Politiani, a typographis corrupti.

nec culpari debere duxi. Rectè tu quidem, quando hæc errata nostra non sunt. Nam si nostra ibi culpa vlla foret, magis aliquantò in nobis & exigenda fuissent, & repræhendenda, quàm in quibus nulla iactura fieret, quocunque modo tandem vel loquerentur, vel scriberent. Venio ad Miscellanea, in quibus offensum te scribis, quòd tua quædã subripuerim, quædam autẽ subdolè (sic enim inquis) designauerim. Ita nobis & plagiũ Merula obijcis, & dolum malum: graué vtrunque crimen, sed vtrũq; falsum nihil enim est apud me, quod tibi subreptum dicas, quoniam quæ scripsi, partim tibi ad tuos commentarios attinẽt, partim ab ijsdem magnopere dissentiunt. Tantum de Baptis nonnihil apud te, sed rudè tamen adhuc, & inchoatum, de quo mihi tacendum putaui, ne statim ibidem reprehendere in Cotytto nominatim te cogerer. Nam quòd Ouidianum tu quoque versiculum citasti de Naulijs in commentariolis quibusdam, quos adhuc equidem non videram, tam pusillum, minutum, tamq; nihil est, vt illius etiã fortasse te pudeat. Vbi autem subdolè tua notauerim, nondum profectò intelligo. Bis equidem toto opere te laudaui, prius à doctrina, posterius & à maioribus. Sed tu fortasse iniuriam tibi factam credis, quòd de rebus ijsdem nõ eadem tecũ prodiderim: quasi verò maior tui mihi, quàm mei ipsius habenda ratio fuerit. Satis opinor amicitiæ dedimus, quòd vt quæq; fuit occasio, te laudauimus, nunquã reprehendimus. Iam nostra illa errata, quæ de alijs indicasse prædicas, rogo nobis quoque ipsis aliquando indices. Efficiam, credo, efficiam Merula, protinus vt sententia decedas. Nec tamen siquid vsquam peccasse ostenderis, defendam: sed agnoscam protinus, agámque tibi meritò gratias. Nunc & ipse posterioribus scriptis non dubi-

dubitem quædã interdum ex prioribus, exemplo doctiſſimorum virorum retractare: ſicuti Pityliſma illud apud Iuuenalem, quoniam Pytiſma quoque pulcrè videor poſſe tueri, quo poëta illos innuat, qui conceptos ore aquarum hauſtus per laconicum ſpargant: verbum enim ipſum διαπυτίζειν etiam apud Alexandrinum Clementem, qui Stromateus dictus inuenitur: cuius ſimplex & grammaticus declarat quiſpiam, ſicuti nos antè meminimus, & vulgaris etiamnum Græcorum lingua vſurpat: à quo Terentianum quoque illud pytiſſare formatum credi- derim. Quòd ſi tibi idem ſenſus, atque animus eſt, vt indicari à nobis vicißim tua tibi vel optes, vel ſaltẽ nõ moleſtè feras, profiteor hoc me quoque lautè munus administraturũ. Nam & tu Centurias facis, ac ne titulis quidem noſtris abſtines, facilè patior. Sed quid eſt, quod ais fore, vt terga dent protinus, ac diffugiant? An ex Parthorum gente tuæ iſtæ Centuriæ ſunt, vt videlicet fugientes prælientur? Sed hoc iocatus, neque me fugit aliud planè ſenſiſſe te, quàm quod in tuis omnino verbis expreſſeris. Libros autem recens inuentos, ſi publicaueris, optimi viri officio fueris functus. Ita nos quidẽ Græcos e tenebris permultos eruimus, quorum cottidie noſtris quoq; non modò æmulis, ſed etiã obtrectatoribus copiam facimus. Illud miror, quòd obijci tibi canos pro vitio putas: vtinam enim mihi quoq; ſic aliquando obijciãtur. Non enim turpis canities homini docto præſertim ſicut tu es, verſantiq; ſemper, quod ipſe facis, in ſtudijs litterarum. Vale.

Pityliſma. Pytiſma. Pytiſſare. Canities.

GEORGIVS MERVLA
Ludouico Sforciæ Duci S. D.

POSTVLAT apud te princeps excellẽtiſſime Merulã titulo iniuriarum Angelus Politianus, atque acrius premit,

mit, quòd in illius scripta inuectus sim, neq; parcã quoties de litteris agatur: & proinde iniquum, & ingratũ me esse, cui cùm me coluerit, & aduersus obtrectatores defenderit, non aliquid gratiæ reponam, aut crimina impingam. Postremò petit vt ab obtrectatione desistam, et quod domi, & in capsis clausam contineo, cur id aliquãdo non publicem, vt caussam is dicere possit. Ego princeps clementissime, si quidquam de Politiano paulò licentius locutus sum, citra contumeliam id feciisse fateor: poëtas & oratores enarramus, & si quid in illis habetur, quod interpretationis indigeat, illud palàm aperimus, etiam cum offensa grammaticorum nostri temporis, quibus fortiter repugnamus. Hunc morem tenuere prisci, quoties difficiles quæstiones, aut occultum quiddã, & abstrusum enucleare, & expedire oportuit. Intercessisse inter nos amicitiam non diffiteor, sed prior Merula magnis beneficijs in Politianũ prouocauit. Græcos libros eruditionis variæ partim meos, alios mea opera, & diligentia Venetijs transcriptos Florentiam misi, quos optarem, vt paulò curiosius tractaret: gratiam se retulisse existimat, quòd de Merula in Miscellaneis cũ præfatione honesta mentionem fecit. Quorsum tendit agnosco. Pugnant facta cum dictis, nam quoties explicare quippiam, & obscuros sensus explanare tentat, Merulam perstringit. Hæc animaduertunt, & rident, qui Miscellanea legunt. Et, quod non bene litterati hominis est, interuertere, ne dicam circunducere ijs Merulam conatur, quæ aliquot abhinc annos exposuimus, & litteris prodidimus. Hermolai manibus & vmbris bona optamus: is ingenuè fatetur per quos profecerit, illa sortem facit ex vsura. Politianus plus æquo sibi arrogat, nec pati potest si contrà quàm sentiat, aut scripserit, quipe

quippiam proferatur, Mutuis assentationibus quidã sibi aures permulcent, &, vt audio, velut disciplinarũ proceres triumuiratum in litteris sibi vendicant, qui sine Sole, puluere, & lucta parari minimè potest. Pugnandum est perpetuò pro litteris: tantum abest ab iniuria huiusmodi concertatio, vt nihil honorificentius, aut quod magis conducat studiosis, fieri possit. Ceterùm quid tantopere deposcit, vt quæ iam triennium conscripsi, edam? an non videt datum sibi spatium, vt ea retractare, & corrigere possit, quæ mmus eruditè conscripserit? Illud, vt coniector, hominem ad viuum pungit, quòd libros, te auspice, & nostra diligentia inuentos, Florentiam non miserim: semel, atque iterum illos efflagitarunt, breui exibunt in publicum, tibique gratiam habebit posteritas, quòd tuo auspicio magis renatæ, quàm restitutæ litteræ Romanæ fuerunt. Vale princeps potentißime. Ex Mediol. IIII. Kalend. Mart. M. CCCCXCIIII.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano suo S. D.

GEORGIO Merulæ nũquàm videor familiarior fuisse, quàm cùm è vita modò discesßit, neq; senẽ vnquã tanti feci, quanti cùm illum amisimus. Ipse enim tũ docendo, tum quoque scribendo admodũ occupatus, nisi cùm animum contemtim tamen aliquando relaxaret, nihil de se nobis reliqui faciebat. Et ego principis negotio aßiduè implicitus ad eum non accedebam, nisi in via fortè fortuna conspicatus, gressum ad salutandum deflexissem, filij officium præ me ferens. Cœperat proximè ægrotare, de cuius ancipiti morbo cùm ad principem Ludouicum, qui tum prandebat, nuncius esset allatus, animum, & mẽsam non mediocriter conturbauit. Est enim princeps

ipse natura sua in omnes bonos facile procliuis. Sed Georgium in primis vehementer amabat, quia de se, & de maioribus suis ab eo singulari fide, ne dicam æternitatis spe, scribendi studium susceptum fuisse animaduertebat. Itaque de ministrantium, atque aliorum turba, quæ mensam circũstabat, sensim me subtrahẽs, ad ægrotantem conuolaui. Offendo non synanche, & angina, sed quodam nouo faucium casu oppressum, libero alioqui vocis meatu loquentem. Saluto, hortórque vt bene speret. Animo respondit valido se esse. Et quanquàm cerneret medicos animi pendentis, ipse tamen nihil metuere statuerat. Qui insecutus est, ac tertio etiam die ad ipsum redeo, alebatur fistula argentea in eiusmodi vsum fabrefacta: quoniam crassioris materiæ neque mansum, neque pinsum deglutire per se quidquam poterat. A vino prorsus, cuius alioqui per ætatis indulgentiam, ac etiam per morbum auidus erat, medici temperandum fore præceperant. Dies decem produxit, præter postremum biduum, in bonam spem. Vbi verò e vita discedendum esse cognouit, expiato animo, & religione Christiana rite recognita, in somnum abeuntis more, vt speramus, cælo receptus est. Concordiam tibi, complexum, & osculum testamento reliquit. Atque in his, quas scripserat, Latinarum litterarum nonnullis obseruationibus, & ceteris id genus ob Miscellanea tua, nomini tuo parci mandauit. Nam vt totam eam amaritudinem mihi condonaret, tempestiuè rogaueram. Mi Politiane, nullis equidem verbis consequi possem, quantum mors eius, qui principi gratus, qui vtilis instituendæ iuuentuti, rerum memoria, & iucunditate omnes oblectabat, doloris mihi attulerit. Verùm abs te illud contenderim, vt iacturam nostram tibi communem existimes, & quod

semper fecisti, fato functum illa tua pietate consequaris, per quam in tuo nomine illius nomen semper coniunctum appareat, & quæ fortè in diuersum alterius fuerat censura, vtriusque studium pari voluntate semper copulasse cernatur. Vale. Mediolani.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Antiquario suo S. D.

AIN' verò Merulam nostrum fato functum? O incertam spem fragilémque hominum vitam. O nimiam profectò studiorum iacturã, Sed quò me vertã Antiquarie? quódue cõsilium capiam? Tacebóne penitus, & ipse me prodam? an potius iniquissima conditione certabo cum mortuo? cui scilicet in inuidiæ locum misericordia successit? At, inquies, testamento cauit, ne nominatim taxareris: quasi verò quidquam interfit, nomine, an signis nosciter. Sed quidquid futurum, rogo, obtestor, cures ne diutius animi pendeam, notæq; illæ scriptorum meorum, quales quales omnino sunt, vt quàm ocyssime publicentur. Dederam in hoc ad eum iam litteras, quibus hominem leuiter pungens ad edenda quæ supprimeret, euocabam: sed retraxi statim, posteaquàm tu me certiorem de illius interitu fecisti. Fuit autem impetus etiam concerpere quæ scripseram. Nec abfuisset quin facerem, nisi tu eum decessisse, dimisso prius in nos aculeo, significasses. Libuit ergo mittere eas ad te litteras, quanquam scio intempestiuas, imò verò etiã inuidiosas, illo iã mortuo. Sed tamen perire vigiliolas meas pati non quiui. De cetero, quod mihi consilium dederis, id exequar. Nam cùm viuente illo, retaxatio quoque foret honesta, nunc mihi nescio quo pacto parum etiam speciosa videtur defensio. Quod verò tu tam officiosus rebus omnibus erga me sis, ago quidem gratias: sed ita tamen, vt fatear

gratiam, quæ tibi à nobis maxima debetur, nulla ex parte agendis tantùm gratijs posse referri. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Georgio Merulæ suo s. d.

Dederam commodũ litteras ad te, quibus ad eas respondebam, quas proximè acceperam, cùm redditum mihi est eius ipsius epistolæ exemplum, quam tu paulò antè ad Ludouicum Sfortiam sapientißimum principem scripsisses. Miratus in ea epistola sum, non quidem quòd in ordinẽ me coẽgeris, aut quod viros in litteris præcellenteis, quibus ego sim carus, oblique perstrinxeris, neq; enim hæc in te iam quispiam miratur: sed quòd apud eũ principem tam multa, non dico mentiaris, sed certè fingas, cuius & auctoritatem vereri debueras, & ingeniũ. Ceterum ego ad cõuicia illa tua, siue quæ propalam aduersus me, siue quæ aduersus homines me mihi ipso cariores obscurè fudisti, nihil in præsentia respondebo. Non quia nõ & facultas nobis, & materia superfit. sed quoniam certare maledictis tecum, hoc est, cum homine exercitatißimo, non libet. Illud adhuc vt taceã persuaderi mihi non potest, nullum me vnquã abs te beneficium accepisse, præter hoc vnum fortè quòd arrogantẽ me vocas apud principem. Licebit enim tandem correcto mihi (quando ætas mea discendi nondũ præterijt) doceri abs te modestiã, & humanitatem: qui cùm sis homo omnium (sicut vis) eruditißimus, adeò teipsum deijcis, adeoque summißè geris, vt conferri te cũ professoribus ceteris non patiaris. Hermolaũ iure laudas hominem doctum, et probum: quẽ tamen si viueret, vt morem tuum teneres, non laudasses. Is tamen semper à nobis, nescio quo pacto contra te stetit, ne tibi ex illius iudicio nimium placeas. Illud omnino vanum, quòd semel atq; iterũ me dicis à te

libros

libros istos efflagitasse: quod ego profectò nec feci, nec si facerem (quæ tua liberalitas est) impetraturum confiderem. Porrò autem quòd ais non posse me pati, si cõtrà quàm sentiã, aut scripserim, quippiã proferatur: adeon' quæso, oblitus nuntiorum, litterarumq; mearum, quibus ad edenda, quæ aduersum me scripseras, cohortabar, debiturum tibi me magnopere professus, si mihi vel quod defenderem obijceres, vel quod emendarẽ? Quod quoniam vt faceres nec meis vllis adduci precibus, nec auctoritate præclarissimi principis potuisti: faterisq; tamen apud eum scripsisse iam triennio contra nos, quod in tuis ad me litteris ferè negaueras: alia iam via te Merula adoriar, eliciámque tandem si potero ex vmbraculis in solem. Nec verò te imitabor, vt in vniuersitatem inuehar scriptorum tuorum, quod bellissimè poteram: sed ad parteis accedam potius, in quibus ingenium, doctrinámque, præterea memoriam illam amplam tuam, quam prædicas, desiderauimus. Ceterùm quoniam epistolam scribo, non librum, ludóque tecum blandè potius, quam adhuc certo, paucula tantum de multis, eáque breuiter attingam. De satyra non bene sentis, confundis spécies, confundis auctores. Quod si non statim fateris, profiteor argumentis euicturum. Peccas idẽ, quòd ais caussas primùm reddere poëtã, cur relicta frequenti poëtarum materia satyras adgressus. Non enim hoc ille primùm, sed cur omnino carmen cõponat, deinde autem cur & satyras potissimum, quo loco ita subdit. Cur tamen hoc libeat potius decurrere campo. Nam de Rhinthone bis peccas, et quòd rusticos auctores hîc quoque contaminas, & quòd vilissimum fuisse nugatorẽ falsò credis, cuius etiam Græco epigrãmate poëmata celebrantur. Nego verò vsquam legi, quod asseris excogitatum

Reprehẽdit aliqua Merulæ errata.

gitatum fuisse tum primùm, vt rubigo vulneribus adhæ-
beretur, cùm Telephum curauit Achilles: in quo te Pli-
nius quoque tuus nihil adiuuat. Sed à spadonibus vxores
duci solitas, notari credis epigrammate Martialis, in quo
non magis vxor, quàm meretrix, non magis spadonis esse
Lacerna. videtur Egle, quàm senis. Lacernam credis vbique mili-
tarem vestem, parum memor exemplorum, quæ passim
refragantur, quale nunc illud subit: O quantos risus pa-
riter spectata mouebit, Cum Palatina nostra lacerna to-
ga. De Latino & Thymele vanissima omnia: nam nec il-
la vsquam Latini vxor, nec eius celebre adulterium, nec
à mœchis Latinum cæsum significant alapæ, nec ipsius
vnquam noua persona inducta est à mimographis: quæ si
mentior, refelle. Sequitur velut extra ordinem corru-
Ouidij lo ptus à te Nasonis versiculus, vbi pro Teuthrãtia turbe,
cus. de qua nos in Miscellaneis, tu Thestitiã suppositi. Vt
igitur & erratum tuum pariter agnoscas, & beneficiũ
meum, qui de hoc etiam tanta illa occasione cum iactura
aliqua debitæ mihi gloriæ tacuerim, dico te quaterin
vna voce peccasse, quòd antiquam pariter, & vulga-
tam dictionem sustuleris, ac pro Theuthrantia contra
omnium fidem exemplarium Thestitia subdideris, quod
Thestium crederis fuisse, qui sit apud Eustathium The-
spius, quòd à Thestio Thestitiam contra analogiam
deduxeris, quòd ante penultimam feceris longam, quæ
breuis esse in Thestio debuerat. Hinc si te, Merula,
extricabis, virum putabo. Nolo nunc tibi quæstionem
super Ichthyocolla mouere: satis enim te (si modo sen-
tis) Hermolaus ipse Barbarus confutauit. Illud quæro,
Præsepia pro meretricibus, aut quod mox adijcis, proip
sarum locis, vbinam legeris: aut cur necesse habueris
ad lupanar confugere, cùm statim illud sequatur: Dum

per-

peruolat axe citato. Quid autem pugnantius, q̃ per amicam lacernatam puerũ significari Sporum, quòd virilis habitus lacerna sit, eundémque tamen dicere muliebriter fuisse vestitum? Quid porrò tam ridiculum, quàm supinum accipere pro superbo, & erecto, tum auctores ibidem aduocare, qui delicatum & mollem tueantur? quod & vsus doctorum comprobat, & historiæ fides. Quid postremò tam rude, quàm putare traductã Gyaris turbam, significare in Gyaras relegatam? Quid quòd et tabulam doces, in quam tesseræ mitterentur, etiam dici latruncullariam? Quare ad auctores te voco. De lithostrato nihil dixerim, quoniam quamuis exceptione ista non vteris, conferre tamen in librarios culpã facile possis. Crispinum certè significari per hominem qui sit ad Euphratem natus, mihi Merula nõ persuadebis: cum fuerit Crispinus (vt apertè Iuuenalis ostendit) Aegyptius, non Armenius. Volo de hemistichio quoque illo taceamus: Quid confert purpura magis: vbi te non sentis hexametrum versum pyrrhichio clausisse. Nam rancidulæ illi tuæ ciconiæ, qua repræsentari concordiam putas, nullus, opinor, idoneus auctor, sicuti nostræ cornici suffragatur. Docebo aliàs quàm multa præteream, sed & hæc ipsa vides quàm pressè, quàm astrictè, q̃ breuiter, necdũ satyram vnam exhausi, nimis tamen epistola extenditur. Itaque ne mihi in libellum surgat, carptim paucula tantum sequentibus delibabo, videlicet vt quæque in oculos incurrerint. Ergo secunda satyra, vuluam dici vis in reliquis animalibus, in muliere vterum. Nos è diuerso vuluam quidem mulieris ibidem legimus, vterum verò cerui, & equi, apud Vergilium. Defende igitur hoc quoque si potes. Defende illud etiam, Creticum deriuari à Græco iudice, reclamantibus, opinor, & orthogra-

Supinus.

Gyaris traducti. Latruncularia.

Crispin⁹.

Vulua. Vterus.

phia, & syllaba. Tum doce nos magister, vbi sit is locus, à quo præclara ista Cocytos, repugnãte spatio syllabæ, cognominetur. Etenim de Lyde satis dictum, opinor, in Miscellaneis. Illa verò tua ratiocinatio in satyra tertia eiusmodi est, vt planè palmarium repereris: colligis enim (sicuti video) peracutè alium esse hunc apud Iuuenalem Vmbricium, alium de quo Plinius vt aruspice meminerit.

Vmbricius.

Quoniam hic, inquis, aruspicinæ imperitum se dicit: sed ostendas velim, quo loco dicat hoc Vmbricius. Nam ranarum viscera tu quoque ad veneficium transfers, & rectè quidem: non enim pro victimis credo ranæ quoque

Palliolũ.

cædebantur. Iam palliolum, quod esse linteum putas, crederem fortasse, nisi tutemet aduersus te Martialis hunc versiculum aduocasses: Succida palliolo vellera quinq;

Opici.

petit. At opicos pro frendentibus accipis, & barbaris. Sed opicos esse auctores idonei persuadent illos, qui Græcè nesciant, etiam si Latinè non indocti sint. Itaque festiuè mures opici vocantur, qui Græca rodebant carmina, quæ nec intelligebant: & malè Græcissantis amicæ vitia velut opicæ mulier illa mera Cecropis castiga-

Phæcasij.

bat. Verùm deos etiam Phæcasios apud Appianum legisti, nos calceos ibi Phæcasios legimus, non deos. Sed & strigiles corruptè profers, Persiumque aduocas in syllabæ quantitate reluctantem. Iam si placet, ad quartam descendamus, nisi nimium fatigatus, verùm quiescas

Aricini axes.

paululum, mox tamen opus repetemus. Nego Aricinos axes ad bouillas pertinere. Nego te verum scripsisse in pegmatis etymo. Nam chironomonta tam corruptè legis in quinta, quàm indoctè explicas: quæ enim de tribus nominibus aliena prodidisti, satis, vt arbitror, in Miscellaneis arguuntur. Nec illud in sexta defendere à risu possis: Et agello cedo paterno: vbi pariter & Latini-

tinitatis obliuiſceris, & intellectum confundis. Glaphyram verò, qui tamen eſt apud te Glaphyrus, nunquàm profectò comœdum, citharœdúmue credidiſſes, ſi Græca teneres Antipatri epigrammata, & Philippi. Nec inter Veneris figuras Græcus vſpiam concubitus reperitur, vt ad has confugere ineptias neceſſe habueris cùm taxentur ibi feminæ etiam inter coëundum Græco ſermone blandientes. Certè Capitolina quercus, quomodo conſulatum triumphúmue ſignificet, haud intellego. Nec tu quercum doces fuiſſe in Capitolio, ſed (quod nihil ad rem facit) in Palatio. Numeroſum hîc agmen quaſi tranſmitto, breuitati ſeruiens, ad columnas tamen Delphinorum te voco, rogóque videas aliquando, ſi potes, quæ Dion hiſtoriæ ſcriptor, libro vndequinquageſimo de Agrippa prodidit. Intelliges profectò quàm malè iſtud intellexeris. Vis & ſeptimam percurramus? An tibi Cacethos defendes? pro quo nos Cacoëthes: quod ſiue vlcus, vt multi, ſiue etiam febris eſt, vt Galenus tradit, malam certè conſuetudinem ſignificat. Etenim de Parnaſſi iugis Helicone illo, Citheronéque tuis, leuauit onere nos Beroaldus, à quo ſimul cum Seruio refelleris. Beroaldus, inquam, ille doctus homo, & celeber, qui tuis & ipſe conuicijs irritatus, dentes acuit timendos, vt in te morſibus incurrat. Hic tibi credo non concedet, vt hydros à crinibus caſuros ad Turni galeam referas, ſicuti nec eſt Hermolaus noſter paſſus, à quo te laudari falsò credidiſti, Satum Lacertam ditiſſimum videri cauſidicorum, qui noſtram quoque cùm laudauit Cramben, nõ ſine magno credo tuo dedecore laudauit. Chryſogonum quoque, & Pollionẽ rhetoras credis, oblitus quæ ſuprà legeras, quæ citauceras. Octauia tam nos appellat, vbi Numantinos ortus, nobi-

Glaphyra.

Cacoëthes.

Beroaldus.

Numantini.

nobilemq; tuam de luciferi ortu non satis astronomiam percipimus: quanquàm illud omnino teneamus, quoniam rotunda terra sit, alijs sidera tardius, atque alijs gentibus exoriri. Me quidem interprete, pernox alea luditur ante Numantinos, hoc est, in atrio pleno imaginibus maiorum, quos poëta per Numantinos potissimum triumphales homines, ac fama celebres indicauit. Tum ortu Luciferi legerim, non ortus, vt sit, oriente Lucifero. Nolo quidquam de Laureato mimo. Tantum polliceor indicaturum me vbi voles, non modò vana te, sed & pugnantia scripsisse. Testem præterea idoneum non habes, qui coronari Pinu doceat eos, qui Nemea vicerint: Nam Lucianus Apio testatur. Nec tamen illa me prætereunt, quæ de Pinu & Apio scribit Plutarchus in quarto Symposiacôn, vbi victores Isthmijs vtroque coronat. Græcum quoque nescio quid in satyra nona reperitur: quod si quis legat, vt adhuc ipse legis, non eum equidem dicã nullas, sed nimis potius longas habere aures. Librarium verò partiendis pensis præficis, ipso quem aduocas Vlpiano stomachante. Sed strumam tergo, gibbum pectori astruis in decima, quibus obsecro auctoribus? Non enim hoc vspiam Celsus. Sed et in vndecima, lanista ille coquũ se negat esse, & lanium. Nam pytismati nostro puto iam credis, saltationémque tuam Lacedæmoniam derides, sicuti artificem Parthenium duodecima. Tum si cui saniũ fuerit sinciput, non semper esse quod tute in tertiadecima coctum sinciput æstimabit. Remitto spithamen tibi, & pleuresim: quoniã quartadecima nos vrget, quæ vitem libello posci, non post libellos ait: sed quo libello principi supplicatur. Nam de Attegijs, & Cerealibus nihil tibi compertum credo, nec de Petauro. Non enim scimus vnde expiscatus, ludum esse in quo homines per

Apio coronari Nemea vincẽtes.

Struma. Gibbus.

aëra

aëra rotarum pulsibus iactarentur. Duæ restant satyræ, quarum prior minimè illos innuit, qui currentes facè tenerent. posterior de Bardaico nõ consentit, Martialisq; versiculum tribus abs te plagis deformatum grauiter fremit. Hæc atque alia multa in tuis istis famosis commentarijs nos homines indoctissimi deprehendimus. Sed erit operæpretium credo, aliquando etiam in emendationes Plautinas, in quibus Herculem te facis, inquirere. Qualem enim te spondes in ceteris, qui emussitata legas in milite, pro eo quod est amussitata: quod nemo ignorare poterat, qui modò vulgatissimum scriptorem Nonium Marcellum sumsisset in manus. Verum de hoc, & item de rusticis auctoribus aliàs prolixius. Nunc autem rogo te Merula, concedas hæc, aut defendas: quoniam in altero ingenuus in altero etiam doctus haberi poteris. Des etiam veniam nostræ insciticæ, si tibi paulò asperior videtur crassa hæc, & rustica veritas indocti hominis, cui delinimenta illa verborum nota non sunt, quibus epistolæ videlicet eruditissimorum virorum, tuique similium condiuntur. Vale.

Plauti locus. Amussitata.

ANGELVS POLITIANVS LVDOVICO Sfortiæ, principi clarissimo S. D.

ITA mihi contigat in otio, & litteris molliter cõsenescere clarissime princeps, vt hoc tã subito, tãq; inexspectato Merulæ nostri obitu non leuius cõmotus sum, q̃ si ei discipulus, aut alioqui familiarissimus fuissem. Quod fortasse parum credent, si qui certamen hoc inter nos de communibus studijs exortum parum benigne interpretabuntur. At enim quod ego sæpissimè sum testatus, nõ video quid impediat, quo minus dissidere inter nos de litteris, saluo tamẽ amicitiæ iure, potuerimus. Ceterùm cõtracta hæc opinio est quorundã immodestia, qui lædi se capitali

capitaliter ab ijs existimant, qui dictum, scriptumq; ipsorum de leuissimis etiã rebus confutaucrint. Ego certè semper & sum professus, & præ me tuli maximi loco beneficij positurum, si notas aliquando meorum scriptorũ mihi Merula noster indicauisset. Dedissem verò protinus manus, & gratias ingentes egissem, quòd admonitu illius essem consecutus, vt iterum (quod dicitur) ad eundem lapidem non offenderim. Denique certamen hoc inter nos eiusmodi futurum videbatur, vt ego nec vinci turpiter ab homine tam docto, nec eum contra vincere, nisi magna mea cum gloria potuerim. Dolendum profectò studiosis omnibus illius desiderio est: in quo publicè res Latina iacturam fecit. Sed quoniam sic ille vitam, quasi bonus poëta fabulam magna laude, magnáque omnium approbatione peregit, non lacrymis eius interitus, verum dulci gratáque potius mentione prosequendus est. Quod ego profectò quantùm ratio studiorum meorum patietur, polliceor quacunque occasione libenter, cumulatéque facturum. Nunc autem quando ille historiæ familiæ vestræ luculẽter scriptam, librosq; itẽ quosdam vetustissimos auspicio tuo repertos, quoniam mors præuertit, publicare non potuit, rogamus te princeps quicunq; in studijs litterarum versamur, vt ista latêre diutius non patiaris. Quòd si tibi ad vtranque editionem, quamuis doctissimis hominibus abundes, cõferre aliquid tamen nostra quoque mediocritas valet, vtere quæso audacter, non dicã ingenio, & doctrina, sed labore, industriaq; nostra. Nam cùm defungi hoc vltro tã honesto munere cupio, tum verò tibi, quem merito plurimi facio, gratificari: profiteorq; si velis, me vel historiæ, vel antiquis publicandis codicibus, præfationes additurũ, cum tua (quod primũ est) illustri gloria, sic tamen vt

ne

ne Merulam quidem nostrum, debito ipsius doctrinæ, diligentiæq; testimonio fraudemus. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano suo S. D.

CONSILIVM ego tuum semper, ac valde probaui, qui nec aduersus pugnantem remittis quidquam, neque vbi aduersarius cessit loco, victoriam vllam honestiorem esse putas, quàm vincere potuisse. Sed Merula prouocator tantùm fuit: quem cùm cœpti sui pæniteret, mors nobis subtraxit. Itaque in eum, qui desijt esse inter homines, quod cudas nihil est amplius: si teipsum fueris imitatus, qui ad omnia humanitatis officia magnis passibus ire consuesti. Nam quid cõficere potueris delectis ad prælium ex illius commentarijs in Iuuenalem varijs locis, probè, atque satis ostendisti. Sed quia suæ erga te optimæ voluntatis sequestrem me esse voluit, tu nunc reconciliandæ cum fatis eius pristinæ beneuolentiæ ne deprecatorem auerseris etiam atque etiam rogo, curaturum diligenter, ne vllius vnquam aculei vestigium inter vos superfuisse cernatur. Vale. Mediolani, Non. April. M. CCCCXCIIII.

LVDOVICVS MARIA SFORTIA
Angelo Politiano S.

FACILE credimus tibi viro eruditissimo mortem Merulæ nostri, doctrina, & eruditione multarum rerũ excellentis grauem fuisse. Quid enim minus ei conueniat, qui bonus esse, & haberi cupit, quam ita litterariã contentionem suscipere, vt eam ad odium plus, quàm ad veri inuestigationem exerceat? Facis ergo probè, qui fateris viuentem amasse Merulã adeò de litterarum studijs meritum, licet in quibusdam ambo dissideretis: & nunc amissum mentione amoris plena prosequeris. Quòd monumenta

numenta eius mones ne perire patiamur, & operam tuã offers siue in historia eam, siue in vetustis codicibus Merulæ diligentia inuentis desideremus, agnoscimus in eo bonitatem tuam, ac magnæ nobis voluptati est, quòd vir litteratissimus tantopere & famam nominis nostri, & rei litterariæ caussam curare videatur. Nos verò etsi minimè negligturi sumus, quod ad vtranque rem pertinet, tamen quia recens casus amissi Merulæ, & maiorum cura nos ab hac cogitatione auertit, dum quid agi vellemus constituendi facultas fuerit, quidquid autem agi continget, si aliunde quàm hinc opem ab litteratis petendam duxerimus, ostendemus & virtutis, & eruditionis, & in primis amoris erga nos Politiani rationem minimè in obscuro apud nos fore, & pergratum habuisse, quod tam studiosè, & amanter operam tuam nobis obtuleris. Vale. Vigleuani.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Chalco suo. s.

OBSECRO vos Chalce, ne tolli patiamini scriptorũ meorũ notas de Merulæ commentarijs. Multò enim vos mihi grauiores notas inuretis: occupabunt hanc inuidi ansam, crediturí semper, imò futuri similes credentibus, hoc me à vobis imbecillitatis meæ conscių multis precibus impetrasse. Si iure me carpit, cur ipsius inuidetis laudi? Si iniuria, cur meæ? Respondeas forsitan ad biceps argumentũ. Si iniuria te carpit, illi parcimus: si iure, tibi. Nempe igitur à vestra ista indulgentia veritas rursus in Democriti puteum demergitur. Sed testamento cauit, vt tollerentur. Esto, scio, quale illud testamentum, grauí malo expugnatus, ac præsenti iam morte solicitus, roganti hoc Antiquario, multumq; instanti negare non potuit. Quod vtinam vt faceret, Antiquario nostro nunquam

Democriti puteus.

quàm veniſſet in mentem. Hoc enim illius officium, quã quam ſcio ſedulo, ac piè ſuſceptum, metuo mihi ne valde offecerit. Sed pauca ſunt, & leuicula (ſic enim audio) quæ mihi obiecerit Merula: cur ergo ea deletis, tanquã ſi multa, tanquam ſi grauia. Iubet, inquis, princeps Ludouicus. Ille verò iubet, quoniam ſe mihi beneficium facere, non iniuriam putat. Notum enim quantopere mihi faueat, quàm de me bene ſentiat, honorificè loquatur. Roga te meis amabò eum verbis: meis dico? ſtudioſorũ imò omniũ, ne fœdari doctiſsimi viri lucubrationes turpiſsima litura patiatur. Imitetur Auguſtũ Cæſarem, quẽ Vergilij Aeneida contra ipſius teſtamenti verecundiam vindicauit à flammis. O ſi liceat iſtuc excurrere, quàm me ſuppliciter aduolam principis genibus, quibus eum verbis, quibus (ita me Deus amet) etiam lacrymis obſecrem, ne tantum fieri flagitium, ne rurſus extingui Merulam permittat, ne illius fructu vigiliarum ſæculum noſtrum poſteritatémque defraudet, ne mihi Lydium lapidem quaſi de manibus excutiat. Non quo aurum purum, ſubæratúmque diſcernam, ſed quo verum, falſumq; diiudicem in meis ſcriptis. Per fortunas, Chalce, circunfuſi omnes exorate principem, nequid ibi mutari, néue quid interlini ſinat. Edantur autem quàm primùm, nec verò interpolentur, non modò quæ ille abſoluta reliquit, ſed & quæ rudia, quoniam magni artificis opera ſperamus illa optima, quæ poſtrema: fruſtraq; ſumma deſiderata manus eſt in Apellea Venere, ſiquidẽ tantopere inchoata protinus oculos tenuit. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano ſuo ſ.

REM ambiguam, & ancipitis concilij plenam ex obitu Georgij Merulæ tibi euenisſe cerno: quoniam nec

cum viuo licet referre pedem, neque iacentem decet, ac deloricatum vulnerare. Nulla tamen res tam difficilis vn quã fuit, aut molesta, in qua si animum sedabis, non repe-rias modum, & laudem pares. Centurias quasdam in te scripsisse aiebat. Ferebas grauiter quòd eas non ederet. Nos verò qui putabamus aliquid esse quod cudendum censuisset, vt est tui nominis dulcis cura, ne rumusculis adolescentium inter vos dissidium aleretur, agere cœpi-mus, vt vtrinque rediretur in gratiam. Ego quoque io-cabundus sæpe id ætatis hominem aggressus, ne se ad Vergilianum Entellum referret hortabar. Iam in amico-rum preces totus concesserat. Iam te vt antea diligebat cùm subitò in eũ morbum incidit, vnde à nobis desijt pos se amplius videri. Prius tamen q̃ é vita discederet, quam tibi concordiam instituisset, satis nosti: verùm adhuc pa-tienti fronte velle inspicere videris, quod ille admodum segniter de litteris certamen parauerat. Morẽ tibi pro-fectò gereremus, nisi Ludouici sapientissimi principis decreto Chalcus vir optimus, & rarissimus, id genus quidquid Merula scripserit vnquàm, diligẽter collectũ coniecisset in vincula: Centurias in primis, neque quidẽ reluctantes, non enim sunt eiusmodi, quæ lucem perferre possint. Vix xxx. adnotamenta sunt, in quibus tam ad alie-nas lautitias compellere muscas, quàm inde abigere, quæ alioqui nusquam erant, visus est, adeò vt vicem hominis doctissimi pudẽter doleã. Repetit (vt audio) pauca quæ-dam de Miscellaneis tuis tanquã sua: nõ multa rursus per te ab alijs accepta, quòd tua esse voluerís, sommiculosè conqueritur. Quæ igitur euanida fuit illius, ac edentula morsicatio, tam ad te eam pertinere credimus, quàm ad elephantum culices Indum. Neque tibi ex vsu amplius fo ret illius manes ad pœnitentiã reuocare: quoniam histo-

ria,

riæ, quam de Vicecomitum gestis, ab ipsius gentis primordio fuerat orsus, omnem scriptoris auctoritatem salvam esse oportet. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Antiquario suo S. D.

VTAR igitur cõsilio tuo, prudẽtis hominis, & amici: quoniámque non potest fieri, quod volo, id volam, quod possit. Sed quid tu ais? Adeón' pauca Merula noster, adeón' incondita reliquit, vt iussu principis etiam supprimantur? Vbi ergo Centuriæ illæ, tam paratæ, tam instructæ, tam formidabiles? Vbi tam diu nobis expectatæ, toties promissæ Plautinæ quæstiones? An eas secum forsitan tulit ad manes, nec dignos putauit nos quicũq; superstites eramus, indoctos prorsus homines rerũ tantarum lectione? Sed extra iocum. Parcam ego Merulæ semper, quando nos euasit, cui tamen iratus nunquam fui, ne me simultatem credas exercere aduersus vmbrã. Defero hunc honorem libenter sapientissimo quoque principi Ludouico Sfortiæ, cuius auctoritas non minus tueri nunc extinctum, quàm olim viuentem debet. Vale.

BARPTOLEMAEVS CHALCVS
Angelo Politiano S. D.

EX litteris, quas nuper ad me dedisti, intellexi te summo desiderio teneri, vt quæ Georgius Merula iampridẽ aduersus Miscellanea tua conscripsit, aliquando in lucẽ prodeant. Idq; vt magis animum tuum ostendas, non solùm multis rationibus, sed multis etiam precibus contendis, vt Ludouicum principem comprecer, vt assentiat, velitq; Georgij scripta quod iniuriam tibi, atq; illi faceret, litura non destrui. Est quidem tua hæc petitio nõ honesta tantùm, verùm etiam ingenua, quando non tam vt

te ab offensione, & nota vindices, quàm vt studiosi homines iacturam in fruge, quam ex scriptis Merulæ sperant, non faciant: id vt optes, te adduci profitearis. Neque verò nos hoc ipsum abs te desiderari permisissemus, nisi Ludouicus princeps, qui acceptis abs te litteris, te submolestũ id ducere animaduertit: & ne in lucem proferrentur, anxiè per vicariũ agere deprehendit, in eam sententiam deuenisset, vt ne offendereris, edi eanon debere statuisset, & Antiquarius, quod tu scribis, idẽ etiam ab Merula, vt velle videretur, extorsisset. Verùm quando vtraque res in gratiam tuam facta est, tuq; nihil minus, quàm, id voluisse videris & maximopore copiam tibi horum scriptorum fieri petis, dabimus operam, vt & principis sententia, qui te omnino promereri optat, & violentum (vt ita dixerimus) decretũ tibi, quò minus mos geratur, non obstent: sed quod quæris, tibi largiter suppetat. Sed quoniã ea adhuc vix notata prima in forma sunt, neque Georgius morte occupatus, ea elimare, & meliore nota conscribere potuit, primùm curabimus vt prius, quàm edantur, censeantur: & in eum ordinem quem prætendisse Georgius videtur, redigantur, moxq; ita absoluta ad te mittentur. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Chalco suo s. d.

AGO tibi gratias ingẽteis, quòd de Merulæ scriptis edendis rem confeceris ex animi nostri sententia. Ludouico autem sapientißimo pariter, humanißimoq; principi quantopere debere me, vel hoc ipso nomine sentiam, non explico: tantum enim mihi ille tribuit, quantum ego vix optare vnquam ausus. Nam & anteasupprimens, & nunc emittens honori præcipuè meo consultum voluit. Sed quid ais animaduertisse eum de meis litteris molestè

me

me laturum, si publicarētur? An ego vnquam aliud precatus, quàm vt copia fieret audiendæ accusationis? Denique quos ego istic habeo vicarios? Aut quid vnquam cuiquam mandaui, nisi vt omneis machinas adhiberet, quò notæ istæ de latebris eruerentur? An fortè amicus istic aliquid plus in mea re videre se, quàm ego videbam, credens, meúmque animum spectans ex animo suo quidquam vel egit inscio me, vel dixit, quod ego nollem? Expostulabo iniuriam, si resciero, quamuis ille, sedulò, quamuis amicè, quamuis officiosè fecerit. Sed cui magis credendum, quàm tot epistolis meis vulgatis, contestatis: Latinè (vt arbitror) scriptis, & perspicuè? Quare apage, quæso, à me istam calumniam, quo nemo vnquam fuit & cõfessioni paratior, et defensioni. Quò maiorē tibi nũc habeo gratiã, qui vt mihi vtriusq; fieret potestas, opera et auctoritate curaueris. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS
Angelo Politiano suo S. D.

IAM in Merulanis rebus nihil melius sentio, vt quálem se effinxit, planè relinquamus, per historias, & epistolas quasdam, sine alijs monumentis superstitem. Plautinæ quæstiones apparent nullæ, commentarios in Iuuenalem vix illius fuisse crediderim, nisi ipse suos edendo affirmaßet. Tu quidem rectè facis, qui ab eius nomine temperandum statuisti, cuius retaxatio impietatem non effugeret, etiam si Ludouici nobilißimi principis auctoritas non interceßisset. Qui te amant, vt in litterariam, & communem rem pro consuetudine tua studium conuertas, magnopere cupiunt. Quippe id tuum erit, quod post te non desiderabitur. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Bernardo Riccio suo S.

SIGNIFICAS desperandum planè mihi esse publicationem Georgij Merulæ scriptorum, quòd friuola, quòd paucula, quòd imperfecta, quòd perturbata sint, & interlita. Sed à Corycæo tamen quodam tuis ais esse auribus insusurratum, reprehendi ab illo me quodam loco, quòd albæ lineæ prouerbium secus acceperim, quàm debui, videlicet in bonam partem. Respondebo leuiter, & quod aiunt, suspensa manu. Non enim defensio grauis, vbi leuis oppugnatio. Græcum prouerbium celebratur, λευκὴ γράμμη, quod Aulus Gellius albam lineam transtulit. Possis tu tamen & amussim dicere, filum scilicet illud fabrorum, quod oblinitur rubrica. Valet ergo in eos prouerbium, qui sine discrimine dicunt aliquid, aut faciunt. Vt autem rectè dixerimus haberi odio malos omneis sine discrimine, sic rursus & amari bonos. Certè Socrates in Charmide Platonis, is qui nullius rei scientiam sibi præter amoris vindicat, albam se tamen esse lineam dicit erga formosos: propterea quòd omnes amaret ex æquo. Quod idem transtuli ego prorsus ad hominem non doctum quidem, sed amatorem tamen vtcunque doctorum, cuius amori pudenter (vt mihi quidem videor) iudicium, delectum discrimenque detraxi, ne mihi scilicet ob cum quasi iam planè docto nimium dicerer tribuere. Nec amico tamen iniuriam feci. Nam vulgò quoque laudatoribus nostris dicimus falli quòd ament. Est verò integrum, sicuti quidam referunt hoc adagium, λευκῷ λίθῳ λευκὴ γράμμη, quod ita commodè vertas, In albo lapide alba linea: videlicet quæ nullum faciat discrimen. Id esse autem sic integrum in Cidalione Sophoclis, tam Græci quidam Platonis interpretes, quàm Suidas ipse (siquidem hîc vnquam Suidas) non omnino malus auctor, testati sunt.

Alba linea.

Amussis.

LVDOVICVS MARIA SFORTIA
dux Angelo Politiano.

NON est quod verearis Angele, ne tibi notam aliquam inurant, si supprimantur scripta, quæ in te Merula parasse dicebatur. Tua enim opera minimè factum putari debet, qui non quæsiuisti vt occultentur: sed multis precibus per nostros agere apud nos non destitisti, vt ea in lucem venire pateremur. Quod scribere ad te voluimus, vt hæ nostræ apud omnes testari possent te scripsisse, non modò non futurum graue tibi, si in manus hominum, viri litteratissimi scripta venirent, sed etiam si ita pateremur, nobis te gratias ingentes debiturum affirmasse. Vale.

ANGELVS POLITIANVS LVDOVICO
Sfortiæ principi suo s.

NON tam gloriæ meæ consulis, quàm tuæ, quòd & veritati suffragaris, & litterarum professorem vindicas ab iniuria. Sic itur ad astra mi princeps. Non enim tam solidam, tam veram laudem vanæ prædicationes, quàm sua cuique rectè facta cõciliant. Sed tamen & rectè factorum memoria ipsa parum per se fida, nisi litterarũ testimonio roboretur. Equidem quantum tibi debeam, nec ipse ignoro, nec tu pateris ab alijs ignorari. Si tamen æstimas, quantum præstare tibi volo, soluendo sum: si quantum valeo, non sum. Vale.

LVDOVICVS MARIA SFORTIA
Angelo Politiano s.

ANGELE, si dũ tibi operã damus, vt veritas locum suum habeat, gloriæ nostræ consulimus, in lucro nobis labor noster est, & desiderium nobis sæpe pro te laborandi relinquitur. Est autem hic fructus eo gratior, quòd etiam præter expectationem contingit. Satis enim putabamus

bamus, si dum mutuè præstitimus officium nostrũ, in eo consuetudo nostra non intermitteretur benignè cum omnibus agendi: quanquàm id etiam tecum libentius agebatur, cuius virtus, & doctrina iam diu nobis nota est, & in quem beneficiũ nostrum esse semper optauimus. Itaq; tã plus est, q̃ quod spectabamus, si cum tuo etiam nostrũ beneficium coniungitur. Te autem soluẽdo esse nobiscũ, & dum vis, & dum quæ potes agis, ducimus: & plurati bi videmus superfutura, cum solueris, quàm ea erũt, quæ soluendo quod debes, impenderis. Vale.

PHILIPPVS BEROALDVS
Angelo Politiano suo S. D.

QVOD Merula impostura fecerit posteritati, minimè miror. Sic enim glorioſi milites facere consueuerũt, qui verborum strepitu vigentes, reflacceſcunt. Nimirum egregius hic noſter imperator, dum Centuriarum impetum impatibilem minitatur, nondum decurias in acie collocauerat: & dum haſtatos, triariósque terrificos cum ſolicitudine præſtolamur, vix rorarios, accenſósque centuriauerat. Sed iam viuat, valeátque Merula apud manes cum ſua canina facundia, qui vt belliſſimè, veriſſiméque ſcripſiſti, iã perierat, niſi periiſſet: prout ſementem feciſſet, ita meſſem planè facturus. Quod ad nos attinet, ſcito mi Politiane te hic propè plures quàm iſtic habere fauiſſores, buccinatorésque tuæ politiſſimæ eruditionis, quæ veluti frutex odoratiſſimus fragrat inenarrabilem quandam ſuauitatem. Scribo quod ſentio, ſentio quod ſcribo, concordat calamus cum corde, lingua cum animo. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Ludouico Bolognino equiti ac Iureconſulto Bononienſi S. D.

VEL-

VELLEM Ludouice vir clarißime, ceteris quoq; iureconsultis, quæ tibi est corrigendis, restituēdisq; legibus in veram, atque eam ipsam lectionem, qua ab Imperatore Iustiniano publicatæ sunt, & olim fuisset, & nūc esset diligētia. Non enim nos puderet multorum, quæ tū ridiculè, tum perperam leguntur in legibus, sed emaculata omnia, & vera haberentur. Scripsisti tu superioribus diebus ad Laurentium Medicem, ætatis nostræ Mecœnatē alterum: nam vt Romanus ille Mecœnas cōsilio, diuitijs, opera fauebat sui sæculi litteratis viris, ita & hic noster facit: quandoquidem doctos omneis doctus ipse iuuat semper, sustentat, alit, dat munera, prodest omnibus studiosis. Scripsisti, inquā, vt legem quartā, titulo de verborū obligat. de Pandectis quæ olim Pisanæ fuerunt, nunc Florentinæ, ad vnguem exscriptam ad te mitteret, propter cōtextū eius §. Cato, in vulgatis exēplaribus incurria temporū deprauatū. En igitur ea tibi ex ipso archetypo eius ipsius Laurēti Medicis iussu excerpta à nobis summa fide. Est autē liber caracteribus maiusculis, sine vllis cōpendiarijs notis, sine vllis distinctionibus, nec Græcus, sed Latinus: videlicet ille ipse, quem inter ceteros publicauit Iustinianus, quod & hoc pulcerrimum in fronte libri Græcum epigramma ostendit. Mecœnas.

Βίβλον Ιουστινιανὸς ἄναξ τεχνήσατο τήνδε,
Τὴν δὲ Τριβωνιανὸς μεγάλῳ κάμε παμβασιλῆϊ,
Οἵατις Ηρακλῆι παναίολον ἀσπίδα τεύξας,
Ἣν ἐπὶ μαρμαίρουσιν ἀγάλματα πάντα θεμείσων.
Ανθρώποι δ' Ασίης τε, δορυκτήτου τε Λιβύσσης,
Ευρώπης τε πίδονται ὅλου σημάντορι κόσμου.

Librum Iustinianus Imperator construxit, hunc verò
Quem vtique Tribonianus magno elaborauit omnium Imperatori.
Qualiter quis Herculi varium scutum fabricatus.

In quo splendent imagines omnes legum.
Homines verò Asiaq;, captiuaq; Libyæ,
Europæq;, confidunt totius Imperatori mundi.

Paulus libro duodecimo ad Sabinum.

Eadem dicemus & si dolum abesse à te hæredeq; tuo stipulatus sim & aut promissor aut stipulator pluribus hæredibus relictis decesserit Cato libro xv. scribit pœna certè pecuniæ promissa si quid aliter factum sit mortuo promißore si ex pluribus hæredibus vnus contra quam cautum sit, fecerit aut ab omnibus hæredibus pœnã cõmitti pro portione hæreditaria aut ab vno pro portione sua ab omnibus si id factum de quo cautum est indiuiduũ sit veluti iter fieri quia quod in partes diuidi non potest ab omnibus quodã modo factũ videretur at si de eo cautum sit quod diuisionẽ recipiat veluti amplius nõ agi tum eũ hæredem qui aduersus ea fecit pro portione sua solum pœnã committere differentiæ hanc esse rationẽ quod in priore casu omnes commisisse videntur quod nisi insolidum peccari non poterit illam stipulationẽ per te non fieri quo minus mihi iure agere liceat sed videamus ne non idem hic sit sed magis idẽ quod in illa stipulatione Titiũ hæredẽq; eius ratũ habiturũ nã hac stipulatione & solus tenebitur qui non habuerit ratum & solus aget à quo fuerit petitum idq; & Marcello videtur quamuis ipse dominus pro parte ratum habere non potest si is qui duplam stipulatus est decesserit pluribus hæredibus relictis vnusquisque ob euictionem suæ partis pro portione sua habebit actionem idemque est in stipulatione quoque fructuaria & damni infecti & ex operis noui nuntiatione restitui tamen opus ex operis noui nuntiatione pro parte non potest hæc vtilitatis causa ex parte stipulatorum recepta sunt ipsi autẽ promißori pro parte neq; restitutio neq; defensio cõtingere potest.

AN-

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER DVODECIMVS.

ANGELVS POLITIANVS
Ioanni Pico Mirandulæ
suo S. D.

QVANTOPERE me semper dum vixit Hermolaus Barbarus dilexerit, quantumq; ego illi vicissim tribuerim, notũ tibi mi Pice: qui ita vtrunque amabas, ita rursus ab vtroq; amabaris, vt sicut vterque se esse apud te primum, sic tu primum te esse apud vtrunque existimares. A deoq; singularis hic inter nos amor alios delectabat, alios rursus perstringebat, vt qui vnum vel laudabat è tribus, vel vituperabat, idem sibi ceteros vel laudandos esse, vel vituperãdos arbitraretur. Edidit ille paulò antè quàm diẽ obijt, opus (vt scis) elegãs, & eruditũ Plinianarũ castigationum: quo in opere, quantum equidem æstimare possum, iuuit apprime rem Latinam: siquidẽ multum ingenio nisus, & studio vetusta diligenter exemplaria contulit, & auctores vtriusque linguæ penè omnes aduocauit. Libertate autem vsus est omnino aliqua, sed modesta, nec tã in alios, quàm in se quoque ipsum: multa enim posterioribus cõfutauit, quæ prioribus cõmentarijs offendisset. Ita (quod ego in primis laudo) nihil sibi prius esse fide putauit agenti negotium posteriorum, qui sententiã de nobis sine gratia, sine inuidia laturi sunt. Sed in me vnũ tamen paulò fuit indulgẽtior; vbi enim occasio laudandi

Hermolaus Barbarus.

dandi, nominatim me citat: vbi rursus dissidet, rē refellit ipsam, nomini parcit. Et cupiebam defensionem omittere, quoniámque sunt vtriusque nostrum scripta in manibus, doctiorum iudicio relinquere. Sed occurrunt interdum scioli quidam, malè inaugurati litteris, qui pro damnato accipiunt, quidquid nō protinus defendatur. Quo circa tu mihi nūc adeundus, mi Pice, doctorū omniū doctissime, nō quidem vt iudex, sed vt arbiter honorarius, qui videlicet inter amicos disceptātes litē dirimas. Defensus à nobis Cicero est, quòd Endelechiā sic exponat, motionem quandam continuam, & perennem. Placet hoc Hermolao, veteremq; suā reuocat sententiā. Censet autē nihilominus Entelechiam scribi, t, littera oportere, quòd in hanc vertere, d, soleant Attici. Tum id auctoritate Luciani tuetur, & Grammaticorum quorundam ignobilium, qui de Dialectis conscripserunt. Ceterùm si Luciani verba ipsa Græca perpendas, nihil ibi aliud inuenias, nisi furtum obijci, t, litteræ, quòd ea quæ sit Endelechia, vocare malit Entelechian. Quare cùm constet apud omneis vocabulū id ab Aristotele primitus fuisse confictū, non dubiū est, quin Endelechian, quod prius fuerit, non Entelechian, quod posterius, & auctor ipse protulerit, & auctorem Cicero secutus. Apparet autem nasutissimū hominem Lucianum carpere indoctos iā tum linguæ Philosophos, qui dum vocē contaminant, etiā intellectū non assequerentur: quem tamē Luciani salē parum degustantes, quicunque isti insipidi litteratores ad Attici sermonis discrimina detorserunt. Quod & ipsum tamē Hermolao quoq; non fauet, quando vtrunq; in confesso est, & auctorem fuisse vocis eius Aristotelē, et in, d, locum, t, litterā succesisse. Nec ego tamen, quod ille (vt video) putauit, occasione abutor deprauati exemplaris. Ne-

Endelechia.

Lucianus.

mo

mo igitur me magis defendit, quàm qui fic accusauit. In Tetraonibus verò mecum planè sentit aduersus Erythrotaonas, g, tamen insertat, & scriptos calamo Plinianos aduocat codices. Ego verò contrà tam Suetonianos profero, quàm etiam Plinianos, sed vetustos vtrosque, quales in Medicæ quoque gentis bibliotheca patent. Nam tetrax apud Athenæum libro nono, nihil ad Tetraones. Illi enim à Plinio dicuntur absoluta esse nigritia, & quasi coccinis supercilijs, quidámque tamen vulturum colore. Tetracem verò porphyrioni similem tradit Athenæus, eiusq; volucris admiratur τὸ εὐανθὶς, quasi picturatum significans, & floridum, quod Hermolaus forma conspicua conuertit. Tum pendère vtrinque ab auribus paleam, sicut gallinaceis ostendit. Paleam enim interpretari τὸ κάλλαια malo, quàm quod Hermolaus cristas. Melos quoque defendi apud Persium posse putat, auctore in Hymnis Homero: quasi verò non constet hymnos istos, quos etiam vatis esse Homeri quidam dubitant, plurimis esse locis mēdosissimos, quod & Demetrius Chalcocandyles in præfatione quadā sua conqueritur. Scio autem versiculum citari quendam male compaginatum de hymno ipso, puto in Mercurium, quem ob id opinor Hermolaus ipse non citat, quoniam videlicet in eo fides vacillabat. An igitur cum vniuersis Græcorum latifundijs vnus iste infamis angulus conferetur? nec quidquā profuerit, quòd etiam tum cùm locum ipsum tractabamus, friuolis istis auctoritatibus occurrimus? Iam quòd Ascoperam nos inuenisse putat in codicibus antiquis, non meminit ad liquidum. Sicut enim scopa est peruulgatis exemplaribus, ita in vetustis Ascopa. Quod ipse tamen ob id rectum putat, quòd eo sit vsus Hieronymus: nec autem animaduertit

Tetraones. Tetrax. Εὐανθὶς. Κάλλαια. Melos. Ascopa.

idem

idem esse vtrobique lubricum mendũ, nec Græcum tamẽ probari Ascopa, nec Latinum. Ceterùm secunda editione quasi priorem sententiam pertæsus, Græcos quoque allegat auctores, apud quos Ascoperam reperisset. Illud etiam quidam pertinere ad nos contendunt, quòd Dionysium non à Prisciano, sicuti ego prodideram, sed à Rhemnio Fannio conuersum dicit. Verùm quoniam nec argumentis hoc ille, nec auctoritatibus obtinet, & æquo iure vtimur omnes in litteris, ad noua pariter, & vetusta, quæ indicari possunt, exemplaria prouocamus. Illud equidem miror, quòd vt Theodorum Gazam defenderet à nobis insuada reprehensum, cui tamen nec ipse pepercit, mella nescio quæ poëtica miscuit, quæ nihilominus (vt videtur) ad rem. Denique ista sunt ferè, in quibus aliter quàm nos Hermolaus noster prodidit: cùm tamen idem pleraque inuenta nostra nunc edito, nunc suppresso nomine tutetur. Declarant hoc illa, quæ de Bœotia, de Crambe, de Oaxi, de Cicuta, de salutis augurio, de Hecale, de Prætidibus, de Causarijs, Harpocrate, de Ocno, de Priapeis, de Philyra, de Poppysmo, de Catulliano passere disputat. Quin idem, quæ fabulatus ego cum eo Florentiæ inter cenam de solstitiali herba, de Elutriato vellere, sed & de Dioscoride domi tuæ sum, retulit in hoc ipso statim libro mei honoris caussa. Quam quàm ego inibi tamen etiam Dorcada non recipio. Sed cùm mihi pleraque omnia placeant in Hermolai scriptis, tum illud in primis, quod vtique sentit, quanta in perplexitate versemur librorum enarratores, quos & barbaria confudit, & veritas obscurauit, vt vituperandi non sint, quorum etiam sedulitas retrahere illa non potest, quæ maioribus nostris (vt Varro inquit) ademit obliuio fugitiua: digni magis æternis honoribus,

Dionysi de situ orbis à quo conuersus.

bus, qui hæc assequi, tam remota, támque obliuia quoquo modo potuerunt: quò minus ferendi, qui vel se, vel alios refelli talibus in rebus ægrè ferunt. Contrà ego profiteor tam magis reprehensoribus debiturum, quàm magis errasse me docuerint. Etenim, vt idẽ testatur Marcus Varro, non si non potuero indagare, eò ero tardior, sed velocior ideo si quiuero. Non mediocres enim tenebræ in silua, vbi hæc captanda. Tantum illos nec ferre interdum, nec dissimulare possum, qui de me tacent, & mea suppilant. Vale mi Pice. In ruſculo Fæsulano, VI. Nonas Maias. M. CCCCLXXXXIIII.

ANGELVS POLITIANVS
Pico Mirandulæ suo
S. D.

QVAM vellem te quoque hodie nobiscũ Paulus Vrsinus imitasset ad epulas, vir vt in omni militari gloria celeber, ita nec abhorrens à litteris, nec à litteratis. Filiolus est illi Fabius vndecim natus annos, insigni cum pulcritudine, tum virtute. Flaui puero crines in terga molliter fluentes, alacres oculi, facies liberalis, vultus ingenuus, status elegans, decorus habitus, atque is militaris. Vt ergo discubuimus, canere quædam iussus notata Musicis accentiunculis carmina simul cum peritis alijs statim suauissima quadam voce sic in aures nostras illapsus, imò verò in præcordia est, vt me quidem (ceteros nescio) penè extra me rapuerit, certè sensu tacito diuinæ prorsus cuiusdam voluptatis affecerit. Pronuntiauit heroicum deinde carmen, quod ipsemet nuper in Petri Medicis nostri laudem composuerat. Id ab ipso reuera, non (quod ego tamen suspicabar) ab alio factum, signis euidentissimis, argumentisq; postea cognoui. Roges quale carmen: quale ferè nec meum dici sanus recusem.

Puerum Fabium laudat.

ſem. Vox ipſa nec quaſi legentis, nec quaſi canentis, ſed in qua tamen vtrunque ſentires, neutrū diſcerneres: varie tamen prout locus poſceret, aut æqualis, aut inflexa, nunc diſtincta, nunc perpetua, nunc ſublata, nunc deducta, nunc remiſſa, nunc contenta, nunc lenta, nunc incitata, ſemper emendata, ſemper clara, ſemper dulcis, geſtus non otioſus, non ſomniculoſus, ſed nec vultuoſus tamen, ac moleſtus. Roſciolum prorſus aliquem diceres in ſcena verſari. Poſtularunt ſubitò quidam carmen, vt illud in proſam retexeret, & oratione ſoluta totum rurſus vt argumentum colligeret. Cunctatus paululum quaſi deliberabundus cœpit mox dicere verecundè quidem, ſed tamen admirabiliter. Et fluebant ex ore tenello verba lectiſſima, tanto curſu, quantū facilè nec ſtylus ipſe ſubpeditat. Miraris hæc Pice? dabo aliud maius, maiusque quod mireris. Impleuerat hoc iam munus, & eum pater iuſſerat ibidem cibum capere ſtantē, non enim ſolet aliter. Iam ſecundæ menſæ, cùm proponere iubeor quot, & quæ argumenta epiſtolarum velim, quas, ille ſimul pluribus dictaret ex tēpore, propoſui quinque duntaxat (non enim plura libuit, ne fortè puerum fatigarem, plura ille tamen blandè adhuc depoſcebat) ſed quæ propoſui nata ibidem ſtatim ſunt varia, noua quædamq; ridicula, ſic vt ad ea cōparare ſe prius nō potuerit. Collocati quinq; igitur per ordinem librarij cum ſtylis, & pugillaribus, excepturi quod ille dictaſſet. Conſiſtit in ſummo puer terram intuens modeſtè, cogitat aliquantulum, mox tamen oculos attollit, imperat ei qui ſummus conſederat, vt iam ſcribat: vbi pauca dictauit, innuit & ſecundo, dictat & huic alterū argumentum: pergit ad ceteros deinceps donec ad infimū: rurſus quoq; ad primum reuertitur ſa-

ciens

ciens quod omiserat, fulciens quod pependerat: dissidebat ibi nihil, claudicabat nihil. Ita sæpius in orbem remeans, epistolas vno tempore (quis credat?) quinque absoluit. His actis equos conscendimus, vt concurrētes hastatos, ínque ijs Petrum Medicem nostrum spectaremus. Ibi res accidit, quæ sicuti me statim maximè turbauit, ita diuinitatem penè quandam postea pueri huius ostendit. Vehebatur equo Fabius, quo plurimùm delectatur, pulcerrimo illo quidem, sed qui nimium fræno repugnet. Hoc persultare campum solet, hoc decurrere, citat, flectit, vt scienter, ita ferociter. Ibat ergo mecum sermonibus captus, ac fabulis inhians litteratis, auresq; mihi penitus, animumq; dediderat, cùm repentè collapsus equus in limite quodam super equitem ruit ipsum resupinus. Clamat puer, quiritatur, vt in extremo periculo: accurrunt vndiq; famuli, pro se quisque, subleuatum: quorum vnus etiam dum salit incautius, sibi miser crus defregit. Plena omnia tumultu, me terror, horror obstupefecerant. Pater adest, hortatur animo bono sit. Ille vbi patrē videt (vt generosi spiritus facilè indolem cernerens) nullum vltrà clamorem, nullos gemitus edere, tantum hortari pedetentim, cautímque agerent, ne fortè ipsum grauius dum consurgere conatur, equus affligeret. Abscisa igitur cingula iacenti equo, subtractúsque ita Fabius, nobis multū pauefactis incolumis restitutus: quanquàm tamē vexatus nonnihil, atq; ob id in ædibus deinde relictus. Ego vix mei compos omisso spectaculo, nec mihi ipsi adhuc de salute pueri satis credens, domū sum reuersus penè attonitus, ac periculi tanti metu quasi præsentis exanimatus. Habes diei vnius historiā de Vrsino Fabio, qui si superstes fuerit, ætatis q; numeros (quod ille sinat Deus) impleuerit, si iā quo gradu cœpit, ad excellē-

cellentem gloriã perrexerit, auguror euasurum talem, qualis tu solus mi Pice nostro sæculo esse videris: hoc est, vt eum quoq; propter admirabilem virtutẽ mortales omnes, tanquam si cælitus demissus, venerentur. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Pico Mirandulæ suo S. D.

QVOD honoris mei caussa tu quoque sederis inter auditores meos, non habeo gratiam. Nam si placui, iam retuli: si non placui, nec debeo. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA
Angelo Politiano S. D.

NARRABAS mihi superioribus diebus, quæ tecum de ente, & vno Laurentius Medices egerat, cùm aduersus Aristotelem, cuius tu Ethica hoc anno publicè enarras, Platonicorum innixus rationibus disputaret, efficaci adeò vir ingenio, & multiformi, vt videatur factus ad omnia. In quo illud præcipuè admiror, quòd cum sit semper in Rep. occupatissimus, quasi tamen otiosissimus litterariũ semper aliquid aut loquitur, aut meditatur. Et quoniam qui Aristotelem dissentire à Platone existimant, a me ipsi dissentiunt, qui concordem vtrisque facio philosophiam: rogabas quomodo & defenderetur in eare Aristoteles, & Platoni magistro consentiret. Dixi quæ tunc mihi in mentem venerunt, confirmans potius quæ tu Laurentio inter disputandum responderas, quàm nouum aliquid efferens. Sed non tibi hoc satis. Efflagitas enim, vt quanquam de ijs fusius in ipsa, quam adhuc parturio, Platonis, Aristotelisq; concordia sim scripturus, breui tamen ad te commentariolo perstringam ea, quæ tunc tibi coram de hac quæstione sum locutus, cum forte & Dominicus Beniuenius adesset, vtrique nostrum pro sua & doctrina, & integri-

Platonis & Aristotelis concordia.

tas

gritate cariſſimus. Ego verò negare tibi quid poſſum, in re præſertim litteraria ſocio penè dixerim indiuiduo? Liceat autem mihi per te linguæ politioris vindicem verbis vti quibuſdam nondum fortaſſe Latij iure donatis, quæ tamen ipſa rerum nouitas, & quædã propè neceſſitas expreßit, nec elegantioris ſtyli lenociniũ quæras: vt enim Manlius inquit, Ornari res ipſa negat, contenta doceri. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Pico Mirandulæ ſuo S. D.

ARSI penè ſemper nimis improbè forſitan, ſed arſi tamen ſemper ſtudio famæ perpetuæ, ſic vt pro nihilo diuitias, dignitatem, potentiam, voluptates habuerim, ſi cum ſuperſtite gloria conferrentur: ſed quoniam quæ ſcribebam, vix etiam vetuſtatem nominis pollicebantur, extitiſti tu Pice, qui, quod ego mihi non poteram, præſtiteris, dedicato commentario de vno & ente (ſic enim titulum facis) in quo riuos per Lycium decurrentes, & Academiam reuocas ad verum caput, & cum philoſophia magis vna, quàm gemina noſtrã quoque theologiam copulas. Quod igitur iam Glauci gramen requiram victurus æternum per te, ſed & tecum? Narrabit autem quandoque poſteritas fuiſſe olim Politianum quendam, quem tanti fecerit ipſe quoque Picus omnium doctrinarum lux, vt librum quidem nuncupare illi pulcerrimum de rebus altißimis non dubitaũerit. Ago itaque tibi gratias pro immortalitate, ſed immortales. Vale. Immortalitas nominis.

ANGELVS POLITIANVS
Pico Mirandulæ ſuo S. D.

CELEBRAVIT hodie noſtra iuuẽtus equitũ certamẽ haſtis cõcurrentiũ, quo mihi ſpectaculo carere penè Certamẽ equitum.

non licebat, certè non libuit. Etenim plerique certatorii de schola nostra prodierant, tu tamen à me solos fieri poëtas, aut oratores putas: at ego non minus facio bellatores. Et vicerunt omnino quos optabam, Petrus Medices, ac Laurentius Tornabonus, noster vterque nõ discipulus modò: sed & alumnus. Duplex ibi palma, priorémque Petrus, alteram Laurentius abstulit, sed insigni tamen populi totius acclamatione, plausúque multiplici: videlicet admiratio quædam suffragabatur, quòd primæ nobilitatis iuuenes aliàs in toga, & foro conspicui, cum militibus exercitatissimis concurrerant, & eos in ipsorum (quod dicitur) arena superauerant. Scis autem quàm gratus multitudini sit, & ciuibus Petrus noster, non minus iam sua, quàm familiæ gloria, scilicet in quo patris ingenium, patrui virtus, patrui magni humanitas, aui probitas, proaui prudentia, pietas abaui reuiuiscit: omnium verò maiorum suorum liberalitas, omniúmque animus. Sed & ipsi Laurentio mirè fauetur, nõ ob opes modò, & nobilitatem, quanquàm ob has etiam: verùm multò magis quoniam cum Petro assiduus est, vtpote cõsanguineus, vtpote simul educatus, vtpote fidissimus. Itaque sicuti rem numerariam curat eius vniuersam diligenter, cautè, fideliter, ita diligit ipsum vehementer, sic tamen vt colat, & imitetur. Est enim Laurentius quoq; doctus admodùm lingua vtraque, poëtarúmque, vel ex tempore. Dat & Musicis operam, vires etiã corporis exercet, omniáq; feliciter, vni Petro longè concedens, id quoq; feliciter, vt qui plus ei fauet etiam quàm sibi. Deniq; cùm receſſeris à Petro, nihil apud nos inuenies Laurentio placidius, mãsuetius, dulcius, nihil etiam blandius, humanius, benignius, postremò nihil modestius, candidius, amabilius. His igitur artibus celeberrimi iuuenes fauo-

Petrus Medices.

Laurentius Tornabonus.

fauorem colligunt, plausus excitant, acclamationes eliciunt. Optarē profectò tu quoq; adfuisses nobiscū: quāquàm popularia ista vos philosophi magni contemnitis, mihi tamen philosophastro adhuc venia dabitur credo, si pluris id spectaculum feci, quàm tuum quoque conuiuiū. Tu certè, cuius hodie vocatores fefelli, scio dabis facilè: nam (si te noui) non minus libenter hanc à me accipis epistolam, quàm me accepisses conuiuio. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Ioanni Pico Mirandulæ suo S. D.

CVM superioribus diebus enarrarem Florentinæ iuuentuti Rusticum nostram, cui tu quoque poëmati nonnihil tribuis: & ad eum iam locum deueniissem, quo lunares dies Hesiodum secutus, alios alijs aut inspectionibus, aut operibus tribuebam: dubitare mecum cœpi doctißime Pice, nunquid istiusmodi tam veteres obseruationes à naturæ causßis, an à vulgi magis credulitate profectæ sint. Quare quoniam tu nunc librum cùm maximè componis aduersus astrologos, multiplici doctrina, magnisq; argumentis instructum, quibus hæc esse vel propria, vel certè finitima videri possunt, adeundus præcipuè mihi es, qui præscribas quatenus his antiqui vatis legibus, quas iam nostras imitatione fecimus, obtemperandum sit. Ac ne tibi grauioribus, & quasi sanctioribus litteris occupato, requirendi, relegendiq; Rustici poëtæ onus imponam, breuiter hac epistola cōplectar, & quid ille prodiderit, & quas ego vel rationes, vel causßas partim de Procli, ceterorūnque lectione, partim verò de mea cōiectura posse videar afferre. Summa igitur est Hesiodi partitio, dies vt alios admittat vel ad inspiciendū, vel ad efficiendum, rursus vt alios velut emortuos prætereat. Tres tamē Iouis appellat, vt pri

Partitio dierū secundum Hesiodū. Dies tres Iouis.

Vnitas. primum diem mensis, quartúmque & septimum. Primum puto, quoniam princeps vnitas numerorum, principiúmque omne diuinum (sicuti Plato docet) ex quo mensis apud Orpheum μονόκερως μόσχος dicitur. Quartum verò quoniam in eo rationes omnes musicæ continentur, quæ de numerorum proportionibus euocãtur, quarum prius in vnitate semina latitabant, ex quo veteres eum Pana vocabant. Septimum denique, quoniam sola hunc numerum producit vnitas, qui tamen & quaternario congruit, propter quadruplam proportionem, quæ videlicet in vnitate, binario, quaternarióque reperitur, et omnino inter hos numeros Arithmetica est proportio; sed quaternariũ nuptijs accommodat, quoniam de binario nascitur, siue componas eum, siue ducas in se. Porrò binarius fecundus appellatur: estque dũtaxat inter duos matrimonij copula, quòd illa tamen quam diximus harmonia præ ceteris indiget. Sed & denariũ instituit quaternarius, modò partes ipsas inter se iunxeris, qui primum limitem cludit, ac perfectissimus habetur. Iubet itẽ vates quarto die naues ædificari, fortasse quoniam soliditas natura quaternario debetur, sub quo videlicet tria, superficies, linea, punctum comprehenduntur. Idémque primus est numerus pariter par. Nec à nauibus construẽdis abhorret harmonia, sic vt Homerus Harmonidem quendam putetur ob id appellasse. Septenarium tamen etiam sacrum vocat, Hesiodus, vt in quo natus Apollo sit, vt ipse ait, atque ob id arbitror constare septenis fidibus Apollinis lyram. Sextum puellis inutilem, maribus generandis vtilem perhibet. Credo quòd à binario, ternarióque nascitur, hoc est, à femina, masculóque: in eo masculus tamẽ pollet, vt ex cuius partibus ipse resultat. Itaque tum maximè castrare agnos iubet, vt plane videlicet

Id est, vnicornis vitulus.

Pan.

Binarius fecundus.

Denari⁹.

Harmonides.

Septenarius sacer.

Sextus.

licet emasculentur, sed & includere septis pecora, quo scilicet perfectus numerus (talis enim senarius, etiam vt suis æqualis partibus) ipsum quasi recenseat numerum. Cauillis etiam, mendacijs, blandimentis, & clancularijs omnino susurris hunc diem dedicat: quoniam Lunæ facies ipsa quoque tunc mentitur, vtpote quæ diuidua videtur, cum tamen ex æquo lumen, vmbrámque non habeat. Octauum laudat, vt operibus efficacem, suibúsque VIII.
tamen, & bubus castrandis accommodat. Est enim primus hic cubus, cuius interualla tria sunt: ideóque Neptuno sacer, cuius insigne tridēs, cui maximè verres, ac tauri cæduntur: quoniam sistere impetum creditur: itaque Id est, firmus.
contra terræmotus etiam colitur, atque ob id ἀσφάλειος appellatur. Nonum vocat innoxium, pangendis arboribus aptum, gignendisq; liberis. Hic enim primus ab impari quadratus, in cuius etiam radice principium, medium, finisq; sit: sed & componitur è cubis duobus, hoc est, ex vnitate, & octonario: quorum alter reuera cubus, in altera cubi semen. Tum sibi rursus adijciens vnitatem, numerum creat plenißimum, quo limes ipse tandem numerorum primus excurrat, vt meritò tot eum priuilegia genituris, incrementisq; præfecerint. Vndecimum meßi, XI.
tondendisq; lanis: sanè quoniam secundi limitis initium, quo Lunæ maximè lumen augetur, idque lumen ipsius esse vel pabulum, vel indumentum non absurdè dixeris. Huic tamen duodecimus præfertur, vt quòd initium XII.
præ se agat incrementi maioris: sed & numerus ipse nouenarium cum latere continet, repetitúmque senarium perfectum, sicuti diximus. Est verò deorũ quoque numerus. Tot enim colligit Ennius geminis versibus: hoc igitur telæ congruit, vt cuius causſa tonsura peragitur. Igitur in hoc araneus (vt ipse ait) fila sua net, in hoc &

ex aceruo formica prædatur. Castrari quoque mulos
Animalia dijs sacra. eodem præcipit. Mulis enim Lunam fabulantur inuehi: bos quippe Soli sacer, asinus Typhoni, qui terrestris deus. Inter hos media Luna est vtriusque particeps, hoc est, obscuritatis, & luminis. Sed & numerus est hic primus impariter par: itaque progressum quasi sistit, quod & domitor facit, & vt mixtus numerus, ita mixtum est
XIII. animal. Tertiusdecimus conserendis arboribus idoneus, quòd (vt ait Plutarchus) insita vis radicibus pleniore iam lumine diffunditur. Idem seminibus iaciendis incommodus, quòd iactum semen pluuijs magis adiuuatur, vt
XIIII. computrescat, & germinet. Quartusdecimus & ipse sacer dictus, feminis gignēdis, bubúsque, & ouibus, prætereáque mulis, canibusque mansuefaciendis laudatur, in quo sit & dolium degustandum. Dies hic luminis videlicet, vt in quo Luna sub occasum solis oriatur. Tenet & dimidiam partem numeri, quo suum Luna peragit orbem. Perfectio verò circuli totius in semicirculo, præsertim tamen in Luna, cuius a medio sint incrementa vtrinque, & decrementa: & humidius lumen est, ideo
XVI. feminis conuenit. Ita sextusdecimus quoque maribus magis, quàm feminis congruit, quòd est eius tepidius tunc, & minus humidum lumen: vnde nec habilis plantationi, quòd germina non euocet. Nec idem nuptias amat, vt in quo Sol à Luna procul abest, vt ob id Athenienses
Theogamia. Lunæ silentio Theogamia celebrarent, quasi naturales hæ sint nuptiæ, cùm Sol ac Luna coëant. Decimoseptimo cædi arbores tempestiuum, quòd decrescere Luna
XVII. incipit, & humor qui cariem faciat, imminuitur. Comportari quoque iubentur in areā fruges: quoniam venti post plenilunium surgunt, quibus a grano palea ipsa,
XIX. & gluma discernantur. Vndeuigesimi pomeridianum

tem-

tẽpus duntaxat in transcursu laudatur, quòd tunc Athenienſium more ciuitas luſtrabatur. Vigeſimus ideo magnus opinor vocatus, quòd è tribus portionib⁹ ipſe duas occupauerit. In quo gigni prudentes ait, & gnaros: fortaſſe quoniam ſatis ille doctus haberi poteſt (vt ſunt humana) cui plura ſint perſpecta, quàm ignorata. Vigeſimuſquartus mane, quàm veſperi laudatur, fortaſſe quoniam veſperi iam vigeſimæquintæ coniungitur: vt enim quartas omnes laudat Heſiodus, ita quintas vituperat. In quibus errare furias, & vindicare periuria teſtatur. Hunc enim Pythagorei numerũ iuſtitiæ tribuebant. Vetat autem vigeſimoquarto die cõficere animũ curis. Nõ quòd idem ceteris quoque diebus facere non ſit vtile, ſed quòd ſacris potißimum diebus retinenda ſit animi trãquillitas. Trigeſimus quoque laudatur, in quo ſit lunæ coitus, qui veritatis imago creditur, vt cuius propria ſit vnitas, ſicuti mendacij multiplicitas. Præcipit igitur, vt opera inſpiciamus, & cibaria familiæ diuidamus, hoc eſt (vt arbitror) quod Latine demenſum vocabatur. Tunc enim ceſſatur ab opere: quod & formicam facere dicunt. Eſt verò vulgatum præceptum, quæ ſunt vſui faciendo operi, præparanda eſſe cùm vacamus. Sed proceſſit epiſtola longius, & vides quàm multa cõprehenderim, quàm paucis, quæ mihi tamen ipſi vix interdum probantur. Quamobrem te rogo, dicas ad hæc aliquid abſtruſum, remotum, & (vt Horatij verbis vtar) inſigne recens, adhuc indictum ore alio, quod potes vel in epiſtolam (quod commodo tuo fiat) colligere, vel ſi hoc ratio ſtudiorum tuorum non patitur, in aliquam noſtram (ſicuti ſoles) longiuſculam deambulationem conferre. Mitto etiam ad te Græcum hoc epigramma, quod effutiui nuper, aſtrologis iſtis tuis iratus, qui cũ profeſ-

XX.

XXIIII.

XXV.

XXX.

Demenſum. Formica.

sione ipsorum rixantem, diutius etiam quàm velim, rurè te remorantur. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Scalæ suo S. D.

EGI tecum liberius (ita enim soleo) qui quoniam tu culicem muliebri genere, quod contrà virili decuit, vsurpauerat in epigrammate, luserim sic ex tempore Culicis verbis.

Non sum femina Scala, nec Latinis
Nec Græcis, ideo placet puella.

Quos tu meos versiculos alijs eiusdem generis remuneratus es, bellis me hercules, & facetis, sed in syllaba tamẽ vna, & altera negligentibus, vt in quibus hoc sit: Congressum petis sic meæ puellæ. Rursusque: Sed tu ni caueris, scio iacebis. Possis tamẽ in priore, sicuti veteres illi solebant, cùm fluerent adhuc lutulentiores, elidere S literã: quod hendecasyllabis tamen puto nõ licet, sicuti nec hexametris iam liquidioribus: nisi tu grãmaticis credis, parum doctè putantibus ita legendũ esse apud Maronẽ: Inter se coijsse viros & decernere ferro. Sed & illa videntur ἄκυρα, citare somnum, bonã cutem ferire: sicut ὑποσόλοικον, Pasce meas carnes, pro illo, vescere meis potius carnibus. Ceterùm, quoniã tu versiculos ais istos ad imitationem te feciſſe Græci cuiusdam epigrãmatis, libuit etiam mihi nunc epigrammate Græco tueri causam Culicum. Quod an quibusdã placiturum sit, nescio: imò planè scio non placiturum, quia non transmarinum, quamuis ipsi quoque iampridem (sicuti vides) transmarini homines mussent. Vale.

S litera in carminibus.

Id est, im propria

Id est, sub solœcũ, & fere solœcismũ subabsurdum.

Τοὺς κώνωπας ἐρᾶν μᾶλλον πρέπει, ἢπερ ἄνδρας
Φύτας τῶν γονίμων ὡς κύπρις ἐξ ὑλάτων,
Καὶ μιμηταμένους ἀερσιπότητον ἔρωτα

Epigr. Gr.

Εἰρεσίην πλερύγων, ζῆλ τ' ἔμεν ἁιμοτόκας,
Τὸν κῶμον τ' ἄδλοντας ἐγερσιγύναικα, πλανήτην
Λίνῶς ὑπναπαῶν ἱεμίνους ὀάρων,
Ες λίχθ ἐμπλαίοντας, ἰσ ἀυτοὺς πολλάκι μασθὸς,
Καμφαφόοντας ὅλης ἁφια θηλυτέρης,
Ψάυοντας χειλῶντε καὶ ἐκμυξῶντας ὀπωπῆς
Μαρμαρυγὰς, γλώσσης τ' ἤρίμα γευομένους
Αγρύπνους, ἰταμὸς, σκοτοδερκίας, ἆρα τίς ἀνδρῶν
Οσαγε κώνωπες λίγμαθ' ἕρωθ ἴχας

Culices amare magis decet, quàm viros,
Productos fertilibus vt Venus ex aquis,
Et imitatos altiuolum Amorem
Remigio alarum, vt sint sanguinis potores,
Comum cantantes suscitatorem mulierum vagum
Grauiter somno captarum cupidos mulierum,
Ad lectum inuolantes, ad ipsas sæpe mammas,
Et contrectantes totius membra effeminatioris,
Tangentes labraq;, & exugentes faciei
Splendores, linguamq; paulatim gustantes,
Vigiles, impudentes, tenebris videntes: nunquis virorum
Quanta sanè culices signa amoris habet?

BARPTOLEMAEVS SCALA
Angelo Politiano suo s.

AGO iam errori illi meo, quo feminino appellaui culicem genere, gratiam: & quòd caussam dedit tibi elegantissimo disticho illi hendecasyllabo admonendi mei, & mihi vtcunque respondendi. Fateor vix putaui vt quidquam succederet adeò inexercitato, adeò id carminis genus ignaro: sed ridicula ego non minus forsan ipse ridiculus sum persecutus. Vale.

BARPTOLEMAEVS SCALA
Angelo Politiano suo s.

NIMIS emunctæ es naris Politiane. Non scribuntur (mihi crede) nostratia hæc tibi, qui ad antiquitatem plane accesseris propius. Nos quoque populares ista, & qui nostra hac mediocritate elimandi quæ scribimus, cõtenti sunt. Quid enim istis tuis eruditissimis auribus cõuenire potest? Quid iudicium implere tuum quæso? Te tamen vide, nequando vel iniuria acrior esse accusator scriptorum alienorũ videare, consuetudine docendi credo, qua Florentinam iuuentutem tot iam instruis annos, reddisq; pro viribus meliorem. In hendecasyllabis in tuum culicem meis, nondum à me editis, quædam carpis festinantius, mea sententia, quàm grauem virum deceat. Non quòd refugiam, fastidiámque limam tuam, qua nihil accidere talibus in rebus quidquam potest optatius: sed nescio quomodo præcox illa (vt ita dixerim) vilescere sic videtur seueritas. Mitto verò alia, quæ legeris posteà forsan emendatiora. Illud rigidius à te castigatum est, quàm é re fuerit. Solet amor mutuus etiam, quæ minus firma posita sint, vt quandoque accidit, excusare, et munire. Tu contrà, quod rectum est (vt mihi quidem videtur) intorques. Citare certè mouere est, verbum (vt puto) à cio per frequentiam significandi factum, vnde concito est, & incito, & oscito, & excito, & alia huiscemodi, in quibus est omnibus commouendi vis, qua nihil somno est magis contrarium: siquidem otiosis alisolet, & quiete, quæ & ipsa somnus est, auctore Virgilio, apud quem Venus placidam per membra quietem irrigat. Non satis video, cur citare somnum non sit commouere, & turbare. Adde quòd quantùm ego nouerim, nemo de somno inducendo sic, vt tu interpres esse vis, nunc loquitur. Veruntamen si displiceat, velim mutes, fugere sit pro citare. Fit aliquando difficilis mutatio, si quid

Cito. Concito. Incito. Oscito. Excito.

Quies. Somnus.

quid demseris: vt quod quadret reperias, hîc nihil negotij fuit. Non placet, pasco meas carnes, nec tam bonam cutem ferire. Non miror, delicatior gustus est tuus, vix apposueris quod sapiat. Etiam acipenser fatuus erit, si inciderit in palatum. Sed paro hæc minus doctis, nõ Persio, quem & C. Lucius non curat sua legere apud Marcum Tullium. Volo ego quoque L. Decimum, qui hæc omnino non contemnat, vt rideam. Sic cum amicis in istis æstatis feruoribus, cùm otium est, non quod posteritas custodiat, & miretur, cudo, aut quod ditet informatores hos librorum, quorum tam cupidè quidam implorant operam. Græcum epigramma, quod ad me misisti, tanta inopia linguæ est Græce, vix verbis interpretor, nedum elegantiam perspicere possim carminis, sed puto tuum est. Vale.

Informatores librorum.

Venit nescio quid in mentẽ de Græco epigrãmate, postquàm hæc scripseram: vereor ne Venerem læseris, & eius filium ἀεροπότην, vt tu appellas: an ex aqua ortus culex, vt è mari Venus? Nisi Thaletem indicas, vix persuaseris: hiemis tempestatibus potius, aut veris aquosis magis natura ortũ oportuit: feruentioribus magis æstibus nascitur, sæuitq;. An tu amorẽ Deũ ita terrificũ numen, atque hominũ culici confers? Vide ne tibi quoque Palinodia opus sit, nec cæcus cantites. Quid age culici est rei cum mulieribus, id est, cum hominibus? Amoris is ludus est, non fœdissimi insectuli, natiq; in sterquilinijs. Naturam melius imitantur figmenta poëtarum. Nam si ita libera fiant carmina, quid iam nõ carmen erit? Piscis mihi videtur Veneri magis similis, si originis captes similitudinem. Si volatus, Aquila: sanguinis verò jugendi hirudinis palma est. Nam & vespertiliones quoque, & Noctuæ, et id genus volantes in tenebris aues, viãt per

Id est, in aëre volitantem.

noctis vmbras, arbitror & quidem culicibus minus obscuriter, magis forsan appositè cæcum induxeris, si Cupidini comparandum putas. Nam quod ais eum mulierũ excitatorem, aduertas & hîc licet, ne Comum tu alterum numen offendas, cuius officium id esse Græci putãt. Neque culice Cupido indiget adiutore, fratres habet sedulos eius officij ministros. Homini tu quoque ipsi tandẽ in amando præfers culicem. Ridiculum est, dabunt veniam. Sed tu videris melius. Ego sic indoctè, sicq; amicè garrio. Iterum vale.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Schalæ suo S. D.

OFFENDIT (vt video) te nimis, quòd in tuis versiculis de culice quædam parum probauerim, quo etiam nomine me nimis acrem vocas accusatorem scriptorum alienorum: nec grauem satis virum putas, quòd festinantius carpserim, quæ necdum fuerant edita. Tu negas ista tua scribi mihi nimis videlicet emunctæ naris, & cui sit fatuus vel acipenser. Veteris idem vulgata, & publica iudicum reiectione, quæ sit apud Lucilium: sed & tentas quædam tueri contra meam sententiam, cùm de ceteris taceas: arcésque denique à tuis etiam scriptis ipsam posteritatem, nec vel eis omnino parcis, quicunque suas vigilias formis istis nouitijs excudunt. Post hæc tandem ludis in epigramma nostrum, quod ad te Græcè scripsimus. Pudet igitur (vt verum fatear) me rescribere ad hæc tam leuia. Sed vt tibi satisfaciam, respondebo tamen. Offendi Scala te nõ oportuit amici magis officio, quàm, vt tu parum benignè interpretatus es, accusatione: scilicet qui secum non ita dixerit (vt est apud Horatium) Cur ego amicum offendam in nugis? quoniam videlicet sequitur: Hæ nugæ seria ducũt. Nam quòd ita superscripsisti

pfisti litteris tuis, Angelo Politiano, monitori meo, & patrono: quanquàm subesse stomachus, & ironia quædam videri potest insueto titulo, tamẽ ego libenter homo simplex agnosco: propterea quòd & monui te sedulò, & contra malè sensuros exhibui patrocinium. Quòd verò edita negas, quæ iam publicasti, quódque ab ijs me reijcis, quæ scripta mihi tua manu misisti, mox etiam epistola dicasti, non queo satis mirari. Sed nec festinantius carpsi, qui pene serò te vt emendares admonui, quæ iam periculosè vulgaueras. Iam quòd in me grauitatem desideras, non est molestum, videlicet homo grauior etiam quàm velles: vt cui sit res (etenim liberius iocabor) diu iam cum podagra. Sed & grauitatem prorsus aspernatur culex iste tuus, qui nobis materiam scribendi præbuit. Nec insipidus mihi tamen fuit acipenser (vt ais) imò rana, & gobio: quos te mihi, non acipenserem posuisse, vel illud indicat, quòd & tu quædam ex ijs ipsis etiam conuiuator exspuisti. De illo autem citare frustra laboras, quoniam ne si mouere quidem somnum pro illo fugare dixeris, probabitur: sicuti nec auctores ipsi fugantur, qui quidem citantur. Nec rursus qui fugatur exercitus, is ideo citatur. Vt autem bona cerura, bonam formam puellæ dixerim: sic bonam cutem facilè non dixerim, sed nitidam potius, teneram, beneque curatam, quanquàm hæc duntaxat impropria. Minus illud ferendũ, pasce meas carnes, quod tamen sine auctoribus defendis. Ego certè ne trivialibus quidem litteratoribus, vt ita loquantur, permiserim: sicuti nec vt hendecasyllabos duodecim, tredecimque syllabarũ faciant, quales in tuis nonnullos reperies. Certè stridaculum tibi, & clangacem, quæ nunquam lecta sunt apud idoneos, ideo concedimus, quoniam Persio te non scri-

Scala podagricus.

Citare.

Fugare.

Bona cutis.

Stridaculus.

Clangax.

scribere testaris, & posteritatis negotiũ nõ curare. Sed heus tu, quæ tandẽ inuidia est, ideo quoniam tuas ipse prædamnaueris, nos vigilijs nostris fidere nonnihil, ac dare formis propagandas, quæ sic flagitentur, celebrentur, laudentur à doctis, eædemq; rursus (quod fortasse non minus optandum) ab indoctis vituperentur? Non enim (quod tu putas) operam nos librariorũ, sed illi nostram potius implorant, dum suum compendium sectantur. Venio nunc ad epigramma, cuius elegantiam perspicere te negas (vt homo es modestus) ob inopiam Græcæ linguæ: sed putare tamen ais esse meum, quod in vtram partem mihi sit accipiendum, non video. Nec enim adhuc scio, de nostro ingenio quid omnino sentias. Cauillaris tamen, & quasi totum mox vellicas argumentum, verisq; ne Venerem læserim, ne Cupidinem, quòd cum ijs culicem cõtulerim. Læserit ergo Troianos pariter Vergilius, quòd formicis: læserit & Græcos Homerus, quòd eos muscis comparauerit. Nec verò putas ex humore natum culicem, quem Vergilius idem vocat humoris alumnum: cuiusque gratia conopœum illud Aegyptijs militibus, vtpote paludosis exprobratur: nec rursum quòd æstate magis comparent, ideo non ex aqua nascuntur, nisi si stagna tam penitus ebibi credas. Illa certè nimis friuola, sed & nihil ad rem, quæ tu de piscibus, aquila, noctuis, hirudine cõgeris. Non enim ideo non ex aqua culex, quia sit & piscis ex aqua: nec ideo nõ volat ille, quia volet altius Aquila. Nec ἀερσιπότης Aquila, sed Araneus vocatur ab Hesiodo. Nec item abest à suctu sanguinis culex, quòd hoc sit magis hirudinis. Nam certè hirudini comparat amorem Theocritus, nec amorem creditur offendere. Denique eôdem pertinent, quæ tu de Noctua, quæ de Como subiecisti. Nos autem

Conopœum.

Id est, in aëre volans.

autem non piscem, non aquilam, non hirudinem, non etiam vespertiliones, & noctuas, non illum postremò comessationis deum, sed omnino ipsum tuum culicẽ tractabimus. Nec item si pastor quidem apud eundẽ Theocritum, cæcum dixit esse amorem, propterea nos eum quoque velut exoculabimus, cuius etiã sunt (vt ait Moschus) ὄμματα ἀριμύλα καὶ φλογόεντα. Iam ne illud quidem absurdum est, vt homini culicem præferamus, quando hoc semel argumentum susceperamus in amoribus: vtpote qui columbis quoque cedant, lepusculis, gallinaceis, cuniculis, passerculis. Nec si sit argumentum poëtæ, contrà quàm natura ferat susceptum, ideo minus artis habebunt, quæ suscepto semel argumento respondeant, quod & Culex Vergilianus, & ipsa Homeri Batrachomyomachia declarant. Ac de ijs hactenus. Non enim satis mihi digna videntur, in quibus opera diutius nostra ponatur, videlicet ne fiat Elephantus è culice. Tantùm illud addidero, nihil me habere obscurum, nihil fictum, nihil clancularium, nec eorum blandimentis præsentem capi, qui facilè obtrectent absenti. Placet enim mihi illud Homeri: Oculi acres & flãmantes.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ. Vale.

Hostis enim mihi ille perinde ac inferorum portæ,
Qui aliud quidem celat in præcordijs, aliud verò dicit.

BARPTOLEMAEVS SCALA
Angelo Politiano suo s. d.

VIX adducor vt credã hanc postremã, quam ad me misisti de culice epistolã tuam esse. Leuior est, morosior est, suspectior est, vanior tandem. Aliquis credo ex tuis discipulis, dum tu in penetralibus istis philosophiæ versaris, & contẽnis ista leuiora, id sibi muneris respõden-

di mihi desumsit. Non sapit salem tuum, multa miscet, omnia confundit, nihil probat. Aut ego fallor. Tuo nomine indigna est. Ferunt præ se tua nescio quid tuum, id est, expolitum, candidum, luculentum, elegans. Quid multa? Tuum. Tu quoque si incideris in hendecasyllabos, vna plus, alteráue syllaba, meos esse scies, vt ego quoque habeam meum aliquid. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Scalæ suo s.

Si tibi reddita est illa ipsa epistola, quam dedi, non est quod dubites, quin mea sit. Quæ si te tamen nimis læ sit, in caussa tuæ sunt aures, quas habes profectò nimis teneras. Soletis enim quidam blandiri semper inter vos, & quod dicitur, mutuum scabere: nos ediuerso sicuti verum libenter audimus, ita facilè dicimus. Sed & clamas, penè dixerim rabiosius in epistolam meam, quo tamen ego non modo non offendor, sed & propemodum delector, vt qui videam tui iudicij rem non esse. Nam de epigrammate si quæris quid sentiam, similimum ceteris tuis est, & omnino (quod dici vulgò solet) eiusdem farinæ. Vale.

BARPTOLEMAEVS SCHALA
Angelo Politiano suo s. d.

HESTERNO die vesperi redditæ fuerunt mihi litteræ ex Fæsulano tuo: et quòd erat aliquid mihi cũ podagra negotij, quæ dextrã manũ pro arbitrio (vt sæpe solet) cruciabat, nec tũ quidem amanuensis alicuius copia erat, differebã in aliquod felicius tempus respõsum. Iam cenauerã, & captabã somnos attẽtus, prius verò quam cũ somno venirem in gratiã, voluebã (vt fit cùm aliquid curæ impendet) cum animo, sic respondendo, sic agã, hoc sic diluã. Illud rectum est, & sapit barbatum magistrum.

Sed

Sed nihil lædere Politianũ potest. Num amicus est? num bonus vir? num etiam apprimè eruditus? Num ex Mediceo tandem communi gremio, etsi meritis valde disparibus, fortuna tamen pari, si illa defæuierit? quod dij prius omen in hostes conuertant. Non sunt monitis tuis teneræ meæ aures, auidas dixeris potius velim. Nec me precor ex quorundam metiare exemplo, qui vel tantillo dicteriolo commouentur. Error meus fuit, si fuit illa epistola tua. Id enim satis iam superq; est, si tua est. Nesciunt rectum videre: quidã ex amicis, qui etiam ante me lectitarant (nam tu non signatas mittis epistolas) tuam esse enixè asseuerabant. Hoc sic agebam. Nam quòd verum & audire, & dicere libenter solere vos scribis, ô faustã & felicem istam sortem. Perrarum est, at præclarũ: neq; qui id audiat, aut ipse dicat, facilè inuenire est, hoc quidem tempore: nam veritas odium parit, comico prouerbio: & hoc sic. Nam de epigrammatibus meis vt feras tuũ iudicium, opus non est, neque ea de caussa ad te scripsi. Satis ipse quàm curta sint illa quidem didici, & quidam familiares monuerunt: si sim in meis iudex iniquior. Volui ludere tecũ amicè, vt mos est meus, simul vt tu lætior tuis fieres, qui tantò te superiorẽ facilè cognoscerres. Illud mirabar, cùm ridicula penè omnia sint in meis scriptis, te tamẽ nihil ridere, neque tu ἀγέλαστος es, quod Græci vocant: qualis Crassus apud Romanos fuisse fertur, & apud nos vna familia, qui inde cognommantur, quod non rident. Sed arbitror, vos veri auditores minus ridetis, nugarum magis comes risus est. Sic agebã et ista, & oblangueſcere cœpit agitatio, sopore circumeunte. Itaque ea omissa, dormiendo indulgebam & aucupandis, & inescãdis somnis, quos mihi difficiliores & morbo cũ ille plus sæuit, efficere solet. Et ecce nocte ferè in-

Id est, à nullo alienus. Sangelasij apud Italos.

tempesta cùm obdormissem tandem, multa prius cum morosissimo deo colluctatus, venit ad me Merula: Et quid Scala, inquit, insanis? Tu cum Politiano certamen inis litterarium? Lætale est. Atque illinc ego ad te vmbra venio. Misit me verò Laurentius Medices ex alto cælo, vt te sic admonerem, tibi subtimens. Cùm hæc dixisset, cum vmbra pariter somnus discessit. Mi Politiane vale. Non insaniam profectò gratis, audacior tu quidem es, pugnacior es, sternacior es: milésque, & dux, neque ego resisto. Vale, & me serua amicum, & cultorem tui.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Scalæ suo s.

LITTERAS accepi tuas multò blādissimas, in quibus receptui canis, ac multa repetens recõciliare te mihi studes, quo nihil accidere mihi quidem potuit optatius. Nam quis nõ tecum malit officijs, humanitate, gratia, q̃ iniurijs, altercationibus, odioq; cõtẽdere? Nec ego profectò tã fuissem tuis respondẽdo litteris inciuilis, nisi te viderim nimis agi iã præcipitem, non dico aduersus nos (nam de nobis facilè est) sed omnino aduersus eruditos omneis. Itaque putaui beneficiũ tibi me facturũ, si te tibijpsi tanquam in speculo ostenderẽ, persuasioneq; istã scientiæ falsissimam de pulmone reuellerẽ: quæ facit, vt super ætatis nostræ doctos homines etiam veteres illos contemnas: quos tamen extra aleã tot sæculorum consensus diu posuerit. Non enim credo reputasti fortuna dulci nimis ebrius, tantundẽ te descendisse in litteris, quantũ ascenderis in honoribus: vt compensatione quadã paria tecũ litterati fecerint. Quod ad nos attinet, nec aspernamur amicitia tuã, nec inimicitias deprecamur. Tantùm illud breuiter testamur, vt tu fortunam, sic nos te Scala rejec-

Feremus. Vale.

BARPTOLEMAEVS SCALA
Angelo Politiano suo s.

MODESTIVS, vt mihi videtur, fecisti tandem, qui obsignatas ad me misisti litteras. Puto enim inter alias quoque caussas antiquæ huius consuetudinis signandarū litterarum modestiam quoq; ipsam non in postremis locum sibi vindicasse. Constitueram verò modum facere scribendi ad te, quia iratior semper in respondendo fueris. Sed vel Merulam inter ea potius, quàm ita modo vel amicitiæ, vel antiquitatis caussam indefensam siuerim. Mouit me videlicet impudens, da veniā, nescio quo appellem pacto, ista disputandi consuetudo. Fingitis, refingitis, machinamini, demolimini, asseritis, diluitis pro arbitrio. Quis quietus sit? quis non animo conmoueatur? Appellant te quidē Herculē, neq; te inuito, quod audio, vt puta qui tibi tēporis huius monstra, præsertim quantū ad litteras pertinet, superanda susceperis. O ego tardi ingenij, qui quid id rei sit nesciuerim hactenus perspicere! Nunc sensi, & video. Es tu quidem Hercules, vel multò etiā meliore conditione, quàm ille Iouis filius Alcides, quem imperij necessitas trahebat in periculū. Ille iussa adibat monstra, tu tibi ea confingis, instruisq;, vt superari à te queant. His demis arma, hæc eneruas viribus prius, quàm aggrediare, etiā quæ nulla sunt: & quæ tu pro ingenio effinxeris, euicta à te trahis in populare gloriam. Si placet, volo & ego indere tibi aliquod cognomentum. Volo vt sis mihi Hercules factititius, nomen certè factum ex re, habiturū apud te quoq; auctoritatē. Habeat ille sua nomina, habeat sacra, habeat cælum, nos hîc fortuna nostra glorietur. Quæso te bone vir, quid tibi cū amicitia, quid cū inimicitia, cū ridicularia, ita vt

nos fecimus, scribuntur ab amicis? An ita leuis est apud
Amicitia. te amicitia, vt vel leuissima etiam quaque de aura fluctuet? Constantior illa multò est, ac firmior: multò virtus elegantior, quàm quæ hos amicorum ludos pertimescat. Arbitror non tenere te penitus amicitiæ vim, quã quidem in animo constituisse sedes oportuit, & iecisse grauissimas ancoras, vt contra tempestatũ omnium vim illæsa, & quieta maneat. Quæ quidẽ ab amoris consuetudine nomen habet, vt quædã plebeiæ magis amicitiæ, & in horas mutabiles, ab amo esse appellatas duxerim: vt sunt illæ, quæ ob formã, quæ ob auaritiam, quæ ob ambitionem, ceteraq; peruersa animi desideria conciliantur. His cauendum est, ne vacillent. Illa stabiliora sunt, atq; vt rem facilius intelligas, velim induas patris alicuius personam, qui vnicum habeat filium, atque eũ quidẽ haudquaquã satis morigerũ. Nunquid ex omni erratulo abijciet? An vincet potius paternus amor: & quoad spes aliqua effulserit mutandorũ morum, tolerabit? Naturam melius & reliquæ amicitiæ imitãtur. Peruicacior est (vt ita dicã) vera amicitia, vix cùm vapulauerit, discesserit. Parũ multa scio esse hæc ad amicitiæ cõditionem: sed ipsa se melius tuebitur, quæ testis mihi est, de ea cunctanda tecum, aut minuenda, ne cogitationem quidẽ vllam in animum incidisse. Sed quid tu mihi antiquitatẽ narras? an ego non sum semper eam admiratus? Profer scripta mea, profer dicta. Non legisti (vt video) Apologum meũ de antiquitate, qui facile arguat hac in parte tuam de me antiquitatis opinionem. Nostrorum piget temporum, pudetque. Hoc ego scripsi, hoc asserui, hoc potes pro meo lacerare, si ita ferat impetus. Volunt tamen laudari quidã, & collocari inter diuina monumenta antiquitatis: non possum. Date quæso veniam. An ego

sum

sum tanti, vt istam beatissimam fortunam vestrã violem? Neque ego auidior gloriæ sum, gratius fecerit qui me præterierit, vt ego præteritum esse à vobis diu putauerã. Quid tu mihi fortunam, quid tu honores vitæ obijcis? Sed teneo in fortuna quid agas. Confingis tibi tuo more monstrum, quem deuincas. Cum honore meo difficilior tibi colluctatio erit. Veni nudus omnium rerũ bonarum, egenus ad Remp. vilissimis ortus parentibus, multa cum fide, nullis omnino diuitijs, aut titulis, nullis clientelis, nullis cognationibus. Cosmus tamen pater patriæ nostræ me cõplexus est, recepitq; in familiæ obsequia. Interea Florentinus populus ad prioratum me euexit, deinde ad vexilliferatum: tandemq; & in senatoriũ me ordinem, equestremq; collocauit, tanto profectò suffragiorum cõsensu, vt nihil esse factum vnquam popularius multi putarent. Extat & illa de me Laurentij Medicis præclarissima vox, qua nusquam collocatum melius fuisse honorem homini nouo testificatus est. Cum illo nunc tibi de honore meo agenti, cum Florentino omni populo res habenda est. Hoc ego affirmauerim, me multũ fuisse consecutum, plura quam aut putauerim, aut optauerim. Neque habui quod referrem, nisi fidei integritatẽ. Ea in me (volo esse vanus) semper fuit q̃ excellentissima. Atque hoc quoque asseruerim in calce epistolæ, nullũ me honorem sine honore gessisse. Respublica ipsa, resq; à me gestæ in magistratibus, citentur testes velim, Sed nondũ claudere possum epistolã. Irritant tua monstra. Nam illud quod scribis, vt reuellerem de pulmone scientiam, ex illo genere est, Herculis indiget viribus. Scribis in quibus receptui canis, ac multa repetens reconciliare te mihi studes. Sunt et hæc ex eodẽ genere mõstrorum

Barptolomæi Scalæ fortuna.

rum, quæ tu ad vanitatem alis. Quando ego non fui tibi conciliatus? quæ argumenta contra habes? non tuli te tam diu ita insanientem, ita insultantem, sæuientemq; pene in mortuum? Relege epistolas ad te meas, videbis vanam esse omnem reconciliationis mentionem. Sed vt video, de amicitia, vt suprà dixi, non rectè sentis. Apud me inuiolata est, atque maior multò ijs, quæ ita inferri possunt iniurijs. Receptui canis, inquis. ò præclarum duellum, De culice concertauimus. Canat signa, effundat se ad spectandum vniuersus orbis. Taceant deinceps Philenorũ aræ. Dent viam Curiatiorum, Oratiorúmque sepulcra. Culex maior est, quem tu ex aqua ortum inter monstra tua confingis. At Græcus excellentissimus poëta telluris animal appellat γάιης κνώδαλα διϖτέρυγα. Putauisti facturum te mihi beneficium, si tanquam in speculo me mihi ostenderes. Laruam tu mihi meam ostendisti, qua adeò ipse contremisco, si quando in eam incido necessarius, vt nihil magis ego iam de industria refugiam. Rectius feceris, si tu te aspexeris, quem ista ætatis deformitas non tangit. Multò id tibi erit vtilius, si ille contutus falsum de pulmone reuellit. Expurgaui iam mi Politiane virus, quod tuæ litteræ excitârunt. Redij ad me, quietus animus est meus, & de amicitia quod eam aliam facere posset, ne cogito quidem. Velim autem vt ad beneficium conuertas animum. Da mihi hanc veniam, vt hanc epistolam meam illi tuæ, cui respondetur, apponi cures. Nolo enim defraudare te tua gloria. Tu si durior fueris, quæcunque te caussa mouerit, mutaueris consilium meum. Adibo informatores hos librorum, & curabo ipse, vt & mea impressa legatur: quod non feci hactenus, nec putaui esse me facturum. Vale.

Id est, terræ bestias, binis alis præditas.

ANG.

ANGELVS POLITIAVS
Barptolemæo Scalæ suo s.

ACCEPI litteras tuas, nescio magisne virulentas, an ineptas, omnino tamen ridiculas, itaq; me magnopere delectarunt. Quibus tamen adhuc non respondeo, quia nondum constitui (quando ego tibi Hercules sum factitius) quo modo tu mihi sis tractandus, monstrum furfuraceum. Cogito etiam paulisper mecum, vocandusne tu solus ad partes, an cum tuis omnibus. Quidquid decreuero, statim scies. Vale vt meritus.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Scalæ suo s.

HERCVLEM factitium me vocas in epistola tua, propter ea quòd (vt inquis) monstra mihimet fingam, quæ superem. Tum negas iniuriam te mihi vnquam fecisse, negas antiquitati derogasse, pigere tamen, ac pudere tuorum temporum præfers: multa quoque de tuis honoribus falsò iactas, falsius nonnulla de nostris meritis. Postremò quasi tubes vt exprimi formis, & interseri epistolis epistolam tuam curem. Quare tibi ad singula rescribam, sed breuiter, ne nimium temporis in nugis tuis ponam. Vocari me igitur Herculem, Scala, non epistolis modò, sed & libris editis Marsilij Ficini tanti Philosophi, profectò (vt verum fatear) non molestè fero. Nam si cognomen hoc mihi (quod equidem non puto) congruit, illius iudicio: si minus, illius amore delector. Auget autem voluptatem, quòd tu nec hoc iam ferre, nec dissimulare potes. Factitiũ verò cur appelles Herculẽ nõ intellego. Nã nec tale significas, quale natiuo repugnat, nec itẽ qualefit à sono vocis, vt sunt murmur, et sibil⁹. Itaq; tute videris, quid hîc aut senseris aut expresseris. At ego monstrũ vocaui te furfuraceũ. Monstrum

Hercules factitius.

Monstrũ furfuraceum.

strum quidem, quòd ex colluuione monstrorum compositus es. Furfuraceum verò, quòd in pistrini sordibus natus, & quidem pistrino dignissimus. Audes autem negare factam mihi abs te iniuriam, quã neque clam tuleris, neque dissimulaueris, vt qui dux, & signifer vsque quaque contra me fueris. Possum tibi (si sit opus) impingere, atque inculcare longam illam, quam scis amici quondam tui, nunc verò mei epistolam, quæ frontis integumentum detrahet, neque tergiuersari te diutius patietur. Eam tamen adhuc non ostendo, ne simul domesticæ (quod nollem) tuæ maculæ proferantur. Non enim tam quid te, quàm quid me dignum sit, respicere debeo. Sed & antiquitati fauere te dicis, in quam penè solemniter sic vbique declamitas, vt sit hæc iam notissima fabula, nihil Aristotelem scire, nihil Ciceronem sapere iudicio Scalæ. Nam sæculum tibi tuum displicere non miror, cùm tu vicissim quoque tuo sæculo displiceas. Displices autẽ meritissimò, quoniam nihil ei ferme deerat ad summam laudem, si te vel non tulisset, vel certè non extulisset. Etenim tibi maximum semper studium fuit extirpandi radicitus bonas artes (vt vtar Liuiano verbo) suboleſcentes, sic vt nec ei quidem viro peperceris, qui vel solus illustrare quodlibet sæculũ posset: nec instauratori Platonicæ familiæ, cuius famam publicè per te, pérque tuos ire oppugnatum non dubitasti. Quorum quamuis hoc loco neuter nominetur, vterque tamen suo sibi titulo agnoscitur. Reliquos taceo doctos viros, qui me cùm maxime nunc celebrant, assectantur, adorant, quòd vnus extiterim, qui fumos inanes tuos contẽnam, qui publicam sæculi cauſſam ſuſtineam, qui nimiam istam insolentiam retundam. Nam de honoribus quidẽ nihil est quod tibi nimium placeas: vetus enim ludus hic, vt indigni tollantur

tur in altũ, videlicet, vt hoc quoq; se posse fortuna declaret, cuius tu solius opus es, quæq; iã tamen (sicuti credo) longé alio vultu te respiciet, exactura sortem cũ fœnore, de puluisculo. De Cosmo quæ iactas, deq; Laurentio Medice, falsa omnia. Certé Laurentius (hunc enim familiariter colui) quoties de te mecum loquebatur, satis indicabat alienum se iudicium fouere, non suum. Scis autem tu quoque litteras illum sæpe tuas publicè scriptas reiecisse, nobisq; dedisse formandas, quæ prima odij, liuorisq; in me tui causſa extitit. Nec me passus Iambicũ carmen, quod in te scripserã, concerpere quippe qui deceret esse indignum nimis, vt ita bonum carmẽ interiret. Illa duo sunt apud te verissima, quòd & de tua fide locuturus, vanum te esse velle profiteris: es autem profectò vanissimus, id est mendacissimus. Et omnium bonarũ rerũ egenum veniße te ais ad Rempublicam. Debueras hoc tamen adijcere, rerum omnium malarũ veniße te diutiẽ. Stultißimum verò est, quòd excellentißimum Poëtã vocas nescio quem istũ, qui de culice scripsit, & qui mihi fraterculus esse tui culicis potius, hoc est, ipse quoque terræ filius videtur. Quid quòd epistolam cupis tuam, quippe bellam, propagari formis opera nostra? Sed frustra, mi Scala cupis, non enim tam mihi odiosus, vt tuam prodere insulsitatem velim, pueriq; te deridendũ propinare, lecturis vel hoc ita scriptum in ea epistola, mõstrum quem deuincas: sic enim tu monstrũ virili genere nũc dixisti, quemadmodum prius muliebri culicem, quæ ne in ludo quidẽ triuiali dicerentur impunè. Mitto enim dehonestamenta illa Romanæ linguæ, vexilliferatum, prioratum, mille alia prorsus hausta de vulgi fæce: quæ publicari nolim Florentinorum causſa, ne tam præclara ciuitas habere Scribam dicatur, qui litteras omnino nescíat.

sciat. I nunc igitur, & nega Politianum tibi esse amicissimum. Vale.

ANGELVS POLITIANVS
Barptolemæo Scalæ suo. s.

VTRVM pugnantia scribam, pòst videro. Tu certè reprehendis apud nos, vt monstra, quæ bonorum defendit auctoritas. Ineligans enim tibi videtur illud, respondeo ad litteras: at eligans Quintiliano, qui dixit: ad proposita respondeat. Monstrum putas, quod respondere me tuis litteris nego, cùm tamen aliquid ad te scribam. Sed Augustino monstrũ hoc non videtur: qui cùm se respondisse dixisset epistolæ cuidam Paulini, sic adijcit: Si tamen respondi, tanquam non respondisse videatur, qui paria non retulerit. Itaque monstrum erit (vt tu vis) cùm quis Taceo dicit, non enim tacebit is, qui sic loquetur. Monstrũ quoque illud Terẽtij: Quære qui tibi respondeat: negat enim se respondere, quæ respondet. Tectius etiam tibi videtur furfuracei nomen, quod tamẽ ego, si vis, in tuam gratiam retegam. Sed si Latinè dictum negaueris, et ego Latinè dictũ probauero. Sapere monstrum videtur, & illud mecũ cogito: sapiet ergo tibi monstrũ Terentianum quoque hoc: Cepi egomet mecũ inter vias, ita vt fit, vbi quid in animo est molestiæ, aliam rem ex alia cogitare. Verùm exactiora, inquis, à Philosopho expectantur. At nos à Philosopho didicimus, loquendum esse vt multi, sentiendũ vt pauci. Nec tamen pro Philosopho me gero, quamuis Aristotelis publicè libros enarrẽ. Nam quòd perobscurũ dicis illud, vocandus ad partes, nõ nostra, sed Iuuenalis est culpa, cuius verba retulimus. Illud stultũ, quòd in tuis mundatos omnes accipis: hoc vsus argumento, quòd & tu

munda-

mundanus es: tanquam si quoniam lactuca hortensis est, diceres quæcunque in horto sunt, esse lactucas. Quis acumen hoc tuum non admiretur? Plus ipse nimirum vidisti, quàm Cicero, qui sic in prima statim ad Lentulum epistola scribit: Amorem tui absentis præsentes tui cognoscent. Et ad Appium: Velim ita fortuna tulisset, vt quanti omneis ego tuos facio, tanti tu meos facere posses. Sed & insulsius multò, quod fieri non posse credis, vt quod ego nunc nesciam, scire alius à me quandoque possit. Ergo si cras didicero Vergilianos puta versus, quos hodie nescio, docere ipsos perendie non potero? Vides quàm te demonstrent ista non solùm litteras vllas non habere, sed ne sensum quidem communem. Quare testor me posthac ad hæc ita frigida, & inania non responsurum: non enim respondendum est (id quod Aristoteles præcipit) ijs, qui sine ratione loquantur. Vale.

Αγγελος ὁ πωλιτιανὸς Ραφαὴλῳ τῷ ἐπιστολατιρά̃νῳ ἐν πράτ]ῳ.

Ἐξέπληξεν ἐμὲ Ραφαὴλε, τὰ σὰ γράμματα, καὶ νὴ Δία, πολὺν χρόνον κατέσοβεν αὐτοῖς, ἀδύνατον ἡγούμενος τὸ, οὕτως ἐξ ἀπροσδοκήτου σε, εἰς ἄκρον ἐλλακίναιτον ἀτ]ικισμόν. πῶς γὰρ ἐχρῆν πιστεύειν ἐμὶ ῥᾳδίως, ὡς αὐτὸς ὑπῆρχες ὁ ἀνδρίντης οὕτως ἀκριβῶς ἀτ]ικισμένης ἐπιστολῆς, ἣν ἐγὼ καὶ πέρυσι πάντως ἄπειρον οἶδα καὶ ἀνήκοον τῆς ἑλλάδος ὄντα φωνῆς. ὑπερτιθάμακα γοῦν, πόθεν ἐξαίφνης ἐκπο- Ελλην-κάι. ρίσαιο λυσσόρισον οὕτω χρῆμα, καὶ πῶς οὕτως ἐν βραχᾶ λιανύσειας ἅδην τὸν σάδιον, ὃν οὔπω οὐδὲ ἐφ' ἅπαξ πλησσος ἐωράκαμεν. ἄπιστον γὰρ, ὡς λόγος, τὸ παράδοξον. ἐγὼ μὲν οὖν καί περ τ]αλαιπωρημένος τὸν ἅπαντα βίον τῆς καματηρᾶς ἀγρυπνίαις, καὶ ὀλίγου δεῖν, ἐγγηρακὼς, τοῖς τ]ῶν ἑλληνικῶν βιβλίων ἀτιλιγμοῖς, οὔπω τοσοῦτον προκεκοφίναι

ναι μοι λοκῶ, ὅσον σὺ νῦν ἐνδὺς ἵνα, οὐλ' ὅλον ἐνιαυτὸν ἐσχολακὼς, καὶ ταῦτα κατὰ μόνας, καὶ ἀδιδάκτως. Τίς γοῦν, εἰπέ μοι, θεῶν σοι τὴν ἀποτομωτάτην ἐλακ]υλοδιίκτησε τὴν ὁδόν; ἢ πῶς οὕτως ἐν ἀκαρεῖ, Ἑλλην ἡμῖν κατέσκ ἐκρωμαίου; ποῖαι δέ σοι μέλιτ]αι, ὅλας τὰς ὑμητ]είους ἐνέσκαμψαν σίμβλους; ἀιδοῦμαι νὴ τὸν λόγιον, ἀντιπισέλλων σοι μεταξὺ ραφανῖδι, καὶ λοκῶ μοι γέλωτα ὀφλισκάνων ὁ τίνος κεκλημένος διδάσκαλος, καὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ἑλλήνων τοῖς λοκιμωτάτοις, ἀντιτ]αγμένος. οὐ γὰρ μόνον τὴν ἀκρίβειαν ἀποδείχομαι τῆς σῆς ἐπισολῆς, ἀλλὰ δὴ καὶ ὅτι πολλῷ ῥᾳδὶ κατὰ τὸν πύδωνα, καὶ κρουνηδὸν καταφέρη, ἀλλ' οὐδὲν καὶ περ χαρίτων ἀπολαπόμενος, ἴυγγος δίγε καὶ παν]οδαπῆς ὑπερβρύων. καὶ ταῦτα μὲν ἐπὶ τοσοῦτον. τὸν δίνακα δὲ τῶν βιβλίων, οὐχ οἷόν τέ σοι τό γε νῦν πέμψαι. κεῖται γὰρ ἅπαντα μίγδην καὶ πεφυρμένως. μᾶλλον δὲ σωρηδόν. ἔμφρουρα δ' ὅμως, καὶ ἐντεσθησαυρισμένα πως, ἐς αὐτὸ τῆς βιβλιοθήκης οἰκοδόμημα πάντως ἀπο]ελεσθῆ. καὶ δὴ καὶ ῥωβρίτον, οὐ χρὴ σωισάναι ἐμοί. ἔχω γὰρ αὐτὸν, ἐν παιδὸς μοίρᾳ, ὑπόνωδρον μὲν, καὶ ὀκνηρῶς ἐχόντα, ὡς σὺ φῇς, ἄμωμον δ' ὅμως τὸ ἦθος, καὶ ἀντιπίληπ]ον. ἐῤῥῶσο. Μαΐου ὀγδόῃ ἐκ Φλωρεντίας.

ANGELVS POLITIANVS
Raphaëli Volaterano s.

IN *admirationem tuæ litteræ Raphaël me adduxerunt, & nimirum diu suspensum, dubiúmque tenuerunt, fieri scilicet me nulla ratione posse existimantem, vt ex insperato ad summum Atticismum ita sis prouectus. Qui enim mihi facilè credendum fuit, ex tua ipsius officina adeò exactam epistolam, Atticóque lepore refertam exüsse, quem ipse superiore anno Græcæ norim linguæ penitus expertem? Supra modum igitur sum admiratus vndenam inuentu rem ita difficilem subitò compereris, quibúsque modis tantillo temporis momento ipsum percurreris stadium, quem nondum ne in carceribus quidem consperximus. Incredibile sanè, vt ita dicam, paradoxum. Quinmo quan-*

quanquàm ego grauissimis vigilijs totam ætatem insudaui, ac propemodum voluendis Græcarum litterarum libris consenui, non protinus tantùm mihi profecisse videor, quantum tuipse modò annum neque solidum in studio versatus: idq; per solitudinem, & citra omnem præceptoris operam. Quis igitur, quæso, Deorum compendiariam tibi breuissimámque viam indicauit: aut qua ratione factum est, vt ita repentè nobis ex Romano Græcus euaseris? Quænam verò apes cunctos istis labellis fauos hymettios expresserunt? Vereor, ita Mercurius me amet, ad te Raphaël interim rescribere, ac mihi videor ridiculus fore, anteà & præceptor vocitatus, & Græcorum eminentissimo cuique sæculi nostri collatus. Neque enim solùm accurratam tuæ epistolæ diligentiam amplector: quandoquidem & multo velutiagmine præcipitatus effluis, torrentiq; in morem defereris, à Gratis tamen ne digito quidem transuerso discedens, quin potius varijs vbique, & illecebrosis oblectamentis perpetuò scaturiens. Sed de his hactenus. Librorum indicem in præsentia quidem ad te mittere non licet. Miscellanea enim ac confusa iacent omnia, asseruantur tamen vtcunque recondita, quoad supremæ bibliothecæ manus imposita fuerit. Nihil est præterea quòd Robertum mihi commendes, eum nanque habeo vel filij loco, pigellum tamen, & remissiorem, quemadmodum tu ais, ceterum moribus inculpatis, & ab omni prorsus crimine alienis. Vale. Florentiæ octauo Idus Maij.

PETRVS CRINITVS
Alexandro Sartio
S. D.

SCRIPSERAM pridem ad te Alexander, tũ & illud monuerã, vt quos collegisti adhuc Politiani labores, pro tua nunc diligẽtia in bonorum vsum proferendos curares. Tu enim, quod omnes iãnorunt, siue Politiani manibus hoc debeas, siue debere te putes, hoc totũ in te oneris reclinasti, nequid omnino ab eruditis desideretur, quod ingenio partũ Politiani, & industria effectũ est: rẽ profectò et te dignã, et in qua laudẽ tuo nomini haud immeritò amplam concilies. Atque vt tu quidem Alexan-

xander Politiani noctibus & vigilijs prospiciendũ putasti: ita hercle crediderim & studiosorum ingenia plurimùm tibi debitura, qui vnus sis auctor, ne tot, tam variæ, tam multiplices eruditorũ lucubrationes intercant. Ceterùm litteris me tuis rogas, vt locos tibi aliquot recenseam, de quibus in secundam Centuriam Politianus retulerat: quòd à me credas vel obseruata de ijs quæpiam, vel potius coràm ab eo percepta, qui cum de litteris sæpe agebã. Ego verò Alexander nihil in votis maius, aut antiquius habeo, quàm vt suus cuique assignetur labor, ac in proprios hæc aliquando referantur: alioqui malim ego non viuere, quàm per alios cum eorum iniuria viuere. Quo ingratitudinis vitio quidam ex Græcis notati sunt, sicuti ex Latinis Iulius Solinus, qui vt parum de Plinio gratus, à doctis inceßitur: vel ipse item Macrobius, qui dapibus partim emendicatis, partim suffuratis suas cœnas instruxit. Minus autem hi ferendi, qui aliena pro suis non vertunt tantùm sed transcribunt ad verbum. Vtinámque plebei quidam Grammatici tantũdem hac ætate non agerent: qui satis se nunc putant cõspicuos, ac supra ceteros censeri, si alienis ornati titulis extumescant, reprehendentes ea in primis, quæ anxiè, ac percupidè conquirant: sicut diuitias auari solent, qui dum eas reprehendunt, tum inhiant. Sed ineptam horum impudentiam noster meritò Aldus, velut admotis facibus extimulat. Dixi alias tecum quemadmodum Politianus alteram Centuriam absoluerat, quod ab eo te propè hortante factum est, qui tantopere suis fauebat laboribus. Sed dequeri nunc boni iuuenes possunt, quòd hoc publicũ munus quidã priuati iuris fecerũt: in eorumq; manus deuenerit, qui aut talia non agnoscant,

scant, aut si agnoscant, dissimulent. Nos autem tuo nunc animo satisfeciſſe videbimur, si locos tibi aliquot ex ea subijciamus: quòd à me tamen breuibus absoluetur, ne bonorum otio & abutar, & studioſis illudam. Inter cetera igitur, quæ in Centuriam secundam retulerat, hæc olim mecũ Politianus, cùm ad Arni fortè præripia ageremus, de Thalamego naui, Trechedipna veſte, Callimachi ætijs, sed & de poëta Dorsenno, de Amabœo verſu, de Caprotinis, de nodo Herculeo. Ceterum vt ingenio fuit parato, memoriaq; ad cuncta expromta, alia tũ permulta commemorauit. Sed illud in primis scito, quòd in Suetonio quidem, Tranquillo, Plinioq;, ac noſtris habentur, secus multa expoſuit. Iam et locos ex iure ciuili multos, prætereáque ex ipſis philoſophiæ gyris quæpiam parum ceteris intellecta adnotauerat. Sed erit satius aliquam velut notam retexere, vt ex ijs & rerum iactura conſideretur, ac furta quorundam deprehendi facilius poßint, si hæc aliquãdo qui togati obambulant, pro ſuis depromẽt. Hæc igitur Politiani manu inter excharta bula quædam deprehendimus, quæ & noſter Fabianus cùm legit, iniuriam factam Politiani manibus non ferendam inclamauit. Subijciam autem vt in pagella erant, ad hunc modum. Capita Centuriæ secundæ. De diuinatione, Stratocles, Sybotes, Manſuetiores, Manupretium, Oſiris, Erynna, Oculatißimus, Flaccus, Vmbræ, Pauſanias: pro Plinio contra reprehenſores, Caſtratio, Poliphemus, Quadrupes nodus apud Terentiũ, Decuſſare. Creſpontes, Taras apud Statium, Sororiantes mammæ, Phrine meretrix. Et hæc, Alexander aliáque permulta à Politiano in secunda Centuria explicata ſunt. Sed ego dum ſingula reſpicio, dum ex ipſa ſtellographia maiora quædam quàm antea cõcipio, vix me comprimo,

Loci aliquot ex altera Politiani Centuria.

Capita secũdę Centuriæ Politiani.

vix retineo, quin studiosos nunc omnes adhorter, vt milite collecto Fidentinos in istos, & plagiarios impetum faciant. Commodum verò erit, si de paucioribus plura suggeram, qui de multis notaui perpauca. De Thalamego igitur naue afferri hæc possunt: quemadmodum apud Suetonium Politiani obseruatione, tum veterum codicum testimonio, quod nec tu ignoras, sic vtique legendum in Iulij Cæsaris vita: Cum Cleopatra Cæsar conuiuia in primam lucem sæpe protraxit, & eadem naue Thalamego penè Aethiopia tenus Aegyptum penetrauit. Hæc enim vera, & genuina lectio. Ceterùm quæ nauis Thalamegos, qua forma, & habitu fuerit, docent ex Græcis permulti. Vt enim Appianum modò Alexandrinum mittam, Suidas de hoc, & Pollux, Athenæus quoque in quinto Dipnosophistôn copiosissimè, cuius rei testimonium & Azarolo nostro damus. Aedificauit, inquit Athenæus, Ptolemæus Philopater nauem etiam fluuialem, quæ Thalamegos vocabatur: longitudo eius semistadium, latitudo quæ esset amplissima triginta cubitis, altitudo ipsa cum suggestu tabernaculi paulò minor quadraginta cubitis: figura eius neque longis nauibus, neque rotundis adsimilis, sed ex vtroque mixta. Prosequitur dein parteis omnes, & ornatum nauis, quod ego breuitati studens prætereo. Ad Trechedipnam vestem accedam. Apud Iuuenalem de Trechedipna ad hunc modum:

Thalamegos nauis.

Trechedipna vestis.

Rusticus ille tuus sumit Trechedipna Quirine,
Et cæromatico fert niceteria collo.

In hoc autem loco, Recydina vulgò legitur, sed Plutarchus in Symposiacis de Trechedipna veste memimit. Athenæus quoque libro Dipnosophistôn sexto, cùm de parasitis loquitur, Alexim Comicum citat, mentionemq; de

Recydina.

de Trechedipna veste pluribus facit: Quibus adductus, credo, Politianus, Iuuenalis carmẽ atq; ceteri aliter exponebat. Possent & alia afferri, sed ea parum nunc suppetunt. De ætijs Callimachi versiculus est poëtæ Martialis: Nec te scire iuuat ætia Callimachi. Quid autem operis hoc titulo à Callimacho editum sit, ex multis elicitur: nec enim contra quenquam dicturi sumus. In epigrammatis igitur Græcis cùm locis permultis, tum libro maximè primo: Aetia Callimachi.

Καλλίμαχ. τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον, ὁ ξύλινος νῶς, Αἴτι. ὁ γράψας αἴτια Καλλιμάχου.

Callimachus piaculum, ludicrum, ligneum commentum, Auctor qui scripsit ætia Callimachi.

Afferuntur et Callimachi Aetia à Stephano de vrbibus, & à Clemente Alexandrino in Stromatis. Sed vt grammaticos nunc Græcos mittã, illud à me quoq; obseruatũ, quemadmodũ et Probus Valerius de ijs, & Priscianus ad Iulianũ, qui versiculos quoq; ex Aetijs citat. De ijs nõnihil etiamnũ apud Politiani libros in aduersarijs. De Dorsenno poëta dictum à nobis in libris de poëtis, quos propediem edituri sumus, deductus enim is labor propè ad vmbilicum, quod alijs ad te litteris scripsimus. Porrò autẽ de Fabio Dorsenno in Sextianis collectaneis, apud Plinĩ quoq;, Horatiũ, et Anneũ Senecã mentio est, epistolã nos Bessarionis adiecimus ad Theodorum Gazã, in qua de hoc ageretur. Et id, Alexander, est illud ex quo Politiani Centuriã auidius conquirebã. De amabœo versu, Cresphonte, Caprotimus, & nodo Herculeo tam multa Politianus scripsit, vt nisi omnem ego nunc explicem bibliothecã, parũ mihi satisfaciam. Quanquàm de nodo Herculeo nonnihil ab Hermolao, multisq; à me locis de hoc iam dictum, ex Anneo Seneca, Plinio, Macro-

Dorsennus poëta.

Nonę Caprotinæ. bio, Seruio, & alijs. Nam & de Nonis Caprotinis, vt breuiter tecũ agam, Varro Terentius, & in Cœnis Macrobius, ac Plutarchus locis multis, qui tamen interse dissentiunt. Putauit autẽ Politianus de Caprotinis apud Ouidium intelligendum versiculis illis:

Porrige & ancillæ, quæ pœnas luce pependit,
Lusa maritali Gallica veste manus.

Pytisma. Iam & illud aliàs ad te scripsi, quòd apud Iuuenalem de Pytismate sententiam commutauerat, affirmãs in Pytismate ludum magis quendam in Laconicis frequentẽ subinnui, cùm quis alter alteri aquulam inspuens colluderet, quòd in Herone de spiritalibus id esset: vnde illa Terentij pytissatio: quanquam & Epictetus alicubi pa-
Amystis. trocinetur, et Clemẽs in Stromatis. De Amystide quoq;
Threicia. Threicia apud Horatium nunc subit: Bassum Threicia vincat Amystide. De hac autem veste Politianus multa ex Græcis scripserat, non vt plebei quidam agũt litteratores, qui coniecturis, non auctoribus nituntur. De Amystide enim Athenæus quidem libro Dipnosophistõn sexto, quo loco Epicarmi etiã Comici verba citat, sed & libro idem Athenæus x. Eustathius quoq; in xi. Homeri Rhapsodia. Hæc satis pro tempore Alexander, in quibus nostram nolim eruditionem probes, sed ingenuam magis simplicitatem, qui sua velim auctoribus restituta. Alia dein cùm inciderit, ad te mittam. His enim septus angustijs, vix otium ad auctores respiciẽdi sum nactus, nedum schedulas omnes, commentariaq; propè innumera liceat euoluere. In summa nostrum magis tibi obsequium probari nunc volo, quàm ingenium. Vale, & Aldum nostrum saluta. Idibus Martijs.

PETRVS CRINITVS
Alexandro Sartio s.

NIMIS tu mihi, nimis ingenio faues Alexander, qui noſtrum hoc ſtudium tantopere in dies prouehas, vt multi iam probent. Facis tu autem quàm par eſt humanius, qui nimiũ quandoq; tuis tribuas. Ego enim aureis adhuc meas teneriuſculas iſta nolim perſuaſione tua opleri, ne ſic extra omnẽ hominis ſenſum videar, vt quod ceteri de me non ſentiant, credam: imò quod tu magis credas, ſentiã. Si accedas propius, ſi me introſpicias, Crinitũ dices tuũ in litteris quidẽ exudare, ſed nec tamen ita promouiſſe, vt ſtudioſi nomẽ tranſiliat. Satis id mihi, ſi intra meam me claſſem retineo, & ſtudioſi gradũ tutor. Ignoſco tamen & tuæ de me opinioni, & officio. Quippe nec is reprehendendus, qui ad bonas arteis ſtudioſorum ingenia inuitet, acuat, impellat. Sed veniam ad epiſtolam nunc tuam, qua nos iterum mones, vt à promiſſis me abſoluam, ac ea mittam ad te, quæ ex Medicea bibliotheca inter Politiani libros inuenta ſunt: ne pars hæc etiam tanti muneris non rependatur. Mitto igitur prælectiones illas, vt ſum pollicitus. Sed addis ad hæc, vt & capita ſubtexam ex ſecũda Politiani Centuria, quorum vix argumenta inueniamus, quod in parte alijs ad te litteris fecimus. Futurum enim, inquis, vt ex rerũ ſaltem indicijs, facilius iſtis plagiarijs pudor imponatur, ſiquando talia pro ſuis edent. Subijciam verò ex Politiani autographis, quæ multi etiam è charis legerunt. Hæc igitur ſunt, de periochis Terentianis, de Pygmea matre apud Ouidium, de Lyde Antimachi, de ſeruis oreinis, quid diribitorium, quid Auguſti clauis, quid tintinnabulum, & pædagogia, quæ apud Suetonium contra reliquorum ſententiam explicauerat. Ita enim ipſe Politianus mihi retulit, atque illi hoc itidem ſciunt, qui pudore ſequeſtrato ſecluſa hæc domi detinent. Illud autem

Capita aliqua ex ſecunda Politiani Centuria.

Nouissimus. tem teneo, quòd & verbum hoc quod est Nouissimum, contra Gellij sententiam apud Tullium obseruârat. Quam rem & iuniores quidam non ignorant, qui Gellium quoque in eo defendant, quoniam semel id, inquiunt, apud Ciceronem sit: quod enim fieri semel dicitur, ac si nunquam fiat, vt Pædianus ait, accipi solet. Ego tamen Alexander, vt non Gellium quidem in hoc defendam, ita & amicos puto excusandos: quoniam proprium viri sit hallucinari interdum, & incurrere. Tu autem scito id à me verbum sæpius in Marco Tullio obseruatum: reperies non in libro tantum de Oratore ad Brutum, quod omnes sciunt, sed vel in epistola ad Octauium, & in oratione pro Roscio Comœdo: quæ tamen oratio rarissima adhuc est inuentu. Sed ad Politianum redeo, is apud Terentium obseruauit argumenta illa, quæ senarijs constant, ac initio fabularum apponuntur, haud quaquam esse poëtæ Terentij, vt multis ferè persuasum, sed Apollinaris Sulpitij: quod esse verum neutiquam putamus addubitandum, modò antiquitati fidem non derogemus. Hic autem Sulpitius Apollinaris Gellij præceptor fuit, ab cóque in Atticis lucubrationibus pro viro doctissimo laudatus. Verum suo loco de Apollinari à me dictum. In vetustissimo itaque Terentij codice, litteris, vt nostræ Pandectæ, matuscu-lis, ad hunc modum super Terentianis argumentis:

Argumẽta comœdiarũ Terentij cuius sint.

Sulpitius Apollinaris Auli Gellij præceptor.

G. SVLPICI APOLLINARIS PERIOCHA.

P. Bembus. Cuius rei testis mihi & Petrus Bembus, mira iuuenis & indole, & ingenio. De Pygmea matre in Ouidiano versiculo: altera Pygmeæ fatum mirabile matris. Facta verò est de re hac mentio cùm locis multis, tum apud ipsum Athenæum libro Dipnopsophistôn decimo. De ijs autem locis apud Suetonium, de quibus summa

adhuc

adhuc eruditorum concertatio, paucula quædam in Politiani autographis deprehenduntur. Sed vnum in eis agitur, vti lectorem ferè ad Centuriam alteram releget, quoniam de ijs copiosa illic explicatio: ita nos in eum demittit locum, vt facilius cerui cornículos deprehendamus. Illud autem scio Alexander, non idem me semper de ijs sensisse, quando & iuniorum sententiæ inter se longè dissentiunt: ac ipse quidem Politianus non eadem credo repetisset, quæ in Commentarijs vulgatioribus extrita sunt. Tantùm de Lyde nunc Antimachi ea subijciemus, quæ haud tibi erunt ingrata. Versículus est Ouidianus ad vxorem: Nec tantum Clario Lyde est dilecta poëtæ. Fuerunt autem qui Clarium poëtam de Apolline intellexerint: tum de Lyde alia quoque non minus absona confinxerint. Ceterum in eo quidem loco de poëta Antimacho intelligendum, qui Colophonius fuit, hoc est, Clarius. vbi & Clarij quoque Apollinis templum. Nam & Nicander ipse Colophonius Antimachi ciuis fuit, sicuti de seipso in Alexipharmacis. Constat autem ab Antimacho Lyden dilectam, ac de eius obitu carmen eum scripsisse. De qua re permulta Suidas. Astipulatur & Plutarchus, qui in consolatione ad Apollonium poëtam, inquit Antimachum Lydæ vxoris titulo, quam vehementer amabat, elegiam scripsisse, qua seipsum sit consolatus. Sed & de Lyde Antimachi frequens apud Græcos grammaticos mentio veluti apud ipsos quoque Apollonij interpretes, Lucilium Tharreum, Sophocleum, & Theonem. Sed hæc, Alexander, à me alibi copiosius. Venio nunc ad eam partem epistolæ, qua meos poëtas flagitas: quoniam superioribus nostris scripseram hoc me operis ita vrgere, vt crescat in Lyde Antimachi.

dies & labor, & laboris amor. Facis tu autem amicè, qui nostris quoque vigilijs studeas. Mittam mox librum ad te primum, quo antiquiores complexi sumus, eos videlicet ex Latinis omnes, qui ante Vergilij tempus scripserunt. Ex eo tu facilè, quæ tua est eruditio, de ceteris coniectabis. Aldum nostrum etiam, atque etiam salutes. Vale. Kalendas Aprilis.

Epigramma de Angelo Politiano.

Huc huc viator paululum gradum siste.
Vatem potentis spiritus vides clarum:
Qui mente promtus acri, & arduum spirans,
Ac summa quæque & alta consequi suetus.
Is ille ego Angelus Politianus sum.
Fouit benigno me sinu Flora, & illic
In fata cessi, Parthenopeos reges
Cum Gallica arma irruerent minabunda.
Tu vale, & hoc sis meriti memor nostri.

MICHAEL ACCIARIVS VTIANENsis Angelo Politiano suo S. D.

SVM tibi togatus iam decennium, & cùm lautiore cena comites suos princeps iam nullus accipiat, nondum te dimitto. Mirũ mehercle liberalitatis exemplum, cùm plura cottidie exquisitiora, & preciosiora multò, ex vberrimo isto sinuosi pectoris tui penu nobis apponas. Si Græcum enim scriptorem, si Latinum enarras, quàm acutè sensum exquiris? quam prudenter elicis? quàm etiam purè, quàm eleganter eloqueris? Tum demum scriptor ille doctus, quisquis est, tum facundus te promente pernoscitur, tum extat ingenium, tum virtutes apparent. Non enim tu modò capis, quid scriptorum omne genus dicat, verùm (mirabile dictu) quid item dicere, vel cogitare debeat, quibus etiam singulis situ longiore.

re iam squalentibus, & diuturno propemodum silentio mutis, crudelem vicem miseratus, piè simul, & liberaliter affuisti: atque oraculo certius mentem omnibus rectam, & ne inuiti barbarè loquantur, suam quoque ipsorum linguam reddidisti. Quod siquis temere, vt est hominum ingenium, liuidus homo neget, iuuenum classes, & marmora loquentur, atque adeò Miscellanea ipsa liquidò testantur: cuius planè eruditissimi operis gratia, eos quidem qui legunt, & qui per te ipsi leguntur, omnes tibi vno, eodémque munere deuinxisti. Tu lumen obscuris, & fœdissimè mutilatis, membra formámque restituisti: tu quasi peritissimus gubernator scopulos, qui in Latina, & Græca lingua latebant, loco procul signato studiosæ iuuentuti pariter indicasti. Ergo cùm te vel audio, vel lego, non equidem priscis Romanis inuideo: illi suo, nos de nostro Cicerone lætamur. Et ne videar laudationem aggressus, quoniam pro rerum omnium scientia summa, & vberrima facultate dicendi, vnde multi iam doctissimi desierunt, inde cœpisse videris, iam silebo. Cur enim te laudem, tuas cùm laudes nisi tute consequi dicendo nemo possit? tua culpa scilicet, qui tantum ingenio, & doctrina ceteris antecellis, vt sperare auxilium nisi à teipso non queas. Transeo versus, siluásque tuas haud certè Statianis absimiles: imò verò si materiam, si flores, si fructus inspectes, illi siluæ facilè relinquentur, tuæ verò siluæ iure potius amœnissima viridaria, pomariáque dicentur. Præterirem quoque Herodianum, sed ecce mihi iratus aurem vellit, qui se ait in Latium te duce honestissimè tralatum. Itaque in Romanam ciuitatem omnibus quasi punctis allectum, vt penè patrij sermonis oblitus, melius multò Latinè libentiúsque loquatur. Omnia præterea nunc prudens

omitto, ne vltra terminum vager: téque tantùm vehementißimè rogo, post opiparas adeò, splendidásque dapes, gustum vt iterum acuas, bellaria ponas, id est, epistolas edas, quæ tanquam singulari modò, conuulsáque membra velut sine spiritu iacent, in suum denique coactæ corpus reuiuiscant: vt academia Florentina teneat tandem quod optat, posßitq; te audacter in omni eruditionis genere cum ipsa quoque antiquitate conferre. Atq; adeò si codices, & testimonia vetera litterarum in cursu barbarorum, vel omnia pereant, pro cunctis vnum te habeat, secura quasi nihil amiserit, quem libentißimè legat, imitetur, & colat. Vale.

SCIPIO CARTEROMACHVS
Angelo Politiano suo S. D.

PVDET equidem Politiane præceptor optime, eâ potißimum exspectasse ad te scribendi occasionem, vnde necessitudinis potius quàm voluntatis, aut officij ratio appareret: Nam cùm debuerim initio statim, quo huc profectus sum, scribere ad te, vt est amici officium, ac multò magis discipuli, ego id prætermisi tum, cùm poteram honestißimè facere, vt nunc scilicet non sponte (vt videor) sed coactus efficerem. Verùm si cogites, cur id officij, aut qua ratione subterfugerim, inuenies nulla alia de caussa id esse factum, quàm nimio tui stupore, ac potius reuerentia. Quoties enim mecum ipse cogitabam, ad quem esset scribendum, si ad te scriberem, continuò animus decidebat, omnéque secum auferebat scribendi consilium, vt fatear imbecillitatem meam, quæ siue timiditas est, siue reuerentia, siue vtrunque, me certè nunquàm ante hunc diem promtum alioqui, cupidumque semper scribere ad te passa est. Atque in hoc ego (nisi fallor) non accusandus magis, quàm venia dignus videor,

deor, quòd eius viri iudicium tantopere perhorruerim, qui ob ingenij præstantiam, multiplicémque doctrinarum omnium cognitionem, omnium animos in sui admirationem solus conuerterit. Sed cur nunc demum inquies, εἰς τοῦτον τὸν ἀγῶνα εἰσῆλθες; Quoniam vt scis, φιλία πρόφασιν οὐ παιτεμένει. Cùm enim esset aut amici perdenda salus, aut ad te scribendum, turpissimum esse duxi, non periclitari potius in re minima, quàm maximam perdere. Cùm præsertim si ad te scriberem, & amicum aliquando, & discipulum me gererem: εἰ δὲ μή, præterquàm quòd & amicum perderem, & discipuli officio nunquàm perfungerer, in te quoque minimum confidere viderer: à quo tantùm me amari scirem, quantùm potest à præceptore discipulus. Cur igitur verear amici salutem tibi commendare? nam si meam ipse diligis, vt profectò diligis, proculdubio & amicissimi nobis non negliges. Is enim est, de quo ad te scribere instituimus, quo nemo nobis in hac vrbe familiarior, cognitus à teneris annis Romæ, cùm eisdem studijs, sub eisdémque præceptoribus ambo erudiremur. Atque (vt verum fatear) nihil me hîc vel inuitum tamdiu retinebat, quàm ne ab huius consuetudine distraherer. Quin & cùm profectionis nostræ nos statim pœnituisset, hac vna tamen re huc me veniſſe gratulabar: quòd amissum iamdiu amicum recuperaram: de quo enim iam decennio nihil resciueram, is nimirum amissus mihi credebatur. Qui & iterum nunc amissus per te denuo recuperandus est, atque eo honestius, quàm prius quo tunc è nullis infortunijs, sed ex absentia tantum, & quasi obliuione est nobis restitutus: nunc è summis miserijs, & calamitatibus est restituendus. Quid enim homini miserius esse potest, quàm viuẽtem, volentèmque (quod dicitur)

In hoc certamen veniſti. Amicitia excusationẽ nõ admittit. Si verò non.

cotti-

cottidie mori? Id autem est carcer, cui hic noster supplicio damnatus est, quia monachum eiusdem ordinis, cuius & ipse est, vulnerauit, quo illum vulnere mori contigit, τὸ τῶν φοκυλίδου: πολλάκις γὰρ πλήξας ἄεικων φόνον ἐξετέλεσας. Cùm enim ille in eorum cœnobio verbis in hunc nostrum asperioribus, nescio qua de causa prorupisset, percitus ira noster, cùm primæ animi motiones (vt dicunt) nostra non sint in potestate, conuiuali cultello, quem secum habebat, hominem attigit, non se eum interempturum existimans, quando nec vellet. Nam quis eiusmodi gladiolo hominem se occisurum crederet? ἀμφὶ δὲ ἀνθρώπων φρεσὶν (vt Pindarus inquit) ἀμπλακίαι ἀναρίθμητοι κρίμανται. Exceptus nanque ictus in dextrã mãmillam profundius, quàm sperasset quisquam, pulmonem interius conmaculauit. Ex eo paucis ille superstes diebus decessit miser. Atque hic noster continuò captus à suis, in carcerem est trusus, vt vitam ibi finiat, nec cælo fruatur amplius, nisi tu auxilio sis. Qui cùm plurimum gratia, & auctoritate valeas apud Medicem Petrum ob incredibiles tuas virtutes, admirabilémque sapientiam, facilè (vt puto) impetrabis, vt generalem eius ordinis exoret, quò nostrum hunc carcere liberet: aut si hoc nimium est, alió quouis supplicio afficiat, alióue potius traducat, quàm hîc eum sinat marcescere. Quod eò etiam libentius extorquebit, quòd generalis idipsum cupere, ac velle dicitur, si modò aliqua honesta ratione id se facturum videat. Nouit quippe quem hominem sit liberaturus, Græcis, & Latinis litteris adeò eruditum, vt mirum sit, & anteà inauditum in eo ordine talẽ extitisse virũ: philosophiæ verò studijs nulli eius ordinis inferiorem. Nam de integritate, ac moribus quid attinet scribere, cùm vel hoc ipso persuasum tibi putem, virum esse opti-

Iuxta illud Phocylydis, Sæpe enim percutiẽs inuitus necem perfecisti.

Circa autem hominum mentes errores innumeri pendent.

optimum, quòd sit tantopere nobis probatus? Denique is erat hic, qui & ordinem suum illustraret, & gloriam illi (si viueret) pareret immortalem. Nomen viro Ioanni Benedicto Fulgimati. Qui si per te reuixerit nobis, neq; enim viuit, vt nunc viuit, primum, eius patriæ suum columen, & salutem reddideris: deinde, communi litteratorum collegio non paruum attuleris & solatium, & adiumentum: postremò & mihi ipsi amicũ recuperaris, quo beneficio vitam & illi, & mihi simul restitueris: illi, quia in carcere (vt dixi) viuere, non est viuere: mihi, qui sine illo viuere me non existimem. Et quanquàm non vnà semper, & vbique victuri simus, attamen vel hoc satis est nobis futurum, quòd eum viuere sciamus vbi sit, ne nos angat cottidie memoria fœuissimi carceris. Pluribus apud te mihi opus esse non existimo, aut enim caussa ipsa te persuadebit, vel quia de optimo viro, vel quia nostra: aut si hoc non persuadeat, nec quæ vis nostra oratio te persuaserit Vale. Patauij, 1111. Calend. Maias M.CCCCXCIII.

SCIPIONIS CARTEROMACHI CARMEN.

Nelidæ similes sua si bis quinque tulisset
Terra viros, citius Pergama victa forent.
Angelus at nobis viuat precor vnus, & omnis
Barbaries Latio cedet abacta breui.
Cliniadem geminum nunquam ostendistis Athenæ:
Lysandros nec habes Oebali terra duos.
Angelus & nobis sic non erit vnus, & alter.
Natura ostendit quid bene posset in hoc.
Aurificis quondam ditata est insula Solis
E pluuia guttis tota, volente Deo:
Nunc Latium totum pluuio perfunditur auro,

Labitur

Labitur hic, cùm vult Angelus, ipse Tagus.
De patria magni certatum est semper Homeri.
Vindicet vt tantum hunc vrbs sibi quæque virum.
Tu maioris eris certaminis Angele causſa:
Terra etenim, ac cælum te volet esse suum.

EIVSDEM GRAECE

Ἀγγελε τῶν ἀγαθῶν ὠφελη μέγα, χ' ὅτι περ ἰσθλόν,
Πᾶσιν ἄπιστον ἐὼν, Ἀγγελε θαῦμα βροτοῖς,
Κἄν τε νέων φυχαῖς φῶς, ἠελίου τε μαθόντων,
Εἷς μὲν Ἀθηναίη φίλτατος, εἷς δὲ σοφός.
Χαῖρε φίλη κεφαλή, καὶ ὅπως μοι μακρὰ βιώσῃ,
Θηβαῖος μὲν ὑπὲρ Τειρεσίαο βίον.
Ἀθάνατοι, τόδε γε φυλάξατε ἕνεκα πολλῶν
Τῆς σοφίης δὲ μάλις', ἠδὲ διδασκαλίης.
Μὴ τοσόνδ' ἀφέλεσθ' ἀγαθὸν, λίομαι, φθονέοντες.
Εἰς τόδε γὰρ πάντες ἀναβλέπομεν.
Ὧν γὰρ ἐν ἀνθρώποις πάντων ἀντάξιος ἄλλων,
Υμιτέρου τις γὰρ ἴμμεν ἔοικε γένος.
Ἀλλὰ σύ τ' ἄν σκότει ἄρ κατακείμενα πάντα διδάσκει,
Ὡς Διὸς ἐκ βηλοῦ Διωνισίοιο πεσών.
Ἀμβροσίη δ' ἄρα γῆν, καὶ νέκταρι προσκαπάτει
Ταῦτα γὰρ ἐκ σώματος, ἄλλα τε καλὰ ῥέει.

Angele bonorum vtilitas magna, & valde bona,
Omnibus incredibilis existens Angele admiratio mortalibus.
Atque iuuenum lumen, solij; discentium.
Vnus equidem Mineruæ amicissimus, vnus verò sapiens.
Salue charum caput, & vt mihi longè viuas,
Thebani quidem super Tiresiæ vitam.
Immortales hunc quidem seruate causſa multorum,
Sophiæ verò maximè, & doctrinæ.
Ne tantum verò auferte bonum, quæso, inuidentes.
In hunc etenim omnes suſpicimus.
Existens enim in hominibus, omnibus par alijs.

Vestri

Vestri quispiam igitur dignus est esse generis.
Sed tu in tenebris vtique iacentia omnia doce,
Vt deus ex cælo magno labens.
Ambrosia verò vtique terram & nectare aspergè,
Hæc enim ex ore, aliaq; pulcra fluunt.

HERMOLAVS BARBARVS M. L.
Phosphoro episcopo Signino s.

QVOD tu octonariolos meos probes, amicitiæ est, quòd alij, felicitatis: quòd ad eos populi concursus fiat, partim lætor, partim doleo, alterum, vt adeuntes æmulatio exacuat: alterum, quia fore video vt multi me rideant, quasi aut cum Plauto certare salibus, & eloquentia voluerim, aut rem Latinam supposititio quodã partu velut auctario iuuare cogitauerim, ceu non multò melius sit, comœdias eius poëtæ ambustas, & mutilatas circunferri, quàm reconcinnatas, interpollatásque de meo, non secus Hercule, quàm qui statuas antiqui operis sine capite, aut pedibus inuentas reficiunt, ferruminántque, nec vident longè minus sic integras placere, quàm truncas. At enim, inquies, Plauti gloria ex comparatione crescet. Id curat scilicet eminentißimus poëta, qui tot sæculis in supremo stetit, in comparationem modò veniat, in ordinem se cogi, & vulgari sentiat. Alioqui stultitiæ proximum est, vt alienæ famæ cõsulam, meo ipsius nomini officere. Sed si hoc videbam, cur non temperaui à scribendo? Ingenium (vt fit) exercui. Nec in eam rem (ita mihi manes Plautini non irascantur) amplius sesquihora impensum est, sed nec edendum id putaui, nec editum volo, tu me inuito, reclamitãteq; subinuolasti. Vitiũ non est scribere, quæ scripta non placent, sed emittere: nec fama scribentis agitur in eo quod scribit, sed in eo quod probat: scripsi fateor, non probaui: tu probasti, non scripsisti; tua res agitur, non mea; si fabulam edi

Plauti laus.

voles

voles, penes te ius, & potestas eius rei tota esto. Itaque iam non doleo, mecum bellissimè deciditur. Labor meus est, periculum tuũ. Quid si laus aliqua sequatur, vtrius futura est? tua qui probaueris, an mea qui condiderim? Dubium non est quin mea, vide quem in locum rationes tuas coniecceris: si laudatur, aliud agis: si damnatur, malè agis: si nec recipitur, nec exploditur, nihil agis. Vale. Pridie Nonas Decemb.

HERMOLAVS BARBARVS M. L.
Phosphoro Episcopo Signino S. P. D.

LOCVM in Plinio de cometis, vbi legitur, Oscenis autem moribus &c. vt interpretarer à te rogatus, quia nullam morã dabas tumultuario imperio, subitarius miles parui, et hercle tam inuitus, vt nihil vnquam fecerim inuitior. Erã fortè, cùm puer tuus affuit, non dico impeditus, sed obrutus negotijs. Nihil min⁹ cogitabã, q̃ de Plinio, aut etiã Cometa, sed Manlianũ erat edictũ, nec vitari, nec differri poterat quod iubebas. Proinde studium meũ fuit, nõ interpretandi subtilitate, sed obediẽtia placere. Nõ probo ex omni parte quod scripsi, alia mihi venit in mẽtẽ expositio. Dixi signa ingenij, eruditionis esse Geminos, & Virginem, aut his similia. Verùm id quidem est in se, vt Ptolemæus, & apud nos Manilius, & Maternus docent: sed verba quæ sequuntur, ad alium sensum me trahunt, vt lectionem eius loci corruptam arbitrer, atque ita restituendam putẽ. Tibiarum specie artimusicæ portendere. Obscenis autem moribus in verendis partibus signorum ingenijs, & eruditioni, si triquetram figuram, quadratámue paribus angulis ad aliquos perennium stellarum situs edant, & sanè vetusti codices non edunt, sed edant habent. Vale.

Locus Plinianus.

HER-

HERMOLAVS BARBARVS P. Picolomineo, Cardinali Senensi s.

INTERROGATVS Aristoteles quamobrem argento indignum quendam, & improbum donasset, respondit eam se pecuniam non personæ, sed homini credidisse. Si tu quoq; hoc exemplo erga me liberalis esse voluisti, recte facis, & grauissimi philosophi consiliũ auctoritate tua redimis ab omni culpa, si ratus es cum esse me, cuius te memorem esse vel absentis oporteret, latè falleris. Alioqui nihil miror, quandoquidem ex candore tuo metiris alios, & pietas (vt Bianti placet) facilè decipitur: calliditas, & inuidia circunscribi se non patitur: hallucinatur, & conniuet bonitas, præsertim tot præsidijs munita, quot in te cernimus. Hæc ad animum tuum donantis. Quod verò ad munus ipsum attinet, scito sacchareas tuas placentas non modò salutares, & voluptarias nobis fuisse, verùm etiã eruditioris cuiusdam interpretationis occasionem dedisse, vt videlicet aut ab inuentore Martios panes appellatos dicamus (nam & Martios pastillos, & Martiatum vnguentum in medicina legimus) aut si hoc parum placet, à maza & pane, mazapanes vocatos existimemus. Est autem maza Græcis modò panis offa, quæ aut vinum, aut oleum, aut omnino liquidum acceperit: modò panis genus ordeacei: modò libum, placentáue, sed sui atq; certi generis, cuius speciem Athenæus innumeras ferè cõmemorat. Quia porro miscella hæc Hetrusca ex amygdalis, saccharo, farina, latice rosaceo pretiosissima videtur, hodie per quandã exochen mazapanis dicitur, vt Poëta, qui sit Homerus, aut Vergilius. Hetruscã dixi, nõ q, alibi nõ pmsatur, fingatúrue, sed quod istic apud vos egregiè præcipua in eo gratia, quod nõ succescat, sed diu recẽs, mollisq; seruetur,

Aristot. responsum.

Martij panes.

Martij pastilli.

Martiatũ vnguentum.

Mazapanes.

Maza.

Miscella Hetrusca.

Exochẽ, id est, excellentiã.

Caseus Xenocratis.

tur, nec periculum est vt hesterna, quasi caseus Xenocratis oboleat. Nos quidem tecum istia velut cum magno litterarum censore lusitamus, personam depone principis, sume grammatici, qui sis in vtroque summus: quod & reges aliquando factitauerunt. Ego aliàs, vt nosti, multa de saccharo commentatus sum. Sed dij boni quantum interest, ego saccharum scribo, tu donas! Vale.

HERMOLAVS BARBARVS ORATOR, patriarcha Aquileiensis clarissimo viro Antonio Caluo, patritio Veneto S. D.

AMANTISSIMIS litteris tuis Antoni suauissime, non respondi, quòd propediem sperabam castigationi Plinianæ extremam manum imponere, sed creuit opus, & labor, & laboris amor. Quis crederet? nullum vtraq; lingua extare auctorem, quem ferè non legerim, vt hæc nostra lucubratio communiri posset, idq; spatio nõ amplius semestri: quinq; millia m eo librariorum errata cõperimus, non pridie, nudiùsue tertius, sed multis retrò sæculis inolita, & recepta lectoribus. Peruenit quidem res ad vmbilicum. Sed nullus tamen dies est, quo non aliqua fiat accessio. Nunc cum impressoribus agitare cœpi lente, de industriarem differens, vt diutius in fermento sit. Nihil time: diligentiam adhibituri sumus, qualem in altera editione prætermissam sæpe mecum questus es. Erit autem ordo noster talis. Verba Plinij corrupta primo loco ponimus, per singula cuiusque libri capita. Deinde quemadmodum corrigenda sunt, adiungimus citatis auctoribus, vnde id, quod volumus, facile comprobari possit. Idq; præfationibus summotis omnibus, et sine vlla verborum pompa: ne, quod multi faciunt, dum nimis labores suos mirantur, lectorem finis alicuius auidũ oratione ambitiosa detinea. Ita defatigatur animus, antequã

pascitur: & bonæ alioqui res fastidiuntur, antequàm discuntur. Multò autem plus operis, & laboris adij, quàm putabam, quòd omnium rerum, quæ in cælo, & sub cælo sunt, gnarum esse oportet, qui Plinium profitetur intelligere, tantò magis castigare. Nihil verò me torsit æquè, quàm situs ipse terrarum. In quam maximè partem negligentia librariorum carnificinam exercuit? Optaui quidē sæpenumero, vt optimus vir adesset Antonius Leonardus noster, cuius consilio adiutus, & auctoritate confirmatus, difficultates, & nodos in eo genere inextricabiles non tam multiplici negotio soluissem. Mille & quingenta, & amplius, in ea tantum parte loca manifestißimè deprauata restituimus: vt totidem vulnera sanasse videamur, imò verò monstra domuisse, minora quidem omnino, sed longè plura, quàm Hercules. Cur enim tecum non iocer, hoc præsertim tempore, quo minuti quidam, & exilis animæ philosophi concedendum mihi putant, vt doleam? Alij festam frontem parum decere fortuna minus læta prædicant. Alios nostra lædit, vritque constantia, & hæc natura. Multò plus æstuant qui nocent, quàm quibus nocetur. At ego nihil vnquā expertus in me sum hoc animi, quo me deus muniuit robore præstantius, nihil iucundius (vt quēadmodū aliàs ad te scripsi) non solùm feram modicè, quæ patior, verùm etiā multò sæpius fructum, & voluptatem ferendo sentiam. Nihil queror, nihil quæro, nulli sum infensus, accuso neminem: pax, hilaritas, et gratiarū actio vigilantem me solantur, dormientē fouent. Non tā compositò sunt animo, non dico qui me persequuntur, sed quos nemo persequitur: Nō ignauia est hæc, aut stupor, non itē contemtus, aut superbia, sed humanæ sortis expensio, & meditatio interitus. Si magna sunt pro quibus

Plinij lectio.

vita dimicat, parui æstimanda sunt, quia breui duratura: sin parua, nosti quod sequitur. Vale. XIII. Kalend. Ianuarias. M. CCCCXCI. Nunc nunc litteras alteras accepi tuas, quibus respõdebo, cùm primùm licuerit, quanquàm spero fore, vt hæ satisfaciant parte aliqua. Didymus plurimum se tibi commendat.

HERMOLAVS BARBARVS ORATOR
patriarcha Aquileiensis Antonio Caluo
patritio Veneto S. D.

QVAM tibi nouum fuit audire factum me de Pagano sæculi, militem CHRISTI, tam mihi vetus est intelligere Caluum meum ex Hermolai sui honore solidã voluptatem cepisse. Quidquid hoc est, qualiscunque mihi status obtigit, quacunque fortuna vtor, vsurusue sum, Antoni suauissime, tibi, commodisq; tuis, perinde ac mihi seruit, ac seruiet. Agnosco pietatem tuam erga me, studium, caritatem, fidem, ita planè cerno, ac sentio, vt nihil possim magis. Ago gratias, & referre cogito, cùm primùm licuerit: studium mihi semper fuit, vt gratus erga omnes essem. Hanc virtutem cooptatus in sortem domini, augere cogito, non perdere. Tu interea mecum preces ad deum funde, vt hæc dignitas mihi non ad inanem gloriam, quæ mortis est imago, sed ad vitam, salutémque proficiat, vt & cũ Augustino doceamur terrena calcare, & sitire cælestia. Vale. Romæ, octauo Idus Aprilis. M. CCCCXCI.

HERMOLAVS BARBARVS ORATOR,
patriarcha Aquileiensis Antonio Caluo
patritio Veneto S. D.

ANTONI vir præstantissime, bono sis animo, qui me ad sacerdotium dormientẽ, atque adeò reluctantem vocauit, etiã constantẽ, et fortem esse voluit: æquiore animo

mo aduersa hæc fero, quàm secunda illa tuli. Deum iustitiæ & innocentiæ meæ testor, ita sine omni solicitudine sum, ita liber curis, vt verear, ne tanta securitas aut temeritatis, aut negligentiæ argumentum sit maleuolis. Misit mihi dominus auxilium de sancto, & de Sion tuebitur me: illi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Iterum dicam bono sis animo, surreximus, & erecti sumus. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis dominus: qui tam multos annos philosophatus sum alijs, credo fore, vt mihi quoque philosophari posse videar. Dices, fortis es, quia breui speras futurum, vt tempestas ista tranquilletur, & qui modò te oderunt, ament, & amplectantur. Nihil hoc cogito, nihil me spes in lætiorem exitum collata subleuat: non est fortis, qui fortis est spe: fortis est qui præsentia mala sentit, & perfert, atque ita perfert, vt etiam si duratura viderit, contemnat, in futurum nihil respiciat: alioqui si præsentia incommoda expectatione commodorum tolerat, compensatio est, non fortitudo: aut si fortitudo, non ingenua certè illa: & absoluta, sed mercenaria planè, atque mutila. Cùm spem à fortitudine summouco, non illam spem intelligo, de qua dicitur: Bonum est sperare in domino: sed illam de qua scribitur: Maledictus homo, qui confidit in homine. Tibi porrò, Antoni suauissime, quantum debeam, quantum semper debere velim, ex magnitudine, & puritate amoris erga me tui pensa. Litteræ tuæ adeò pietatis, & caritatis plenæ sunt, vt omnibus quos diligis, & voluptatem in prosperis, & solatium in aduersis afferre possint. Nicolaum Foscarenum non minus mihi, quam tibi amicissimum saluta meo nomine. Vtinam mihi aliquando liceat, vt aliquando licuit, vrbanissimis, & festiuissimis altercationi-

Vere fortè quis.

tionibus vestris intereſſe. Vale. Romæ, Idibus Aprił. M. CCCCXCI.

HERMOLAVS BARBARVS ORATOR, patriarcha Aquileiensis, Antonio Caluo patritio Veneto S. D.

DISTINVIT, & distimet me, quanquàm ad vmbilicum perducta ferè Pliniana castigatio, quò minus aliquid tibi de rebus non dico meis, sed communibus, imò tuis planè scriberem. Dolore aliquo, aut mœrore id factum putent alij. Tu qui me nosti, caue suspiceris. Fortunæ ludum video, tẽpestatis vim intelligo, aculeos detrahentium considero. Quid dicatur, quid item dici possit, audio & cogitatione consequor, animaduerto quam tamihi fieret iniuria, nisi fieret à patria, à qua nihil in ciuem crudeliter, & iniuria factum videri potest. Non ideo dolore careo, quia hæc aut non percipiam, aut parum sentiam. Cognosco Antoni omnia hæc, & quanti sint æstimo fortaſse subtilius, quàm ceteri: quia multò sæpius in mentem nostra, quàm aliena veniunt: vtcunq;, multa sunt, quibus efficitur, vt dolore non solùm frangi, sed tentari me non sinam: primum conscientia susceptı, nõ modò sine sordibus, sed sine vlla cupiditatis, aut precum suspicione sacerdotij, quàm cunctanter imperium admiserim, quæ lucta mentis fuerit, quanta cum pudore prælia. Deum appello, cito, nuncupo cognitorem, testem, iudicem. Quæ innocentia tãtum iudicem non horreat? inuicem quis puer, quæ femina, quod mancipium patrono, & aßertore tanto formidet? Ego verò nedum vt dolori latus dem, etiam lætari poßum, & debeo, cùm Fortuna gloriæ (vt inquit ille) carnifex tam parcè grassetur, vt multò plus in patientia sit commodi, quam in ipso eius vulnere dispendij. Vide quanti ùm abſim, vt ex-

Fortuna gloriç carnifex.

postu-

postulem, aut vices meas conquerar, qui vltro fortunam ipsam defendo. In quonam, obsecro, illa mihi leuius obesse potuisset, quàm stante Repub. superstite familia, incolumi re domestica, valetudine corporis, & animi prosperrima, sæuisse in particulam honoris aduentitij? quid honoris dico, non oneris potius? quod sanè tantum est, ac tam latè patet, vt qui hoc non videt, aut dissimulanter videt, nō possit esse non tardissimus. Nihil te fortuna inceßo, nihil damno. Si magnam fore mihi cladem hinc rebare, falleris: si exercere cogitabas, gaudeo: si fortitudinem experiri fortasse delitescentem volebas, ago gratias. Nihil est hac virtute animi præclarius, nihil erectius, nulla plus enitet, nulla pacis, & voluptatis maior opifex. Et cùm omnia impotenti fortunæ pareant, sola fortitudo cominus it obuiam, & innectit fortunæ vincula. Sed finge magnum me aliquod & insigne vulnus accepisse, quantum mihi censes extare præsidij, & superesse solatij ex ijs litterulis, quas à puero hausi? Quæ mihi sano mente, ac corpore tanta posset accidere calamitas, vt studia mea mihi excuteret? quibus seruatis, exceptisque, non potest mihi tua vita esse non tranquilla, non iucunda, non splendida. Litteris natus, litteris dicatus, sine litteris esse nō possum, sine ijs possum quæ litteras impediunt, interpellant, submouent. Honores in Repub. gessi multos, & magnos, qua fide, qua opinione, qua gratia, non dixerim. Placet quidem impendisse annos penitus XII sed octo Reipub. continuos, totum id tamen tempus litteris ferè perijt. Appellabāt me quidem illæ sarcirique id sibi à me identidem iubebant: ego contrà in diem ducere, ac differre, non quidē honorum, & magistratuū dulcedine: sed vt patri, fratribus, & amicis obsequerer, qui meam operam in Rep. profuturam

turam putabant, ipse non videbam. Cùm ergo toties cõmonitus professionis, & voti postliminio reuerti nollem, aut non possem, retractus sum à fuga vi, nec vnde ea mihi sit illata video, præterquàm à litteris: quæ sibi me iam cornua erigẽtem, & excubantem libertati, vindicare voluerunt in seruitutem, excogitata ratione, vt otium non sine dignitate consecutus à negotijs publicis excluderer. Hæ sunt illæ meæ, quas multi sic appellant, ærumnæ: hæc illa clades, illa calamitas, qua me plerique profligatum, & consternatum putant: hæc illa fortunæ scilicet acerbitas, cui me passim imparem fore amici timent, inimici prædicant. O felix calamitas, quæ litteras mihi, & me litteris, imò ipsum mihi me restituit: ò beata clades, quæ meam mihi pacem reddidit: ò candida tempestas, quæ mihi securitatem peperit: ò dulcis acerbitas, quæ mihi in suauissimum portum è longa iactatione, ne dicam naufragio reduxit. Si tranquillitas quæritur, parabunt litteræ: si gloria, litteræ: si cetera, quæ partim suppetunt iã, partim contemno, litteræ. Viuens experior tam modica in me doctrina, quantũ viri litterati sperare possent in morte: siqua nomen nostrum voluntate Dei fungitur, nemo id legationibus, aut magistratibus, quos gessi, acceptũ refert, sed litteris, multò plures Hermolaum, quàm candidatum me diligunt. Falluntur quidẽ fortasse illi, sed ita est. Honores in Repub. soli mirantur municipes, litterarum decus æmulatur orbis. Vale. Quintilianum à te patri restitutum sciebam, quanquàm non restituit, qui suum restituit: etenim tua esse volo mea omnia. Romæ, XI. Calend. Augusti. M. CCCCXCI.

HERMOLAVS BARBARVS PAtriarcha Antonio Caluo suo s.

LIT-

LITTERAS tuas, quibus dolorem nostrum ex Zachariæ patris obitu vehementem, atq; iustum lenire voluisti, gratissimas habuimus. Non ibitur inficias tibi præsertim Antoni amicorum fidissime, durum id nobis, & perquàm triste nuntium fuisse. Quid enim obsecro magis alieno tempore aut illi, aut mihi poterat contingere? Atq; vt alia præteream, quæ tibi æquè ac mihi sunt cognita, vtrũ ei molestius fuisse putas, quòd decederet, an quòd absente me decederet? Nosti quo affectu erat in me, quàm non cõmuni, & promiscuo, sed vltrà quàm patres solent. Compertũ & exploratum habeo, si fuit ei graue mori, nõ propter se, sed propter me tãtũ fuisse. Angebat & illud eum, certò scio, quòd nesciebat quàm æquo animo tantã cladem meã laturus essem: & qui securus ibat ad mortẽ, erat de meo tantum dolore solicitus: qui si affuissem, et robur illud nostrũ, quo me nõ virtus, nõ doctrina, non vsus rerũ aliquis, sed solus Deus sepsit, videre potuisset, nihil dubito, quin si nõ alacriter, certè nullo dolore abitur⁹ fuerit è vita. Quanquã vt ex litteris tuis, et aliorũ intelligo, ea fuit hominis in adeũda morte constãtia, vt non dico animi cõsternati, sed ne mœroris quidẽ tãtilli signa prætulerit, vsq; adeò semper intrepidus, vt in domũ aliquã è domo, nõ e vita migrare videretur. Triduũ continuum de Deo, de religione, de animorũ immortalitate, vel differẽtes audiret, vel ipse differeret. Sacramẽta illa extrema, quæ nemo nõ reformidat, & quorũ ægroti ferè à necessarijs serò, & cunctãter interpellari solẽt, nõ modò nõ refugeret, sed prior et vltro deposceret. Sensus omnes mẽtis, et corporis, quibus pauci eũ mortales vincebãt, non solùm integros, verũetiã longè subtiliores, quã prius vnquã ad extremũ vsq; ostẽderet: demũ ecunculas duas, alterã Christi, alte-

2 Ecunculas, id est, imagines paruas.

ram virginis in sinum manu sua compositas, & ad pectus applicitas, arctißimè complexus, deosculatusq; halaret animam. Hoc genus non dico mortis, sed glorioſæ mortis, imò verò salutis, & melioris vitæ, quantas vires habeat ad temperandum dolorem, explicari satis non potest. Accedit quòd septuagesimum ingressus annum, quandiu in familia nostra vixit nemo, quòd functus omnibus honoribus, quòd Rep. incolumi, quòd liberis honesto loco positis, incredibili desiderio, & amore ciuitatis exceßit. Frequentia funeris tanta (vt audio) quãta in ciue nunquã. Reliquũ est, vt fratres tibi meos cõmendẽ, & quando mecum esse non potes, illos mihi, non modò, vt consolator sedulitate, sed vt pater amore prosequaris. Vale. Romæ, Idib. Decemb. M. CCCCXCII.

HERMOLAVS BARBARVS PATRIARCHA Aquil. M. L. Phosphoro Pontifici Signino S. D.

PVTABAM Signina tantum illa, atque pyra celebrari, sed video & Signinis epistolis suum decus esse. Placent mihi tua semper omnia, sed quæ cum pyris proximè scripsisti, mirificè probauimus, adeò vt præ illis pyra, quæ alioqui præstantißima fuêre, sorduerint. Interpretationẽ tuam de Gellio ita planè sequor, vt nihil magis poßim: delector verò maximè, quòd Plinium à nobis iure laudatum cẽseas, quòd sunt nonnulli, qui siue quòd libros eius non intelligunt, siue quòd præposteris imbuti sunt litteris, iniquo animo ferant tantum vni viro tribui, quantum ipsi perspicere, & assequi coniectura non possunt: Ita est, idemque semper fuit. Damnat quisque quod ignorat. Dolemus ferè in eo quenquam videri sapientem, in quo ipsi nullo modo sapientes esse possumus. Nec est hoc vulgi modò vitium: magna quoque ingenia plerumque implicat. Obrepit hæc multis, hæretq; labes

alioqui honesta specie, quasi quod sentiant, libere loqui velint: bene autem sentire, cuius quisque ignarus sit, nõ potest. Ita fit, vt qui se ipsi nosse debuerant, & suspendere iudicium de aliena professione, petulanter & temere pronuntiẽt, quodq; sequẽs est, maximè rideantur, & suggillentur. Huic pesti contraria virtus est candor, qui bonis, & simplicibus ingenijs, etiã si nõ summa illa, & eminenti doctrina cultis adesse solet, sua vitia cognoscere, alienas virtutes extollere: quæ sciũt ipsi parua ducere, quæ alij saltem non contemnere, vires suas ex alienis laboribus expendere, non ex suis alienas æstimare: quid suo sæculo profecerint, quanti sit, quòd sunt, quòd spirãt, quòd in cœtu versantur hominũ, quantum operæ litteris impẽderint, quantũ diei, quantũ noctis in iocos, in nihil res absumserint, quãtũ legerint, quàm multa nõ legerint. Faciunt hoc alba, & (vt Græci dicunt) bene nata ingenia: quorũ summa, et certa proprietas est nunquã docere, doceri semper velle, iudiciũ odisse, amare silentiũ: quibus duobus tota Pythagoricorũ, et Academicorum continetur præceptio. Hæc illa est, aut non magnopere dissimilis, virtus, humilitatis nomine celebrata Christianis: quæ vt ad salutẽ, æternitatisq; gloriã certissima est via, sic in omni vita homini, præcipuè litterato, necessaria comes est, sine qua nec dociles in inueniẽdo, nec prudẽtes in iudicãdo futuri sumus. Sed trãsuersos rapit Audacia et Superbia. Imperitia sua cuiq; mala est sed ignorata pestis. Initiũ sapiẽtiæ (vt Plato scribit) imperitiæ suæ agnitio: neglectũ hoc cõfidẽtes, et miseros facit. Euectus sum, nõ dico inuectus, vltrà quàm nolui, sed nunquã satis est arrogantiã mcessere: alioqui si nominibus parcas, nulli hominũ generi cõuicia periculo mimore facimus, quòd nunquam de se dictum putant, qui

Candor. Candidi officiũ.

Humilitas.

Audacia. Superbia. Imperitia.

omnia

omnia sibi tribuunt. Castigatio Pliniana, quando ita vis, imò iubes, vrges, increpitas, exibit quocunque alite. Mirum dictu, quantum doctis viris improbari hæc nostra cupiã, vt mihi, quod alijs quoque pluribus eueniat, non fuisse isthæc errata, sed parum intellecta, quæ mihi errata videantur. Nam indocti nostra recipiant, an reijciant, parum interest: ab ijs enim laudari etiam laudanda, laus non est. Hunc mihi stomachũ vel auctoritas tua, vel Signina certè pyra faciunt. Vale. VI. Kalend. Nouemb. M.CCCCXCII.

HERMOLAVS BARBARVS
Patriarcha Aquileiensis Pico
Mirandulæ suo
S. D.

SALVVS sis. Accepi litteras tuas, quibus magnopere lætari te scribis, quòd Pliniana castigationẽ susceperim. Iactare me hoc opus Naturalis historiæ nobilissimũ, et sine dubio cæleste, in quo vno barbari, & Græci nobis inuidere possũt, minus auidè à veterib⁹ exceptũ fuisse, serò in manus haberi, parcissimè legi cœptũ. Respondeo, verũ esse. Ita prædicare soleo, eiusq; rei argumenta duo sunt. Primũ, quòd eũ paucissimi citant, idq; in leuissimis ferè causis, aliqui etiã coarguũt. Gellius dũ malignè laudat, in ordinẽ quoq; redigit. Macrobius post Q. Fabiũ miratur quidẽ eũ, sed si legisset, cenas suas fortasse lautiores fecisset, nec aliqua parũ vera in secũdas, et arborarium suum cõtulisset. Hieronymũ aliquantò plus studiosum eius hominis fuisse conspicio. Nam Seruius Grãmaticus videtur eũ non gustare, sed olfacere, imò quasi canis Aegyptius currendo lambere. Alterum indicium, quòd nullus ferè liber maioribus, et pluribus nõ dico vitijs, sed portentis scatet, nẽpe quia diu iacuit infrequẽs,

&

& cunctanter aditus. Sunt libri eodem quo arua fato, si negligantur, sentes alunt, & monstra, quibus tollendis non vnus Hercules sit satis. Dixi rem, nunc causſam eius accipe. Duo sunt propter quæ ad nouos libros concursus fiat, res & verba: vtroque veteres affluebant, nobis emendicanda sunt turpißimè vel minimè: illis Romanæ linguæ decus stabat, nobis concidit. Latinus illis sermo quasi verna erat, nobis alienus, externus, venalitius. Illis vtraque lingua suppetebant auctores, à quibus omnia ea tanquam à fontibus haurire non solùm facultas, sed voluptas erat. Vnde isthæc præsidia nobis? vnde viui latices? vnde auxiliares illæ copiæ? In tanta librorum non iactura, sed naufragio, non clade, sed interitu, non sumus omnino Dijs odiosi, quando superstes est Plinius, sustentat ille nos vtcunque mutilus, decurtatus, lacer. Nisi extaret, actum esſet, tunderemus aquam omnes: si eadem quæ ceteros ademisſet nobis eum calamitas, profligata spes omnis esſet Latinæ rei constituendæ. Nunc eo duce, quanquàm semianimi, & exangui viuimus: & nisi ipse mihi blandior, videtur in dies proficere, habetur in manibus, celebratur, colitur. Ad eum omnia ferè scripta, & dicta relegamus. Censetur indoctus, qui Plinium non legit: indoctior, qui lectum contẽnit: indoctißimus, cui non sapit. Debet ætati nostræ plus, quàm suæ Plinius: sed nos ei magis, qui per illum maximè subsistimus. Alij rem Latinam iuuerunt, ille ipse nobis est Latium. Tria millia, & quingenta errata in eo, necdum toto comperi, & quantum in me fuit, restitui: edenda primo quoque tempore, si amici probauerint. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS
Paulo Cortesio
S. D.

PERI-

PERICVLOSIVS mihi est ista, quæ postulas, decernere, q̃ laboriosius. Sunt enim talia, in quibus diu hæsitauerim: vtcunq; tibi nec possum nẽgare, nec debeo, alioqui si tua causſa periculũ adiero, minus dolebit. Dicam igitur quod sentio Sturionem Græci modò appellãt hyscã, siue hyccã, id nomẽ porcũ significat. De lampreda nõ constat, ipse tamen Lampetras dici crediderim fontanas tincas, & vulgò nominatãs lampetras, quasi à lambendis petris. Sunt qui à fulgore lampyndas vocent eas, sed auctorẽ nullũ habent. De trutta non video, quid sit, nisi troctam quis vocet. Ita enim piscẽ nominat Ambrosius in Hexamero, itẽq; Aelian°, sed inter marinos. Vale.

Sturio.
Lãpetra.
Tincæ.
Lampyndæ.
Trutta.

HERMOLAVS BARBARVS
Ioanni Pico Mirandulæ
S. D.

TV verò Pice adeò nihil mihi debes, aut silentij, aut officij alicuius erga te mei nomine, vt mihi litteræ tuæ magno etiam rubori fuerint, qui negligentiam meã pro tua deprecaris apud me, cùm vtrunque à nobis apud te prius quacunque mercede redimi debuerit. Hæc ingenij tui bonitas, candor, æquitas. Agnoscis alienam culpam, cùm aut vitare, aut partiri certe possis, in mutuo crimine solicitus es, qui & anticategoria, & causſa etiã meliore securus esse poteras: aut reus est vterque, aut non tu. Alioqui iam quod ad te attinet, purgasti. Reliquum est, vt & ipse satisfaciam. Sed quid à me ad te potißimum scribi potest? inhortabor vt litteras amare pergas, in quibus es eminentißimus? Monebo vt virtuti, & bonis moribus dedare, in quibus tantum profecisti, vt difficile cognitu sit, vtri Philosophiæ parti maiorem operam impenderis, ei quæ spectatiuas & instrumenta continet, an ei quæ dogmaticen, paræneticenq; cõplectitur?

Om-

Omnino summum, & humano captu maius est, quod tu aut genio, aut certè opifici tuo debes, tam tenera ætate consecutus, quod extrema senectute impudentissimum optare. Non sunt hæc Picę tua, naturæ sunt, Dei sunt: quanquàm si aliquid tuum est, hæc maximè tua sunt. Vide quantò minus tua dici possunt, nobilitas fortunæ, valetudo forma, quibus bonis tam nulli cedis, quàm nec illis, quæ magis tua sunt. Huc te hortor conuerte, hoc diu, & noctu volue, quantum nomen ei sis, qui te vsque adeò ditauit, vt nec soluendo, nec expunctando sis vnquam futurus, quæ possides. Cogita quantum posśit, qui te ista posse voluit: quantum amet, qui te de tam multis millibus sibi legit, qui senes puer fere vinceres: quique nondum ephebus, eruditorum hominum coronas in admirationes doctrinæ tuæ verteres. Nisi hoc vides, nisi æstimas, iam nunc affirmo tibi, & libera voce prædico, te non tantum esse, quantum es. Immensum, & infinitum est quod mihi de te pridem spopondi, & spondeo: sed opinionem præsumtam nec oratio, nec prædicatio consequitur. Facio ego vt solent, qui quantò plus aliquem mirantur, & explicare volunt quod sentiunt, eò minus id assequuntur quod volunt: vt quanquàm magnum aliquid animo concipiunt, verba tamen desint, & moliri potius quàm dicere potuisse videantur. Proinde tu ne hæc ausculta, quæ nunc describo, forásque promo, sed illa potius intellige, quæ intus de te solus, & tacitus loquor, tantò hercule maiora, quantò cogitatio sermone hoc est. Marsilium saluta, & saluiatum tuum. De Politiano nihil opus est labores, qui breui (vt audio) mecum erit, quo nihil mihi poterat in hac legatione tota iucundius accidere. Bibliothecam istic in dies maiorem, & ornatiorem instrui tam gaudeo, vt nihil supra. Debèt Flo-

rentinis litteræ, & inter Florentinos Medicibus, & inter Medices Laurentio, qui gentilium hoc familiæ suæ decus non minori cura fouet, quàm Rempublicam, cuius administrandæ, constituendæq; ius habet. Vale. Mediolani, Cal. Ian. M.CCCC LXXXVII.

HERMOLAVS BARBARVS
Roberto Saluiato. S. D.

FALLERIS Saluiate, siquid aliud præter occupationes meas suspicaris fuisse, quamobrem tibi nondum responderim. Vulgaris hæc, & iactata silentij redēptio, sed mehercule tam vera, vt nisi tu eam probes, de meo in te amore, fide, studio malè meritus esse videaris. Gratissimæ mihi semper litteræ tuæ omnes, sed illæ supramodum, in quibus Mirandulani mei nomen, atque mentio: nihil est eo vno mirius in litteris, nemo quem laudari, ornari, in cælum tolli malim, nemo à cuius predicatione digredi minus possim: in quo sum fortasse, nulli tamen esse videor, intemperans: tam multa in eo laus, tam nulla fini, vt iam & ambitioni, & assentationi locus desit. Apologiam eius legi, & in ea me. Quid ille mihi tantum tribuit, tam parum merenti? cur ordinario testi, ne dicam gregario, tam honorifica præfatione denuntiat, illo præsertim opere, quo nihil subtilius, vehementius, acutius? de quo tamen satius est iudicium meum differam tantisper, dum planè totum perlego. Quoniam autem rescire cupis quid agam: ecquid aliud possum dicere, q̄ studeo? Publica quidem curatio, nonnihil instantiæ illi meæ detrahit, imò studijs nō instantiæ: instō enim acrius, & pensum exigo acerbius: quod mihi vis maior abstulit, assiduitate sarcio: quantò mihi negotiorum plus accessit, tantò auiditatis, & alacritatis plus incussit. Itaq; ferias illas omnes, quas valetudini priuatus homo dabam

in

in publica distribuo: ita quod mihi ex vna causa deperit, ac decidit, alia ratione corrogo. Credo aliàs ad te scripsisse, aut dixisse tibi, qui ex me audierint, instrumentũ Aristotelis, ita enim logicen Peripatetici ferè appellãt, itémque libros octo de auscultatione physica, & treis eius rhetoricos in Latinum à me pridem conuersos esse. Dioscorides iam perfectus est, manus ei nunc à me summa imponitur, parata filiæ dos est, propediem locabitur. Tum leuatus onere Aristotelem aggrediar totus totum, qui nisi aliò me Deus auocet, ab Dioscoridis editione biennio ferè prodibit, absolutus vtique in logicis, & cũ eo commentarij, quos in posteriores analyticos iam perfecimus. Post emissa hæc inibo naturalia, & diuina, item rhetorica, & poëtica. partim commentationibus, partim annotationibus, omnia eius philosophi volumina pro virili mea instruens. Sunt enim & in problematis, & in animalium historijs nonnulla, quæ claritatem, lucémque desyderant, ea cursim, & breuis annotamenti lumine præterfluam: paratus nihil præterea nouum aggredi tota vita. Etenim comprimenda mihi est auiditas, imò improbitas hæc ingenij, ne dum restibile, ac fertile haberi se vult, idẽ operosum, & ambitiosum esse videatur: cottidie verius experior, quàm dici solet, paria esse amplecti omnia, & nihil. Vale. Mediolani, XII. Calend. Nouembres. M. CCCCLXXXVIII.

HERMOLAVS BARBARVS
Ioanni Pico Mirandulæ S. D.

HEXAMERON tuum nudiustertius ad nos Saluiati opera delatum, ita auidè legi, vt prima statim die, nec tota, sine interspiratione totum hauserim. Tria me in eo mirificè delectãt. Primum, quòd ratio tua docet, & monet, id quod & in sacris litteris veteres theologos & in

philosophia etiam naturali Pythagoricos, & Platonicos obseruasse constat, recentioribus in docendo tantum sudantibus. Alterum, quòd in tanta rerum copia, & impunitate diripiendi, tam castas, & innocentes manus habes, vt in hoc scribendi genere teipsum, non alium sequutus esse videare: atque hoc iam nec cũ veteribus, nec cum neotericis commune, sed tibi peculiare, atque tuum est. In quo quidem (sensum tibi meum aperiam) ita sum affectus, vt quoniam hæc priores illi non dixerunt, quæ tu dixisti, nihil ferè dixisse mihi videantur. Tertium, quòd video te non tam Aristotelis, quàm Platonis, & sectarum eius sacris initiatum, plenos inde haustus in hanc lucubrationem contulisse. Omitto quàm multa ex Plotino egregia, quàm cursim, & eleganter attigeris, vt quidquid ferè quatuor eius & quinquaginta volumina in sex nouenarios à Porphyrio digesta continent, non plus legisse, quàm edidisse videaris. Nec illud præterire possum, quòd inter nouos, & veteres theologos. ita medium te geris, vt nec illorum simplicem maiestatẽ oderis, nec horum ambitiosa subtilitate rapiaris. Ita fit, vt dum alteros potes, vtriusque generis optima decerpseris, id quod in ipsa quoque Dauidici poëmatis enarratione facturum te speramus. Vale. Venetijs, Pridie Nonas Septembres. M. CCCCXCIX.

HERMOLAVS BARBARVS
Ioanni Pico Mirandulæ S. D.

SALVE humanissime Mirandula. Ego verò de te tãli bẽter vbiq; prædico, vt nihil maiore voluptate faciã: nõ solùm quia nihil (vt inquit Plato) iucundius auditur, q̃ veritas, sed etiam quia (vt Polemo inquit) multò est dicere, quam audire vera iucundius. Accedit quòd labore nullo (vt est apud Aeschylum, Menandrum, & Euripi-

Veritatẽ laudat.

dem) sæpe etiam non quæsita veritas prodit, inuitissimo etiam plerunq; homini exprimitur, nullis quæstionibus, sed sua tantùm vi. Hæc est tyrannis illa, quam tu candorem tuum sequutus, humanitatem, & bonitatem interpretaris. Et hercule tu iam tantus es, vt qui te non laudat, iudicio, & existimationi suæ detrahat. Rem suam agunt, rationibus suis consulunt, suam famam redimunt, qui fauent, & cupiunt tuæ. Multa sunt in diario tuo nomina, quæ tu nescis, tibi creditores tui debent. Multè consilium Prodici sequuntur, dant, vt accipiant, manus manum scabit, vt Epicharmus recinit: quanto sanè creditoribus, id est, laudatoribus tuis minus debes, tantò plus tibi, qui eos velint, nolint, creditores facis tuos. O inauditum genus æris alieni, creditores esse, non esse debitorem. Sed occupatior sum, quàm vt tecum diutius lusitare possim. At tu quàm solutus es, dij boni, vt quenquam patiare feriantem. Hactenus obsecro me tuleris: longiorem iocum aliquem vt admittas non postulo, oscitatiunculam breuem postulo. Vale cum Politiano meo. Romæ, Idibus Augusti. M. CCCCXC.

HERMOLAVS BARBARVS ORATOR Venetus, patriarcha Aquileiensis Ioanni Pico S. D.

BENE est, bene conuenit, qui multum amas, multum vt mihi pontificatũ Aquileiensem congratularis, multò etiam maiora mihi tribuas, & omineris, quàm aut possim optare, si sim cupidissimus: aut promereri, si modestissimus. Scio pietatem tuã erga me, video quanti me facias, agnosco vim amoris tui, nihil habeo compertius. Vtinam aliquãdo sit, vt mihi tecum viuere, de natura, de deo, de sanctis moribus philosophari liceat. Quantũ hoc cupiã, quantum secundis meis rebus accessionis factum iri iudi-

cem, si hoc eueniat, nec possum exprimere, nec si possim, hoc vtique loco velim. Obsecro, si me vnquam beneuolentia tua dignum existimasti, eodem numero, & loco etiam meliore, si fieri potest, apud te censear Hermolaus, & sacerdos: vt quem paganum sæculi dilexeris, militem CHRISTI factum arctius colas, & chariorem habeas. Ego te, & clarissimas virtutes tuas tam possum non prædicare, non admirari, non tollere, quàm tu non augere. Si assentior, aut mentior, tibi, hoc est doctis omnibus sim contemptui. Tenuit me pridem super te, rebúsque tuis * nunc stupor, & ectasis scientiæ. Patienter hæc leges, nec exaltatum erit cor tuum, nec elatos habebis oculos. Cur enim tibi placeas: qui noueris hæc bona, quæ possides, non tua, nec de peculio tuo esse, sed profectitia, & dominica? Ignosce, rapuit, & euexit me transuersum veritatis Aquilo, & caritatis Fauonius. Vale. Romæ, pridie Calend. April. M.CCCCXCI.

HERMOLAVS BARBARVS
Georgio Merulæ S. D.

Librorũ editio.

PLATO in diuina illa sua institutione de legibus inter prima commemorat in omni Repub. præscribi, cauerique oportere, ne cui liceat, quæ composuerit, aut priuatim ostendere, aut in vsum publicum edere, antequã ea constituti super id iudices viderint, nec damnarint. Vtinam hodiéque haberetur hæc lex, Merula vir doctissime: neq; enim tã multi scriberent, neq; tã pauci bonas litteras discerẽt. Nũc & copia malorũ librorum offundimur, & omissis eminẽtissimis auctoribus plebeios, & minutilos cõsectamur. Et quod calamitosissimum est, periti iuxtà, imperitiq; de studijs impunè, ac promiscue iudicãt. Ex hoc fonte persuasio illa exitialis, & mõstrosa

Atrosa manauit, philosophos, iureconsultósque non posse eosdem esse, & eloquentes. Quam sententiam quia multis locis tum fando coràm, tum scribẽdo taxauimus, non dubito quin odia, & offensionem multorum incurrerim, aut, quod tibi frequens prouerbium est, irritauerim crabrones. Sed quando militiæ huius sacramentum adijmus, capitale est decedere præsidio. Equidẽ statui, modò in me aliquid facultatis sit, non rixando, iurgandóue, sed scribendo, interpretandóque probare causſam meam viris doctis: vt ipsa mihi res testimonium afferat, nullam esse omnino materiam, quæ genus illud dicendi pressum, ac floridum æquè recipiat, atque historiam naturæ. Non eam modò, quæ rationes eius particulares, et sensiles continet (nam hoc Plinius Secundus extra omnem controuersiam constituit) sed eam quoque, in qua vniuersales, & spectatiuæ quæruntur. Quod genus in Themistio primus ego attigisse, quod sciam, credo. Hoc meum propositum, rogo te Merula, quibuscunque potes rationibus prouehe. Esto mihi nõ defensor adeò, sed adiutor, & censor. Quoniam verò negari nõ potest incidere in philosophia locos, quibus explicandis fingere, ac nouare quædam necesse sit: idq; & M. Tullius, & omnes veteres concedunt, modò id nobis cum præfatione quadam, ceu præstito honore agatur: aut, vt ille ait, modò quæ ita nouis nominibus notamus, Latina moneta videantur percussa: in hoc te æquissimum habere velim æstimatorem, & iudicem, vt si qua in libris ijs inueneris aut omnino factitia, aut licenter, ne dicam immodicè, ac duriter translata, aut per abusionem audaculè transpositа, aut imitatione aliqua fortiter afformata, culpam tu nobis hanc totam præstes, atque condones. Nec tamen multa te, vt arbitror, offendent. Decem summum,

aut circiter verba opere toto comperies, quæ arrepta de foro dici non possint, atque horum etiamnum aliqua iam Latinis auribus trita desumsimus, aliqua ipsi peperimus. Cetera non abhorrent ab vsu vel doctorum. Sed explicare non possum, quàm mihi hæc, quæ scripsi, non satisfaciant. Non quòd melius potuerim tum, cum illa scribebam, sed quòd nunc si mihi eadem exigenda stylo essent, infinitum, quàm videantur mihi posse et commodius, & locupletius dici. Nec mihi aliquis illud obijciat, cùm te excusaris, Barbare quid loqueris? Non enim ad id valere hoc, quod modò dixi, volo, quo qui perfrixisse se queruntur, sed vt declarem in illa hæresi constantius perstare, vt putent ferè facillimum esse philosophiam Latinis litteris mandari: quandoquidem illa ipsa minus Latina, quæ aut quòd in rariore sunt vsu, aut quòd priuata, & sua philosophis sunt, quæsita venia dicere necesse habuimus, nihilominus arbitramur posse illustrius, & elegantius nominari. Alioqui ego ea non proinde signanda esse, recipiendáque censeo, sed tantisper dum aptiora aut inuenio, aut ab alijs doceor, tanquam precario ijs vtemur. Dicauimus porrò tibi libros Themistij de ingenio animæ, vtranque ob caussam, & vt argumento hoc vtcunque scires te à nobis amari, coliq;, & vt agnoscens in nobis impetus aliquos, bonæ frugis indices, pro tua bonitate, humanitatéque quibuscunque rebus posses, faueres. Vale. Venetijs, M. CCCCLXXX.

HERMOLAVS BARBARVS
Petro Caræ Iureconsulto, & oratori facundissimo S. D.

DVXIT vxorem clarus bello, & pace vir Triuulcius Neapolitanam prænobili familia. Inuitatus sum ad con-

conuiuium, imò ad pontificiam, & adipalem cenam. At ego ad epulas primas fatur, spectator potius quàm conuiua fui. Credo gratum fore vel tibi, vel posteris, si fercula quàm breuissimè describsero: non vt Macrobius apud nostros, nec vt apud Græcos Athenæus iustis voluminibus, sed vt occupatus homo, & ad epistolæ mensuram. Primum, aqua manibus data, non vt apud nos stantibus, sed accũbentibus, vtique rosacea. Tum illati pugillares ex nucleis pineis, & saccharo pastilli. Item placentæ nucleis amygdalis, & saccharo confectæ, quos vulgò Martios panes vocamus. Secundum fertum, altiles asparagi. Tertium, pulpulæ, ita enim popinæ appellant, & iecusculà. Quartum caro dorcadis tosta. Quintum, capitula iunicũ, vitulorúmue, vna cũ pellibus elixa. Sextum, capi, gallinarum, colũborumq; pulli, bubuleis comitati linguis, et petasonibus, ac summe, omnibus elixis, addito Lymoniacæ pultario, sic enim cupediarij Mediolanenses vocant, quam nostri fermiacam. Septimum, hœdus integer tostus, in singulas singuli capidas, cum iure, quod ex amaris cerasis, siue, vt quidam malunt appellare, lauro cerasis, condimenti vice fungitur. Octauum, turtures, perdices, phasiani, coturnices, turdi, ficedulæ: & omnino plurimi generis auitia, molliter, & studiosè tosta. Colymbades oliuæ condimenti loco appositæ. Nonum, gallus gallinaceus, saccharo incoctus, & aspergine rosacea madefactus, singulis conuiuis singuli patinis argenteis, vt & cetera quoque vascula. Decimum, porcellus, integer tostus, in singula singuli crateria iusculento quodam liquore perfusi. Vndecimum, paùi tosti, pro condimento leucopheon ius, imò ferrugineum è iocinoribus pistis, & aromate pretiosi generis, ad portionem, & symmetriam additum,

Conuiuij descriptio.

Hispani * appellant. Duodecimum, totius orbis ex ouo, lacte, saluia, polline sacchareo, saluiatum vocamus. Tertiumdecimum, struthea cotonea ex saccharo. Quartumdecimum, carduus, pinea, icolymon, siue cynaram potius appellare conuenit. Quintumdecimum, à lotis manibus bellaria, & tragemata omnis generis saccharea. Inducti mox histriones, pantomimi, petauristæ, aretalogi, funambuli, choraulæ, citharœdi. Singulis porrò ferculis præibant faces, atque tubæ: sub facibus inclusa caueis altilia, quadrupedes, auiculæ, omnia viuentia generis eius videlicet, cuius ea quæ magistri, & structores cocta mensis inferebant: mensæ per atrium abacis singulæ singulis dispositæ, sed et priui priuis ministri. Ante omnia silentium, quale ne Pythagorici quidem seruare potuissent. Vale. Mediolani, Idibus Maijs, M. CCCCLXXXVIII.

Ερμόλαος ὁ Βάρβαρος Ιδσίνῳ τῷ Δικαδύῳ εὖ πράττειν.

Καὶ πολλὰ φίλων, καὶ διὰ τὴν φιλίας ἀρετὴν, ἄξιον ἀντιφιλεῖσθαι σφᾶς, ἄλλως τε καὶ ἀπαιτῶν τοῦτο μεγάλην τὴν σωνδήκην. ἐγὼ δὴ πρῶτον μὲν, τοὺς παρ ὑμῶν ἐπαίνους κατὰ πολλὰ μείζους καὶ πλείους τῶν προσηκόντων ἐποίησαμαι. ὅμως συγγνώμη σοι τὸ πρῶτον ἐπιστέλλειν ἀπὸ φιλτάτους ἀρχομένῳ. αἴτιος γὰρ τούτου, σαφῶς οἶδα οὐσὺ κατέδεισκας, ἀλλ' ἐκεῖνον, οὗ τῷ λόγῳ πεισθεὶς, σωτὸν τ' ἴλαδες τοὺς τῶν ἐγκωμίων νόμους ὑπερβὰς, καὶ τὴν πρὸς ἐμοῦ τ' ἀνδρὸς ἐλλείξω γνώμην οὐκ ἀλιθῆ. μᾶλλον δὲ καὶ παρελήλυθας πλὴν οὐκ ἄκων γε σύ. πῶς γὰρ ἀπιστεῖν οὐκ ἔλει τῷ τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα ἐς ἡμᾶς ἄδοντι, καὶ μὴ μέλα; χολᾶν ἄγεσθαι τὸν διηγούμενον, ἐπόμενα πρὸς φίλους ἀνγουσος, ἐπ[illegible]ον-

ἐπόηται. μαρτυρήσει πρὸς τούτων ὦ ἀγαθὲ, εἰ καὶ συμβὰς τοῖς ὅρκοις καὶ θεῶν ἐνόμοτον ὑγιὲς οὐδὲν, τῆτε ἄλλη γενᾶν ὧν, καὶ τοῦ ψεύδεσθαι φειδόμενον, τάυτη ἀναιδὴς καὶ πανταχοῦ σαθρὸς φανήσεται. χάριτας μὲν οὖν αὖθις πολλὰς ὀφείλων οἶδα, ὅτι, μου μετ' εὐφημίας ἀεὶ μνημονεύων διατελᾶ. σκοπείτω δ' ὅμως ὁ Εὐσεβέστατον ἐκεῖνο. αἰνοῦμενοι γάρ, φύσιν, οἱ ἀγαθοὶ, δόξαν τινὰ μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν. ἴσω. ὁ μέντοι λέγεις σὺ, ἐπειδὴ θεὸς τοῦ διαβήματος πολλῷ κεκώλυσαι καὶ γνωρίζειν ἡμᾶς, καὶ ἡμῖν γενέσθαι γνώριμος, χρῆσθαι δᾶν σε τῷ λευτέρῳ, δικονότι τῷ γράφειν ἐπισολάς. ποίει τοῦτο πρὸς καλῶ σε ποθεινότατέ μοι Ιουσῖνε, σωεχῶς. ἡ, τοῦ πνεύματον ἀμαρτὼν, φασὶν, ἐσὶ τὰς κώπας χώρει. ἐμὲ δὲ, τῆτε ἄλλη πάσῃ προθυμία καὶ τῷ πρὸς τὸ ἀντεισέλθειν ἐσιμελᾶ, μηδὲ ποθ' ἥττώμενον εὑρήσεις, κἂν ἴδωσου ποτὲ πλὼ ὄψιν (τοῦτο χαρίσως οὐκ ἐις μακρὰν θεῶν τὰ δίκαια ποιούντων συμβήσεται) ὥσπερ νῦν καὶ φιλῶν καὶ γράφων, οὕτως εὖ ποιῶν κατὰ λύναμιν οὐ πάυσομαι, ἑκάτερον ἅμ' ἐλέγξαι φιλοτιμούμενος, τὴν τ' ἐπωνυμίαν, ὡς ἄρα βάρβαρος ουχ' ὑπάρχω, καὶ πλὼ παροιμίαν, ὅτι κ'εν τῷ βαρβάρῳ χάριτες. ἐρρῶσθο. Ι ε τοῦ Ιδλίδ.

HERMOLAVS BARBARVS
Iustino Decadio s.

ET quòd mirificè amas, & ob vim ipsius amicitiæ, cui in amore vicissim respondeatur, dignissimus es, quum id præsertim tute ingenti studio efflagites. Ego primum à vobis quidem me plus æquo laudari certò scio. Ignoscendum tamen tibi falsa scribere nunc primum aggredienti. Huiusmodi enim rerum auctorem, exploratum habeo te haud quaquàm extitisse, sed illum cuius verbis facilè adductus imprudens laudandi leges prævaricatus es, & minimè veram de me sententiam acceptam præteristi, nec id tamen inuitus. Quomodo enim credere oportuit hominem talia, tantáque de nobis decantanti, & non insanire potius ipsum narrantem autumare? Augustiorem excusse-

runt amici, excusserunt inquam. Testabitur de his ô præclare, interce-
dente etiam iureiurando nihil veri, quum vir alioqui generosus sit, &
mendacij abstinens, hoc uno impudens, & rimosus vbique, & vanus
vndebitur. Veruntamen gratias ei permultas habeo, quòd de me cum
laude & benedicentia nunquam non meminerit: perpendat tamen
Euripideum illud: Quum enim laudantur, inquit, boni, nescio quo
modo laudantes odio prosequuntur, si plus satis laudent, Esto. Quòd
autem dicis, quando per multam locorum intercapedinem non tibi li-
cet nec me cognoscere, nec à me cognosci, iterum videlicet ad nos lit-
teras scribere velle: scribe quæso, carissime mihi Iustine, creberrimas.
Et venti, quod dici solet, impos, remos arripe. Ceterum quum reliqua
omni sedulitate, animiq; alacritate, tum verò rescribendi cura, & di-
ligentia nũquàm abs te comperiar superari. Quòd si coram tueri ali-
quando nobis datum fuerit, quod dijs forsan bene iuuantibus breui
futurum est, quemadmodum nunc & amore, & litteris, sic tum quoque
pro viribus beneficijs prosequi non desinam: vtrunque simul arguere
contendens, tum cognomen, quòd barbarus non sim, tum paræmiam,
quòd etiam in barbaro gratia. Vale. Quinta decima Iulij.

Ἑρμόλαος ὁ Βάρβαρος Ἀντωνίῳ Πυροπύλῳ
εὐδοξοτάτῳ ἰατρῷ καὶ φιλοσόφῳ
εὖ πράττειν.

Καὶ πολλῶν καὶ πολλάκις ἀκούειν ἡμῖν ὄντων διεξιόντων
σοῦ, τήν τε γενναίαν ἐκείνην καὶ πάνυ φιλόσοφόν σου
προαίρεσιν πρός τε τὸν ἄλλην σοφίαν, καὶ δὴ πρὸ περὶ τὰ μα-
θήματα, καὶ πρὸ φύσιν, καὶ τὸ ταύτης ἀξιολογώτατον μέρος
ἰατρικήν, καὶ τέλος ὡς ἄρα μόνῳ ἀπάντων ἀνθρώπων τίκ-
τειν καὶ ὑπὲρ τοῦ γενέσθαι φίλον, καὶ διαλέγεσθαι, παρόντα
πάντα δέοι φιλοτιμεῖσθαι, καὶ οὐδένα πόνον ἡγεῖσθαι τούτου
κρείττω. οὕτω τοίνυν πωλλῶν καὶ μεγάλων ὄντων σοι πλεο-
νεκτημάτων κατὰ ἀρετὴν, ἀβυμίας ἔχομαι τῆς ἐσχάτης κατ'
ἀμφότερα. καὶ ὅτι κινδυνεύω σοι διατελῶν τοιούτῳ ἀνδρὶ
ἄγνωστος. Καὶ ἐπεὶ τοῦτόγε θεραπεύειν ἔξεστι τῆς πρὸς ἀλλή-
λους ἐπιστολῆς, ὅτι γε νὴ δία οὐδεμίαν ἐλπίδα ἔχω τοῦ ἐντυγχάνειν σοι ποτὲ κατ' ὄψιν, ἴσθι δ' ὅμως ἡμῖν παραμυθίαν τῆς

τῆς λύπης ὑπόλοιπος ἐλαχίστη μὴν ἐκείνη, ὦ ζεὺς καὶ θεοὶ, μόνη δὴ καὶ ἄλλως ἀγαπητή. τὸ ἐπαινεῖν σου πῶς ἀρκέσῃ ἀεὶ, καὶ δ' γράφειν σωιχῶς πρός σε, εἴπερ μὴ δεῖ ὄχλος τοῦτο, ἀλλὰ καὶ βουλομένῳ σοι μάλιστα συμβήσεται. κ' ἀγὼ μὴν οὐχ οὕτως ἐνάθης, οὐχ οὕτω σκαιός εἰμι, ὥς τ' ἀγνοεῖν τῆς τοιαύτης φιλίας ὅ ἀνισον. καὶ ὅτι τὸ συμφέρον ἐμοὶ τὸ παρά σου, πολλῷ μεῖζον πεφιλοτίμηται, ἢ σοι τὸ παρ' ἐμοῦ. Επεὶ δὲ τὸ τῆς φιλίας τίμημα ψυχικόν ὄστι μᾶλλον καὶ μέτρον οὐκ ἔχει τὸ λυσιτελὲς ὡς ὑμεῖς οἱ φιλοσοφοῦντες φατὲ, μεγάλου ἂν ἀνδρὸς εἴη κ, τὸ ἥδος σεμνοῦ καὶ μετρίου, προσδέξασθαι τοὺς αἰτοῦντας εἰς φιλίαν, μή τε βαρβάρους, μήτε κακοὺς τὸν τρόπον ὑπαρχοντας, καὶ ὅλως μέντοι σὺ καλος, κἀγαθὸς ὢν, εἴπέρ τις ἄλλος, ἀντιφιλήσεις οἶμαι τοὺς φιλοῦντας. εἰδὲ μὴ, τόγε φιλᾶσθαί σε καὶ θαυμάζεσθαι, τοῦτο σαφῶς οἶδ' ὅτι οὐκ ἂν ἡμῶν ἀφέλοιτο. τὸ μὲν γὰρ μεμνῆσθαί σου καὶ τιμᾶν πῶς μενεῖαν ἐφ' ἡμῖν ἂν τυγχάνει ὅπως δὲ χαίρω καλούμενος ὑπό σου εἰς φιλίαν, καὶ ξένος σοι γενόμενος, τοῦτο ἐπί σοι κατέστηκεν εἰ μὴ, οὐδὲ τοῦτο ἥδη ὄστι σοι, πῶς γὰρ οἷός τ' ἦς ἀντέχειν σοφὸς ὢν καὶ πάνυ χρυσὸς ἀνὴρ, καὶ τὸν οὕτω προσωκειωμένον σοι πῶς διαθεσιν μὴ προσιέσθαι. ἔρρωσο. ἀπὸ Ενετίων γαμηλιῶνος ἕκτῃ ἱσταμένου.

HERMOLAVS BARBARVS
Antonio Pyropylo Medico Philosophoq; clarissimo s.

Et ex multis, & sepe audire nobis licet, referentibus generosum illud tuum, & philosopho dignissimum institutum, amorémque non tam in ceteras disciplinas, quàm mathematicas, & physicam, & huius partem dignitate præcellentem medicinam: denique quòd vnus omnium hominum sis huiusmodi, quem sibi parare amicum, & coràm compellare nullus non certatim eniti debeat, & huic pulcerrimo certamini cetera omnia posthabere, nullúmque laborem hoc præstantiorem existimare: quando multis, & ingentibus virtutibus sic ante-

anteis, & æmines, duplici mœrore, & quidē summo conficior, & quòd in periculum adducor, ne tibi tanto viro perpetuò sim ignotus, & quod id quidem mutuis curare epistolis licet. Quippe tua olim consuetudine vtendi spes me omnis destituit. Est tamen nobis medela doloris reliqua, minima quidem illa, dij boni, vnica verò & alioqui gratissima, in tuas continuò laudes ire, & sæpissime ad te litteras dare, modò id tibi molestum non sit futurum. At rectè & tibi maximè desideranti forsan præstabitur. Nec ego quidem tam hebeti sum ingenio, & rudi, vt huiusce amicitiæ me lateat inæqualitas, quodq; emolumentum mihi abs te maius, quàm tibi à me sit obuenturum. Verum enimuero quando amicitiæ operæpretium animorum magis est, nec vtilitatis modo venit metiendum, vt nos philosophi asseritis, magni viri fuerit, & moribus præditi grauissimis, ac modestissimis, amicorum in album admittere vltro sese ingerentes, qui neque barbari sint, neque improbi. Denique quum sis ipse honestus, & probus, si quisquam alius, tui studiosos puto redamabis: sin secus, tui certè amorem, admirationemq; certò scio te nobis nequaquàm ademturum. Nam tui meminisse, memoriámque colere nostri est arbitrij. Quòd autem me abs te in amicitiam ascitum, & hospitem tibi factum esse lætabundus exultem, id in te situm est. At si iam non in te est, quomodo poteris, quum vir sis optimus, & sapientia singularis, reluctari, & hominem ita tibi affectum & addictum non admittere? Vale. Venetijs octauo Idus Ianuarij.

HERMOLAI BARBARI IN Paraphrasin Physices Themistij præfatio ad Antonium Galateum.

PHILOXENVM Eryxidis, & Gnatonem Siculum gulæ proceres, imò verò extremos, ac perditos gulones, cupediuorasq; infamāt litteræ, quòd cōuiuijs adhibiti emūgere se in pultarijs soliti essent, vt abstinētibus ceteris, soli epulis ampliter fruerentur. Idem mihi vidētur peccare qui studia liberaliū artium docere, aut scribere ingreßi, vocabulis sordidis, & ex intima plebei sermonis fœce acceptis, fœdāt, et cōtaminat omnia, vt bonis mentibus

tibus, & præclaris ingenijs, aut auersis, aut perterrefactis, soli rerum potiantur, voluptenturq; citra æmulum. Ita fiet, vt qui paulò modò humanius educati, institutiq; sunt, non reformident hæc adeò, sed fugiant, oderint, despuant. Contrà, rudißimus quisque, infantißimúsque admoliri manus ijs audeat. Quod nõ contingeret, nisi quòd (vt in prouerbio est) balbi balbos intelligunt. Ac sunt quidem nonnulli tam malè affecti animatique, vt putent quæ in philosophia, matheſi, iuris scientia tractantur, Latinè dici, aut explicari non posse: non tam propter egestatem linguæ, & rerum nouitatem (vt Lucretio videtur) quàm quòd sentiunt humanas litteras, quasi negotium facessere, & impedimento esse maioribus doctrinis. In quo alij etiam importunius, stolidiúsque affirmant pugnantia esse hæc non alio genere, quàm ea quæ disparata, & contraria aientibus dicuntur. Proinde vitio vertunt, si qui vtrunque aut iunctim condiscat, aut ab eloquentiæ studijs se ad philosophiam conuertat. Hi sunt, qui plausus modò in celebritatibus captant, qui per vrbes vehuntur conspicui, qui vnicos se Aristotelis lectores, narratoresque & credunt, & prædicant. Durius fortasse verbum, quàm vt vel homo minimè iurgiosus, immodestúsque afferat, vel vt abesse ab eo inuidia possit. Sed fortis fortuna dicendum est. Nihil æquè perniciosum in omni Republica est, quàm ista persuasio: nihil tota vita incommodius, indignius, fœdius, quàm peruersio hæc, & deprauatio studiorum. Addicerē hoc neceſſarijs rebus, & testibus, sed nolo esse longior in re non dubia. Illud non possum tacere, hoc quod vulgò creditur, philosophos non esse rebus gerēdis aptos, nauosq; nõ aliunde habuisse ortũ, quàm quòd ex ijs plurimi, dum se totos ponunt in vna illa, cui addicti sunt arte,

asper-

aſpernantur, & deſerunt cetera, eloquentiam abdicant, id eſt, cultum, & elegantiam vitæ, hiſtoriam negligunt, id eſt, magiſtram & ducem bene, ac beatè viuendi, de qua & vſus rerum omnium prouenit, & peritia tota Reipublicæ adminiſtrandæ, conſtituendæq; paritur. Hi cùm legati ad externos mittuntur, cùm prætores iuri dicundo ſedent, cùm in ſenatu ſententiam rogantur, mirum non eſt, ſi aliquando præſentibus riſum excutiunt, ſi fatua, ſi delira, ſi extrema deblaterant, ſi tota eorum non plus incomta, quàm imprudens oratio eſt. Et hercules nullum hominum genus viſitur tam abhorrens à ſenſu communi, tam diſtorto, et corrupto iudicio, quàm qui aut philoſophiam, aut ius ciuile ſine litteris cultioribus adierunt. Sed mittamus obſecro hos, qui non verbis, ſed ferula commonendi eſſent: niſi quòd ſenex eſt pſitacus, negligit ferulam. Prius tamen quàm hinc decedo, de genere hoc ita ſtatuo, quemadmodum luſcitioſi exquiſitius cernunt veſperi, quàm interdiu: ita hi facilius præpoſtera, & confuſa, quàm recta, & explanata percipiunt: & quemadmodum qui miſerè degunt (vt inquit Plato) dicunt humanum genus felix, ac beatum eſſe non poſſe, ita qui diuerſum à Muſis ingenium obtinent, negant habitare eas poſſe, in quibus ipſi artibus verſentur. Verùm hortor te mi Galatee, vt adoleſcentibus iſtis veſtris nouitios philoſophos cum veteribus conferas, penſitésque, vt quantum interſit intelligant. Incũbe omni ſtudio, labore, dexteritate, prudentia, vt opinionem illam, de qua ſuperius dixi, quæ ferè in hominum mentibus obduruit, aut diſcutias, aut mollias. Ita enim & illos priuatim, & litteratos omnes in commune promeritus fueris. Multum te in hoc iuuabit Pontanus noſter, cuius tanta eſt vel doctrina, vel auctoritas, vel vtrunque, vt ſpera-

sperare sit eum (si vires intenderit) talem huic malo futurum, qualis aut Sphingi Oedipus, aut Hydræ Hercules fuit. Quòd siquos nactus fueris egregiè pertinaces (sunt enim & in volucrum, & in terrestrium genere animalia, quæ fœtidis gaudeant) ad hos tu ceu aũ præpostera ortos, lustratos, & intemperijs actos, ac plane depositos, deploratósque, ne manum quidem admoueas. Nunc restat, vt de meipso tibi aliqua dicam. Mirari te nolim, si infinitos errores, quos isti partim imperitia linguæ, partim Aristotelicæ disciplinæ insciti a prælegunt, & defendunt in scholis, non coarguo. Nec enim hanc prouinciam suscepimus scribendi res physicas, vt cum illis tanquàm in palæstra (vt dicitur) certaremus de laude, & gloria: quippe quos vincere nullum negotium sit: sed vt vel nobis ipsis commentaremur hæc, si nullos habituri sectores essemus: vel si quibus idem, qui nobis, stomachus esset, ijs ad bonas litteras aliquid opeculæ adderemus. Nec enim spiritus magis magnos in hoc, quã vtiles (vt ille inquit) afferimus. Nec de nobis quidquam magnopere arduum pollicemur, sed quædam tamen inuenisse non negamus, quæ aggredientes ad hæc tantisper morari non muenta potuerint. Illud tempus est in calce vti dicamus, nos tibi interpretationem in paraphrasim physices, pro nostra veteri, ac stabili necessitudine volentes dicasse: alioqui dicaturam hanc stipulatus à nobis es, cum essemus istic: oppigneratam tibi fidem reluimus, quanquam præscriptione vti poteramus & fori, & decennij, sed beneficio harum legum renunciant philosophi quibus in fraude ponitur vel furioso abiurare gladium. Vale. Venetijs. M.CCCCLXXX.

HERMOLAI BARBARI IN Paraphrasin Themistij Peripatetici Præfatio ad Sixtum IIII. Pont. Max.

QVI tibi studiorum suorum opera nuncupant, Sixte Pontifex summe quarte, alij id agunt, vt te vtcũq; sibi promereantur, alij vt fructum aliquem sentiant iudicij tui de se, alij vt abs te tantùm probentur, alij ob alias causas. Ego verò hæc tibi dedico, tum vt meam in te obseruantiam, præsertimq; Zachariæ patris, qui istic, ad te pro Venetis agit legatus, agnoscas: tũ vel maximè vt te pro fide ea, quæ à me tibi vt principi meo debetur, summa, instituti illius tui præclari, & diuini cõmoneã, quòd protinus quàm creatus Pontifex es, flagrantissimè amplexus videris adiuuandi, prouehendiq; litteras, quæ proculbio sine auctoritate, & diligẽtia doctissimi principis, aut interituræ penitus videbantur, aut ad pristinã barbariem redituræ. Nam & ingenia vndiq; conduxisti, & bibliothecã opulentissimã ære tuo, impensaq; publica casti. Nunc te obsecrant, obtestanturq; bonæ omnes artes, ne (quæ tuæ maximæ occupationes sunt) negligentiusculæ in posterũ habeantur. Errant qui credũt grauius esse cum quibusuis hostibus, quàm cum imperitis, & indisertis bellum: Intestinum hoc, & intra parietes, ac perpetuum: illud externũ, temporariumq;. In eo libertas, imperiũ, vita sub aleæ est: in hoc labes animi certa. Per illud desinas viuere, vt res peßimè cedat: per hoc viuas omnino, sed viuas non homo. A Barbaris, à feris, à vulgo differimus, quòd litteras habemus, illi nõ habent: ceteris vincimur, Tolle hoc discrimẽ, deteriores sumus, q̃ Barbari, quã feræ, q̃ vulgus. Hoc tibi (quod cepisti) spectã-

dum

dum identidem, premendum q; assiduè propositũ est. Nullæ sint cogitationes tuæ tam multæ, tam arduæ, quæ curam tibi hanc, aut excutiant, aut offundant. Sub Nicolao principe exercere se, ac reuirescere studia cœperũt. Nisi tu (quod facis) facere perseueres, necesse est consenescant denuò, atque decedant. Igitur Themistium è familia Aristotelis elegantem philosophum, ad te in Latinum sermonem conuerti: ratus non ingratissimã tibi rẽme facturum, si philosophia ea, quæ de natura est, Latinis litteris quanta modò legitur in scholis, cõtineretur. Videbam nihil incultius, horridius, ineptius, quàm partẽ istam litteraturæ haberi. Placuit periclitari in Themistio, an istæc quoque proprietatem, & lucem Romanæ linguæ reciperent. Oppido quàm laboratum mihi in hac interpretatione est. Non tam quòd nihil iuuari ab ijs auctoribus potui, qui Aristotelem commentati fœdè ac barbarè pridem sunt, quàm quòd ne ab illis quoque, qui ætate nostra Latinam eloquentiam professi Græca eius philosophi commentaria transtulerunt. Horum plerique dum alienam inscitiam insectantur, suam prodidere. Adeò omnia ab ijs peruersè, deprauatéque sunt perscripta, vt si quis interpretationes eorum cùm illis veteribus conferat, quas reprehendunt, vel in aliqua Aristophanis libra, aut Critolai appensas examinet, vtræ earum vergant, internosci non possit. Percenserem sigillatim quæcunque peccassent, nisi plura eorum essent errata, quàm verba. Alioqui non incessendi quẽquam, lacerandiue studio sed iuuandi bonas mentes hæc scribimus. Magnam, incomparabilémque iacturam iãpridem fecimus Pontifex Maxime in Theodoro Gaza, qui vir Græcus Latinos omnes in hoc munere scribendi, interpretandique superauit. Is si diutius vixisset, linguam Lati-

nam hac quoque parte locupletasset. Quod & fecit in libris illis absolutissimis de animalibus Aristotelis, & Theophrasti de stirpibus. Hic vnus mihi certare cũ vetustate ipsa visus est, hunc mihi quem colerem, quem imitarer proposui. Ab huius scriptis adiutum me & fateor, & prædico. Hunc ego non magnopere incurioſius legi, quàm Marcum Tullium, Plinium, Columellam, Varronem, Senecam, Apuleium, & ceteros, quos in hoc genere commentandi diligenter euoluere necessarium est. Ne ille quoque minimus labor noster fuit, quòd in ijs libris vertendis non modò nõ expreßimus verbum è verbo, quod interpretes indisertos solere Cicero meminit, sed liberè & translationibus, & figuris, & tropis vsi sumus ad morem Romanum sensibus stantibus. Lusimus arbitratu nostro, sed sententiam integram dedimus auctori. Tantùm verò abest vt aliquid prætermiserimus, dissimulauerimúsue, vt illud periculum sit, ne quòd eruditioni impensè studuimus, addidisse aliqua potius, quàm detraxisse, inuisoribus inuideri poßimus. In plenum non tam Latinum reddere Themistium, quàm certare cum eo volui. Hæc enim laus, vt ille ait, linguæ Latinæ est, vt Græcam proprietatem, & gratiam in transferendo, aut æques, aut etiam antecellas. Hoc me non dico assecutum fuisse, sed crimen meum confiteor. Laboraui planè hoc ambitu. Sed an effecerim quod quærebam, alij iudicent. Ipse certè mea nec magnifacio, nec probo. Sed quid te princeps humanißime oratione longa detineo? Finem faciã si quædam de Themistio dixero. Is Libanij sophistæ, & Iuliani Cæsaris temporibus floruit. A quibusdam abbreuiator creditus Alexãdri ex Aphrodisiade est, sed falsò. Nam & ab eo dissentit haud timidè, cũ collibuit, & ab ordine, ac serie eius variat. Prætered ipse

ipsemet se paraphrasten Aristotelis facit. Est autem Paraphrasis exercitamenti apud rhetoras genus. Ea finitur à Græcis hoc modo, vt sit, quæ narrationi proportione respondeat: aut sic, in qua vertimus aliorum scripta, non in alia, quæ humiliora, grandioráue sint, vt à Metaphrasi differat, sed imparia sensu modò seruato. Quod & Fabius duobus locis sic explicat: Tum mutatis verbis interpretari, tum Paraphrasi audacius vertere, qua & breuiare quædam, & exornare, saluo modò sensu dimittitur, quod opus consummatis professoribus difficile, qui commodè tractauerint, cuicunque discendo sufficient. Alio item loco: Sed & ipsis, inquit, sententijs addicere licet oratorium robur, & omissa supplere, & effusa substringere. Neque ego paraphrasin esse interpretationem tantùm volo: sed circa eosdem sensus certamen, atque æmulationem. Dictus est & à quibusdam Ecphrastes. Est autem Ecphrasis mera, puráque enarratio. Quod ergo diximus inter initia doctißimè pontifex, susceptum abs te patrocinium litterarum ne desere: cùm dico litteras, Philosophiam intelligo, quæ coniuncta cum eloquentia sit. In te eruditio summa, & summa fortuna. Facilè sperare possumus temporibus tuis futurum, vt recta studia volente te (nam potes, nec alius potest) ad dignitatem pristinam reuocentur. Vale. Venetijs, Ecphrastes.

M. CCCCLXXX.

HERMOLAI BARBARI IN CAstigationes Plinianas ad Alexandrum VI. Pontificem Maximum.

PRAEFATIO.

Lucubrationes literariæ principibus dicari solitæ.

QVi lucubrationes suas regibus inscribunt, Alexander sexte Pontifex Maxime, veterē consuetudinem sequuntur. Nec interest qua materia, modò non obscœna. Quando ea litterarum dignitas, & quasi prærogatiua semper fuit, vt dicari eas sibi principes & honestum, & glorioſum putarent. Adeóque nullum genus fastiditum est, vt Iulius Pollux ad Commodum Cæsarem de grammatica, Vitruuius ad Augustum de architectura, Oppianus ad Antoninum de piscibus. Diophanes ad Deiotarum regem de agricultura scripserint. Ego verò Plinianas castigationes, quas legatus Romæ, necdum sacris initiatus inchoaueram, optimis, & doctißimis viris suadentibus perfectas, emißurus, grauißimè reprehendendus fuißem, nisi eas (qualescunque forent) numini, & maiestati tuæ consecraßem. Futurum enim erat, vt cùm alia, tum illud quoque diceretur: ideo me tibi eas dicare noluisse, quia nescirem aut quantùm semper ingenijs fauißes, aut quo demum animo princeps factus, in bonos, & studioſos homines futurus esses. Nicolaus quintus, à te septimus, cùm ei renunciatum esset, quosdam esse Romæ, qui bonos versus facerent, negauit bonos esse. Cur enim, inquit, ad me non veniunt, qui poëtis etiam malis pateo? Molestè tulit homo sapiens in vrbe sua esse, qui litteras scirent, & nescirentur. Quantò mihi iustius tu succenseas Pontifex Maxime, si & militiæ, & sacerdotij iure tibi secundum Deum maximè deuinctus, auctoratus q;, testimonio tuo sæpißimè ornatus, patrocinio adiutus, auctoritate

Nicolaus quintus.

ritate seruatus, commisero, vt labores mei (quicũque sit eorũ Genius) atrati, hoc est, sine auspicio tuo prodeant? Iam ipse Plinius, si quemadmodum restitutus ferè creditur, ita redire posset ab inferis, cui quæso alij salutem, & dignitatem suam, quàm tibi commendaturus esset? Quem simul atque suscepisses, periculum non esset, vti (quæ tua felicitas, & auctoritas est) denuo pessimorum latronum præda fieret. Quinque millia in eo ferè vulnera librariorum sanauimus, aut certè quemadmodum sanari possent, ostendimus. Dixi librariorum, nequis aut me parum pudentem esse, aut Plinium erraße dubitaret. Fuit & hæc vtilitas, quòd in Pomponio quoque Mela, quem nemo ignorat corruptißimum haberi, trecenta ferè loca, totidémque in alijs auctoribus mendosa propere in transitu, atque aliud agentes correximus. Nec omnium tamen par conditio. Prodigiosa quædam, & monstris insignia. Secundæ tribus aliqua minus q; fœda. Iam quædam ex confesso falsa, quædam ad electionem libera. Erunt & quæ tutißimum fuerat omittere, si vtilibus ambitiosa prætulißem, aut placere magis, quàm prodesse laborassem. Nuda aliqua, & quæ velut notare inter agnoscẽtes satis habui: aliqua paulò pluribus verbis explicata. Paßim verò auctores posuimus (id quidem verbosum fuit, sed occurrendum erat inuidiæ) paucißimis exceptis, in quibus tamen non aleam, aut libidinem, sed rationem aliquam secuti sumus. Nec mihi fiducia est, vt (quod Fabius quoque dixit) ea sola esse contẽdam. Scio quædam inuenturos adhuc, qui sagacius indagare voluerint. Vtinámque sit tempus vnquam, quo nostra hæc & leuia, & parum necessaria fuisse videantur. Ego verò tametsi quantùm mediocritate valui, summum in ijs quærendis, & exponendis studium adhibui. Quia tamen

Plinianæ castigationes.

Loci in Põponio Mela restituti.

nec scire omnia profiteor, & conniuere multò sæpius, atque falli proprium est hominis, paratus sum, si in nullo vnquam opere, in hoc præcipuè, quod ad bonorum iuuenum aliquam vtilitatem componitur, non pudorè modò adire deprehensus, sed & culpæ satisfacere. Reliquū est, pontifex summe, vt Plinium, & in Plinio litteratos omnes fidei tuæ creditos, ita tueare, vt omnes intelligant te non modò religionis, sed etiam studiorum, & bonarū artium esse principem. Falleris, si alium fuisse pontificē existimas, de quo sibi omnis ordo, sexus, ætas, vel maiora, vel plura spoponderit. Assentari nescio, & si sciam, nolim. Ridiculi sunt, nec animi tui magnitudinem intelligunt, qui ea te prædicant fecisse, quæ nouus princeps nondum facere potueris, imperium promouisse, auctoritatem sanxisse, innocentissimas manus habuisse, religionis & iustitiæ pertinacem fuisse. Flagitantur, & expectantur hæc à te: laudari sine adulatione, priusquam fiant, nec possunt, nec pateris. Atque vt hæc ipsa priuatus cumulatissimè præstiteris, nescio tamen quo pacto pinguiora quædam, & grandiora desiderantur in principe. Illud citra suspicionem captatæ gratiæ testari licet, cùm tu maximo rerum vsu, incomparabili prudentia, suprema gloria, incredibili felicitate, admirabili facundia, promtissimo ingenio, castissima eruditione polleas, facere non possunt homines præsertim eruditi, atque studiosi, quin summa omnia de te sibi etiam tacente polliceantur. Huius autem spei suæ fructum satis vberem consecutos se putabunt, si Plinium sine quo vix potest Latina res consistere, in clientelam tuam susceperis: atq; ita susceperis, vt opinionē de illo iam receptam, non solùm agnoscere, sed etiam approbare videaris. Conuelli quidem existimatio eius nullo modo potest.

Habetur

Habetur in manibus, celebratur, colitur. Persuasissimũ est indoctos esse, quibus ille non sapit. Vix tamen dici potest, quantum ornamenti atq; præsidij eminentissimo auctori patrocinium tuum afferre posse videatur. Romæ, VIII. Calend. Septemb. M. CCCC XCII.

PRAEFATIO HERMOLAI BARbari cùm libros Aristotelis domi cœpit prælegere, quas lectiones ἑῴους vocauit: cœpit autem mane sub emersum solis ferè.

Id est, matutina.

QVOD propositum meum esset in hac prouincia, quã suscepi adulescẽtes optimi, quanquã priuatim, & seorsum vobis sæpe dixi, tamẽ nũc quoq; dicendũ vniuersis, & in cõmune puto. Animus est, & professio primùm Aristotelis ipsius tum verba, tũ sensum interpretari, deinde quid expositores eius vtraque lingua dixerint, referre, sed breuiter, & cum delectu: ita nec onerati, nec inanes abibitis, id quod ecõuerso faciunt philosophi ætatis nostræ. Expositores enim ipsos magna cura prælegunt, Aristoteles ipse negligitur. Quam quidem rationem docendi vtrum reprehendam, nécne, non sum dicturus hoc loco: certè non sequor. Sed aliud est reprehendere, aliud non sequi. Illud sine iniuria cuiusquam modestè dictum arbitror, eos qui philosophiæ præcepta tradunt Aristotele postposito, philosophos fortasse magnos & admirabiles dici posse: Peripateticos vtique, vel saltem Aristotelicos nec haberi, nec appellari posse, nisi quis contendat Peripateticæ sectæ placita melius ab alijs, quàm ab Aristotele ipso tradi. Neque tamen deterreri volo quẽ-

quam, si qui sunt è vobis, qui præceptores huic instituto nostro contrarios audierint, imò gratulari possunt vtrunque, & quòd perspicaciores futuri sunt, & quòd facilè iudicabunt, quid interfit inter hoc, & illud præcipiendi genus. Contrà quoque, si qui penitus rudes accessistis, nihil propterea desperandum vobis est, nisi potius gaudendum, quibus contigerit, incunabula philosophiæ ab ipso protinus Aristotele doceri, & eam statim viam ingredi, quàm clarissimi & castissimi quiq; secutores eius solum nouerunt. Alioqui qui putāt hunc aditum patere nemini, qui scholas illas philosophiæ nunquam intrauerit, in magno versantur errore: quando-

Philosophi Peripatetici Latini & Græci.

quidem tales scholas nec Marcus Varro, nec Brutus, nec Plancius, nec Calcidius, nec Boëtius ingressi, non Alexander, non Themistius, nō Porphyrius, non Iamblichus, non Simplicius, philosophi tamen eminentissimi, & Aristotelis interpretes iuratissimi fuêre. Sed reuertor vnde fum digressus, credo polliceri vobis posse duas res. Alteram interpretaturum me vobis intra triennium, vel summum quadriennium. Aristotelis omnia volumina, hoc est, quidquid ad dialecticen, quidquid ad philosophiam naturalem, quidquid ad transnaturalem pertinet: item quidquid ad moralem, ad rhetoricen, ad poëticen. Nam de omnibus ijs Aristotelē scripsisse constat. Quorum ne centesima pars quidem legitur, nec ipsa plane legitur videlicet. Nam ex voluminibus Aristotelis centum & vigintiquinque, aut sex, aut septem tantùm leguntur. Alteram effecturum me pro viribus, vt nihil sit in Aristotele tā difficilè, tā obscurum, quod assequi non possitis omnes intelligentia. Reliquum est, vt horter vos nō ad hæc studia, video enim incitatissimos vos esse, sed vt ad hoc desideriū vestrum ardēs, & concitatum affe-

Arist. voluminum numerus.

ratis

ratis & diligentiam, & constantiam: facilè magis cogitamus, vt in auscultatione naturali legitur, sed magis facilè non consequimur. Nihil est tam arduum quo humanum ingenium penetrare non possit: sed sine labore, sine vigilijs peruenire nemo potest ad ea, quæ nos à vulgò separant, & à populo. Cauendum autem vobis inter prima est, non dico, ne per ignauiam desistatis ab incepto, sed ne victi difficultate videamini, atque ita in numero eorum esse, quos ipsemet Aristoteles à lectione commentationum suarum reiecit. Omnes enim philosophi discipulorum suorum ingenia probabant. Pythagoras ex insomnijs, quæ per quietem vidissent: Plato in cõuiuijs, atque potu. Aristoteles vtroque melius, ex ipsa sermonis obscuritate, ad quam non præsentes adeò, sed & posteros explorauit, quasi aquila infantes suos, vt quorum oculos conniuere senserit, præcipitet è schola tanquam adulterinos: quorum verò acies firma contrà steterit, educet, & recipiat vt legitimos, atque suos. Quãobrem enitendum vobis est, vt huius aquilæ videamini generosa soboles fuisse, nõ pulli degeneres, & eiecti. Ceterùm tacere nolo vnum, quod ego maximum, & præcipuum ad studia philosophiæ comperi: quod equidẽ qui sequi volet, nemo est ingenio tam retuso, tam hebeti, qui euadere nõ possit ad huius apicẽ doctrinæ. Quæritis quid hoc sit? Absoluo breuiter, Voluptatum fuga, id quod versu quodam Græco præcipitur: Voluptatũ fuga.

γαστὸς μὲν πρώτιστα καὶ ὕπνου ἠδ᾽ ἀφροδίτης.

Ventris quidem primùm, & somni, & amoris.

Quem per iocum nos expressimus paraphrasi:

Venter, pluma, Venus laudem fugienda sequenti.

Sed finem dicendi faciã, si addidero ijs quæ dixi, breuem sententiolã. Non sum adeò tardus, nec impudens, qui ma-

gnitudinem huius professionis meæ ignorem, sed fretus sum non eruditione aliqua mea, sed nonnulla fortasse diligentia, vt quod vel ingenio, vel doctrina non possum, labore saltem, & cura perficiam. Propter quæ si sunt è vobis aliqui vel studiosi, vel amantes mei, hanc vnam mercedem postulo, vt Aristotelem non dico diligenter auscultetis, sed diligatis, atque ametis. Atque amari quidem & ipse velim: sed si amare simul duos non potestis, Aristotelem solum pro me diligite, atque amate: amabitur autem tũc demum cùm cœperit intelligi. Illud verò persuasissimum habetote, nullam vobis maiorem voluptatem futuram, quàm cùm ita familiarem habebitis Aristotelem, vt libros eius legere continenter, & inoffensè valeatis, expositoribus non consultis. Hæc enim summa profectus est, hic finis librorum, vnde fructus ille cumulatissimus, & verè beatus capitur, vt cum ipso planè viuo, & præsente loqui videamur. Sed accedendi tempus est ad institutum nostrum. Dixi.

ORATIO HERMOLAI BARBARI Zachariæ F. Legati Veneti, ad Federicum Imperatorem, & Maximilianum Regem Romanorum, principes inuictissimos.

POSTQVAM litteræ tuæ, sacer Imperator, iucundissimum Reipublicæ nostræ nũtium attulêre, Maximilianum celsitudinis tuæ filium principem celeberrimum, & fortissimum, admirabili populorum & optimatũ consensu lectum, & salutatum esse regem Romanorũ, Senatus & vniuersa ciuitas nostra non contenta id per epistolã fecisse,

eisse, congratulatum vtrique nos misit, & in mandatis adiecit vt magnitudinem gaudij sui, quòd pro tanta re meritò concepisset, non duobus modò vobis principes inuictißimi, sed Galliæ, sed Germaniæ, sed omnibus gentibus, omnibus nationibus testatißimam, & conspicuam faceremus: cùm quia nihil tam amplum, tam glorioſum ſacratißimæ maiestati vestræ potest contingere, quod sibi quoque pro sua in vos obseruantia, fide, beneuolentia commune non putet: tum verò maximè, quia cùm Christianum nomen, & Romanum imperium hoc latißimo prouidentiæ vestræ consilio diuinitus amplificatum sit, hoc tanto, & tam communi bono sic afficitur vniuersa nostra Resp. vt solicita sit admodum, ne lætitiam incredibilem suam oratione consequi valeamus. Quanquàm enim Cæsar glorioſißime, vt à te primum incipiam, nihil est ferè, quod vel à natura, vel à virtute, vel à fortuna sit exspectandum, quin cumulatißimè consecutus esse videaris: & iampridem eas res gesseris artibus pacis, et belli, quæ nomen tuum æternitati commendare possint: hinc tamen opinione nostra fructum omnis anteactæ vitæ tuæ maximum cepisti, quòd filium generoſißimum, qui nobilißimas gentes, ferociſßimos populos, bellicoſißimas nationes non minus armis, quàm sapientia vicisset, regem Romanum te viuo renuntiari permiseris. Multa sunt maiorum tuorum Cæsar egregia cùm bello, tum pace monumenta, quorum persecutio neque loci, neque temporis huius est: sed omnia ea, vt per se magna sunt, & immortali memoria digna, ita cum hoc vno tuo facto comparata multò reperiuntur esse minora, quàm præ se ferunt. Ac gesserunt quidem illi rem Romanam tam præclarè, vt nihil addi potuerit. Sed quandiu vixerunt, & vtique sibi. Tu autem filio tuo ad gubernacula tantarum

rum rerum promoto, posteritati quoque consulis, et plu
ribus in futurum sæculis prouides, ratione inuenta, quē-
admodum curam publicæ salutis retinere videaris etiam
post mortem: ratus id quod est, imperatoris esse boni
prospicere ne possit esse malus imperator. Principem es-
se malum, quem vitia successoris commendent, & bonum
videri faciant. Nam quotus quisque princeps non bonus
sit, ad alterum collatus? Congratulatur ergo tecum sibi,
& secum tibi, princeps eminentissime, non respublica
modò nostra, sed Christianus orbis vniuersus, quòd prin
cipem eum, quem certatim omnes efflagitabant, & tibi
facere, & sibi habere contigerit. Rara, & visenda feli-
citas tua Cæsar beatissime, filium genuisse, quem Galliæ,
quem Germaniæ, quem Barbari, quem Romani, quem po
pulus Christianus imperatorem optare te viuo, te relu-
ctante, non erubescant. Dixi te reluctante: nam hæc tua
diue Federice propria laus est, non minus tibi, quàm ce-
teris moderari. Verebaris audio modestissimus, & gra-
uissimus imperator, ne si precibus populorum, & prin-
cipum omnium protinus annuisses, aut caritati patris in
filium, aut ambitioni datum esse iudicaretur: parum tibi
videbatur præstare Cæsarem in alios, nisi aduersus teip-
sum quoque præstitisses, imò qui clementissimus, huma-
nissimus, & facillimus es in ceteros, id quod ego non fa-
mæ credo, sed expertus loquor, in te parum æquus, &
duriusculus esse voluisti. Nihil erat apud te fuga volu-
ptatum, & continentia, quas virtutes vno te nullus ante
te magis commendauit, nisi & paternum affectum, quo
nihil esse constat in homine potentius, nihil tam legiti-
mũ, castigasses, & compressisses. Nec enim vitiũ erat in
Cæsare liberos suos, qui & ipsi sunt Cæsares, protinus
quàm nascũtur, reges esse cupere: quandoquidẽ non ma-
gis

gis honestum est regem vocari, quàm Cæsaris esse filiũ. Iam patris in filios indulgentia popularis, & plausibilis quoque solet esse, nedũ vt vel inuidiosa sit, vel probrosa. Nam in Cæsare commendabilis semper fuit, in te verò etiam expetitur quasi debita. Nec iam indulgentiæ nomen habet, sed iuris et æquitatis. Quis enim est filio tuo vel bello, vel pace clarior? quem res aduersæ magis exercuêre? Quis prosperis, & secundis minus intumuit? quis in vtraque fortuna constantior? in labore pertinax? in remissione diligens, ac præcinctus? Mitto bellicas virtutes, quæ vt in eo præstabiles, & eximiæ, ita nec temporum sunt omnium, nec locorum. Attingantur pacis artes, quæ semper & vbique sunt vsui, sapientia, temperantia, placabilitas, innocentia, religio, frugalitas: hæ in iuuene vno tam præclaræ, tam eminentes esse perhibentur, vt ne in sene quidem imperatore maiora desiderari posse videantur: futuræ prorsus incredibiles, nisi eum ex Austria gente celebratißima, et filium tuum esse meminissemus. Quæ cùm ita sint, immortales tibi gratiæ prouinciatim, oppidatimque habentur, & semper habebuntur, Imperator consultißime, quòd pro communi bono verecundiam & modestiam tuam expugnari passus es. Ergo his teipsum vicisti Cæsar inuictißime. Primò, cùm oblatum filio tuo regnum minimè dißimulanter auersatus, & deprecatus es, naturalemque patris in filios pietatẽ virtute plusquàm heroica, imò diuina quadam mentis, & animi magnitudine superasti. Secundò, cùm hanc ipsam virtutem, qua modò te vicisses, vtilitatis publicæ contemplatio peruicit: & impetrauit à Cæsare, quod impetrari non potuisset à patre. Sed iandudum mihi Cæsar innuit, Maximiliane Auguste princeps generosißime, vt à se digressus orationem ad te cõ-

uertam

uertam: obtemperabo lubens, atque lætus: cùm quia laudes tuas pater æquiore animo, quàm suas audit: tum quia per hũc modum imperio senatus, & desiderio Reip. melius, & vberius satisfecero. Ergo maiestatis tuæ nomen apud nos tam celebre semper fuit, vt ad diligendũ, amandúmque te propensos, etiam ad colendum, & obseruandum impulerit. Est hic mos Reip. nostræ peruetus, atque sanctus pernicioſos, & improbos tyrannos exitialiter odisse, principibus bonis, & fortibus nõ solùm fauere, sed etiam obsequi, dignitatem eorum, & amplitudinem omnibus modis iuuare, tueri, defendere. Aetate porrò nostra nemo de regum, et principum numero fuerit, quẽ colligi tecum, & comparari posse iudicemus. Omnino talis, & tantus es apud nos, in quo vel plura, vel maiora, quàm præ te feras, optare, comminisci, desiderare pudor sit: vt nemo mirari debeat, si lætitiam immortalem, gaudium incredibile, voluptatem incomparabilem, quam te Romano rege declarato concepimus, dicendo repræsentare nullo modo possumus. Enitent, ac prælucent in vno te: sed iuuene, mirum dictu, virtutes omnes imperatoriæ, iustitia, liberalitas, animi magnitudo, clementia, placabilitas, abstinentia voluptatum omnium: & vt complectar vno verbo multa, quàm immaturũ æui te cernimus, tam maturum imperij te cognoscimus. Peruidit hanc indolis altitudinem Carolus rex Belgarum, experientißimus belli dux, & acerrimi vir ingenij, qua vsqueadeò exarsit, vt nihil prius habere videretur, quàm vt vnicã sibi filiam virginem magnæ spei feminam lectißimã, hæredem multarum gentium nationumq; futurã, & omnino quã multi reges appeterẽt, obseruarẽt, ambirẽt, tibi vni ferè puero, nec vxorio, nec quærenti desponsare posset. Vndeuigesimo autem ætatis anno, quũ princeps ille, cui mox

Carolus Burgundiæ dux.

mox asciscendus gener eras, ab Leucis, et Heluetijs interceptus esset, soceri tui regnum à Gallis occupatum ingressus, parua manu fusis, et trucidatis ingentibus hostium copijs, seruitute liberasti, vxorem defuncti ducis, & filiam fortunatißimas modò feminas, tum miserrimas, & exangues, nec plus mœrore, quàm metu cõfectas, omni diuina, & humana spe destitutas erexisti, subleuasti, redemisti, vitam earum, & dignitatem, & pudicitiã cõseruasti. Hoc mater, hoc prouinciæ tanto & tam immortali beneficio deuinctæ, virginem ope tua recreatã, virtute tua defensam, tuis armis inimicorũ ereptã iniuriæ, desponsatã à patre prius animo, tũc certatim opere tibi collocant, videlicet vt eundem generũ, atq; virũ haberent, quem habebant & assertorẽ, & vindicẽ. Hactenus rudimenta virtutis, & fortitudinis tuæ diximus. Quid illa, quæ mox egisti, quàm famigerata! quàm mira! quàm visenda! Nato tibi filio ciuiles ortæ seditiones sunt Morinis auctoribus: quorum opera factum est, vt carißimũ tibi pignus, nescio quo prætextu custodiendum, & asseruandum eriperetur. Fuit hoc eorum non perfidia, nõ defectio, princeps glorioßime, sed fati vis hoc agentis, vt per intestina quoque bella clarior, & celebrior fieres. Nec enim plus eo amat fortuna, quos indulgenter habet, & quibus parcit, sed quos iactat, quos exercet: alioqui clari nec bello, nec pace duces intelligũtur, quibus omnia prosperè cedunt, sed quibus contingit per labores, per ærumnas, per incommoda splendescere. Nam vt secundæ res felicem, magnum certè faciunt aduersæ. Alexandrum illum Macedonem sunt qui minus egregiũ bello ducem fuisse prædicẽt, quòd ei nullius pugnæ non secunda fortuna fuerit, quodq; in ipso rerum incremẽto nondũ vertentem fortunam expertus, vita decesserit. In

te

te verò, quem certa siderum decreta sceptro patrîs, & solio destinauerant, quid mirum si aliqui operam dederunt, vt tristiora tibi tempora inciderent, ne aut virtus quiete langueſceret, aut parum dignus imperio fuiße videreris, qui omnino futurus eſſes imperator? Itaque continuos nouẽ annos in castris agens difficilima quinq; bella profligasti, Gallicum, siue Frãcicum, Eburonicum, Sicambricum, Batauicum, Morinicum: quod quidem postremum haud facilè iudicari potest vtra tibi re gloriosius fuerit, eóne quòd filium tandiu tibi ademtum, auulsumq; recepisti, an eo quòd nobilißimas gentes, scientißimos bellicæ rei populos, vrbes opulentißimas ad deditionem, & pœnitentiam cõpulisti, id quod nec Carolus socer, nec prosocer Philippus excellentißimi duces, hic bello, ille sapientia, consequi potuiſſe memorantur. Non cogito Panegyricũ, rex clarißime, non laboro verborum ambitu, nihil amplifico, nihil alleuo, sed decurro per capita, & nudas rerum à te gestarũ summas attingo. Mirantur tamen hæc omnes, mirantur etiã citra fucum & negligenter effusa: plus mirẽtur siqui te propius introspicerent, & virtutes eas intuerentur, quarũ præsidijs munitus, tot insignes victorias, tã multa belli decora consequutus eſſes: videretur istud os tã probũ, tã facundũ, hæc tracta de cælo species, ista lacertorũ, & pectoris firmitas, hic totius corporis vigor, hæc animi temperatiuitas, & volucritas, hic imperatorius ardor oculorum: prætereà quàm ferox in prælio, mitis in contubernio, effusus alijs, tibi parcus, in castris nõ veste, nõ mensa præcipuus. Aguntur hiemes cum cetero milite sub pellibus, sudantur æstates æqualiter: Epulæ modico, & castrensi cibo contentæ. Iam quis te solertius castris locum capiat? commeatus expediat? hostem ludificetur? pugnæ

pugnæ tempus eligat? aciem instruat? vrbes obsidione cingat? Neque verò partes imperatoris, & optimi ducis imples, militis non imples. Nullum tibi castrense munus sordet, non stare pro signis, non excubias sorte agere, non vallum ferre non speculatum egredi, primus inire prælium, postremus excedere, vtrunque iuxtà doctus, opere militem, & consilio ducem agere. Nullam tibi vel principalis fortuna, vel maiestas imperij functionem remittit, nihil tibi parcis, nihil blandiris, indulgentißimus ceteris, tibi parum lætus: & omnino nihil gregario plus habes, nisi quòd plus laboras: ratq; id quod est, non tam honorem, quàm onus esse quòd regnas: imperatoris hoc esse munus, vt opes, & magnitudinẽ suã non ad ambitum quempiam priuatum, sed ad salutem, & commoda Reip. conuertat: vtique non imperium sibi, sed seipsum imperio dedititiũ faciat. Sed & illa tibi peculiaria feruntur, diligere quidem omnes, sed amicos etiam deligere, non oblatos istos, & passim obuios, de palæstra, de sphæriterio, de fritillo, sed quos ad innocentiam, patientiam, continentiam, ad algores, ad æstus, ad opera militaria sæpius exploraueris. Nec enim amici sunt, quicunque vos sequuntur (alioqui tam multi, quàm sunt, vt Plutarchus inquit, in culina muscæ, quæ cum ipso nidore confluunt, & recedunt) sed quos amicitia dignos esse iudicaueritis, eos debetis vos vltro sequi. Itaq; cùm ijs, qui se tibi aliquando virtute commendauissent, consuetudine delectassent, vtilitate demeruissent, in omnia familiaritatis officia descendis, & Cæsarem obliuisceris, vt amicum præstare possis. Neque verò postremum inter laudes tuas posuerim, quòd litteras, & ingenia (sicut audio) tã impensè diligis, quódque bonas artes non foues modò, sed alis, atque promoues. Impe-

ratorium & hoc decus, cùm quòd in nullo plus emicat hîc nitor, & hoc lumen doctrinæ, quàm in regibus: vnde natum sit illud ex Homero Platonis interpretatione, discipulos deorum non alios esse, quàm reges: tum verò maximè quòd præcepta sapientiæ non habentibus modò prosunt, sed in alios (etiam ferè dixerim plus) redundãt. Quis ignorat Anaxagoram in Pericle, Platonem in Dione multos instituisse? Non nauigasset ab exercitu Cato Rhodon, vt Athenodorum audiret, nec Panætium Scipio videre concupisset, nisi tantum in eare, vel ornamenti, vel fructus inesse iudicauissent. Prætereo multa prudens, atque conscius, nihil me fugit, quàm religiosè, quàm innocenter, quàm sanctè ineuntem iuuentutem tuam exigas: patet omnibus obsequentiorem te patri filium nec esse, nec fuisse quenquam. Scio quàm præclaræ, quàm magnificæ cogitationes tuæ sint omnes. Nõ ignoro quæ pridem vota conceperis, nuncuparisq; digna principe Christiano, digna maioribus tuis, digna Cæsare, digna te ipso. Hæ virtutes tuæ illæ sunt, Imperator vnice, propter quas ducem suum te bellicosissima terræ Galliæ pars Belgæ non modò non dedignantur aduenam, & Germanum, quibus alioqui tam sunt infensi, quàm proximi, lingua, cælo, moribusque disiuncti: sed appetunt vt indigenam, venerantur vt principem, diligunt vt parentem. Hæc ingentia tua merita, propter quæ Federicus pater innocentissimus, & grauissimus imperator adduci persuaderiq; potuit, vti te regem Romanum se viuo renuntiari pateretur. Ac differebat quidem ille primùm, & cunctabatur, simul vt verecundiã, & modestiã suam, quemadmodum prædiximus, ab omni labe suspicionis assereret: simul vt exploraret assentaturne patri, qui pro filio tam enixè laborarent,

an

in consultum saluti suæ vellent: Sed extemplò patuit acclamationes illas, atque preces non adulantiũ voces fuisse, sed studentium. Nam adulatio semel elisa protinus frangitur atque langueſcit. Studia quò plus arcentur, eò magis gliſcunt, & exardeſcunt. Quanto nunc, diue Federice, gaudio perfunderis, quòd filius tuus te incolumi placere poteſt imperator! quàm iucundum tibi, quòd te comparari filio tuo ſentis! Et quoniam controuerſa res videtur, modò vincis, modò vinceris. Ceterùm quid prouidentia tua dignius, amplitudini glorioſius, clementiæ, pietati, felicitati conuenientius facere potuiſſes, quàm vti quem ex vtilitate publica fuit vt genuiſſes, eidem quoque per patrem & decus, & nomen imperatoris accreſceret? Macte ingenti vtroque in Rempub. merito, etiam ſi difficilè percipitur, vt inquit ille, pulcrius, & honeſtius fuerit genuiſſe talem, an cooptaſſe. Non multò minor tamen veſtra laus Germani principes integerrimi, quorum ius id eſt, regem Romanum mox futurum, imperatorem eligere. Nec enim poſſunt non optimi cenſeri, qui principes ſibi optimos proſpiciunt. Proinde cùm talis, & tantus eſſet is, quem legiſtis, vt & omnibus anteponi meruerit, & ab omnibus, ſcitote vos vtrunque cumulatiſſime conſecutos fuiſſe, & vt gratiæ vobis ab omnibus immortales, & incredibiles haberentur, & vt nomen veſtrum æternitati commendatum, & cõſecratum eſſet. Etenim vt nomine Vitellij, vel Othonis ſubinde admonemur eorũ, qui faces illas, atq; peſtes ad diſſipandũ, & inceſſendum orbem intuliſſent: ita hæc optimi principis electio nunquàm memoriæ hominum ſine vobis recurret, quoties q; poſteri veſtri res ab illo fortiter geſtas incognoſcent, toties laudabunt, qui eidem imperio præfecerint. Sed redeamus vnde nos con-

templatio patris, & eorum, qui te legerunt, adduxit. Magna per se res erat, omnibus punctis, omnibus suffragijs, & (vt ita dicam) tributim, centuriatimq; declaratum esse regem Romanorum: sed fecit occasio maiorem. Ea sunt enim Reipublicæ Christianæ tempora, is habitus imperij, vt non tam speciosum fuerit te regem creari, quàm necessarium, nec ad futura modò, sed ad præsentia rerum momenta salutare. Omitto sigillatim enumerare publicas clades, omitto percensere quàm luxata, quàm conuulsa sint omnia religionis Christianæ membra, omitto bella, quibus imperium hoc distinguitur: sit enim piaculum in tam festa præsentium gaudiorum luce miscere tristia: illud sine periculo violatæ publicæ lætitiæ dicetur, hoc quod principes Germani de creando te sibi rege cogitauerunt, non tam consilium fuisse, quàm remedium. Ergo non ad otium, non ad remissionem, non ad quietem (alioqui tibi debitam post tam multos labores) sed ad nouas expeditiones, noua bella, nouas difficultates, imperium tibi traditur, omninoque per hoc non solatium, tibi, sed alijs quæritur: nihil enim aliud cogitasse video summos viros, qui te patri tuo principi nobilissimo, sed annorum pleno, socium addidere, quàm vt ille consilio Remp. tu laboribus, & operibus adiuuare posses. Quid illud, quàm glorioſum tibi, quàm lætum patri, quàm omnibus in tempore, vt regem decerni tunc demum te contingeret, cùm opem tuam non imperium, sed imperator, nec imperator, sed pater expectaturus esse videretur? Accessit hoc ad cumulum amplitudinis, & fortunæ tuæ, rex præstantissime, vt qui filium infantem è penitissimis hostium munimentis eripuisses, apud eundem patris quoq; recreati gloria staret. Duos omnino legimus cognomẽto Pios fuisse, nec argumentũ ignora-

ignoratur, vnde sic appellari meruerint. In te posteritas ambiget, vter euentus hoc nomen tibi conciliauerit, quòd pius in parentem, an quòd pius in filium apparueris. Sed iã tempus est, vt vela retrahamus, neu longius me, quàm volo, aut quàm partes legati sunt, laudum vestrarum splendore, numero, magnitudine detineri patiar. Quamobrem si nihil est in rebus humanis principe Romano maius, & augustius, si talis, & tãtus est filius tuus Cæsar, vt ab omnibus legi debuerit, & ex omnibus: deniq; si nihil vel nobilius ad gloriã, vel certius ad salutẽ excogitari poterat, quàm vt ille Remp. difficillimo tempore capesseret: nemini mirum videri debet si quod per initia testatus sum, ad huius magnitudinem lætitiæ nullius hominis facundia, nullius vis ingenij, peruenire potest. Sed hæc translatitia sunt, communia sunt omnibus. Illæ peculiares Veneto caussæ, quòd neque gẽs est vlla, neque natio (absit verbo inuidia) cuius vel plura, vel maiora, & in Christianã Rempub. cuius vos caput estis, & in Romanum imperium argumenta beneuolentiæ, fidei, pietatis appareant. Non auderem ista profiteri Cæsar optimè, nisi & vera esse constaret, & tu vera libenter audires: alioqui sciebam scelus esse coram te parum certa dicere, nedum falsa. Sunt & illa nobis propria, Maximiliane rex fortissime, quòd clarissimum nomen Austriæ familiæ, qua nulla fuit vnquam regum, imperatorúmque fecundior, religiosum, & venerabile semper habuimus, quòd Federico patri tuo principi saluberrimo, quæcunque se res tulerunt, enixè studuimus, quibuscunque eum locis, & temporibus singulari significatione voluntatis, & obseruantiæ prosecuti sumus, quòd ipsum te semper à teneris vnguiculis inductione quadã animi non occulta impensissime coluimus,

auctoritati tuæ fauimus, amplitudinem quantum vires fuere defendimus. Iam qui principibus Lusitaniæ nobilissimis & fortissimis, vnde maternum tibi genus est, qui socero tuo Carolo duci generosissimo, qui Philippo eius patri sapientissimo principi cariores vnquã fuêre, quàm Veneti? Tot modis copulati cùm sublimitate vestra sumus, tam multiplici nexu vincti, vt qui hæc non videt, nihil omnino videat: qui plus desiderat, nihil omnino desideret. Gratulatur ergo prorsus in vobis sibi, & in se vobis senatus, & vniuersa ciuitas nostra, non quantùm ceteri fecêre, sed quantum nulli: nec quantum dici, vel cogitari potest, sed quantùm nec dici, nec cogitari fas est. Et quoniã ambo vos celeberrimi principes hinc pater, inde filius, ita mutuò creuistis, vt neq; tu maior, neque tu felicior esse possis: reliquum est, vt Deum optimum maximum conditorem huius, & seruatorem imperij publica vice comprecer, & obtester, vt quando rem Romanam principum duorum patris, & filij, huius maturitate senioris, illius virtute iuuenis florentissimã esse voluit, beneficio suo faueat pietatémque suam, & voluptatẽ conseruandi per optimos principes generis humani sanciat, & perpetuam esse iubeat. Postremò, vt illustrissimum ducem nostrum, & inclytam Rempub. incolumitatis, & gloriæ vestræ cupidissimam, quæ te Cæsar semper & patrẽ, & principem Christianæ religionis agnouit, coluit, & suspexit, sacrosanctæ maiestati tuæ, quanta maxima possumus veneratione, religione, deuotione cõmendemus, opes nostras omneis, atque vires ad ornamentum, & incrementum imperij, dignitatẽ, & amplitudinem sacratissimi nominis vestri, promtas, expositas, & dicatas esse doceamus. Dixi.

HERMOLAVS BARBARVS

I. Carondeleto supremo regis Rom. Secretario S.

RATIONEM à me nudiusquartus habitam ad principes, amplitudini tuæ mitto recognoscendam, castigandámque. Quanquàm enim mei moris esset, nihil vnquam temerè, nihil non diu conditum, atque pressum emittere, cùm primùm tamen desiderari eam à te subodoratus sum, intuli mihi vim, & peruici tandem, vt instituto meo decederem: ratus id quod erat: minus esse malum, adire periculum famæ, quàm moram desiderio tuo facere. Quæris vnde tanti sis apud me, quem ne de facie quidem norim. Perspectæ sunt omnibus eruditio, fides, integritas tua. Compertum nobis est quantùm Veneti nominis studiosus sis, exploratum habeo quantùm me diligas parùm merentem, quantùm orationem, & actionem meam commendes. Sed heus tu docte vir, obsecro ne mireris, si qua leges in hoc libello, quæ tunc dicta non fuerunt. Nec enim addidi nunc ea, sed detraxi tunc: admonitus ab aulicis extemplò quàm limen attigi, ne longus essem, ambitiosa reciderem, optima quæq; dicerem, patientißimis omnino, sed occupatißimis tamen principibus parcerẽ. Amputaui subito cõsilio multa, quanquàm quod potest consilium fuisse, si subitum? ea quæ tunc resecui, modò sunt annexa: vtcunque, veterum exẽplo facimus, quos F. Quintiliano teste, constat longè aliter scripsisse, quàm egissent. Exulanti Maßiliæ A. Miloni quidã orationẽ M. Tullij, non quã habuisset pro eo, sed quã scripsisset, attulit: tũc ille, Si sic egisses, inquit, Marce Tulli, non esitaret Maßiliæ barbatos pisces Milo. Ceterùm non dubito quin, nisi te amor fallat, vt audiendo

tunc, ita nunc legendo non parum multa tibi displicitura sint. Sed æquum te quæso nobis & cognitorem, & iudicem præbe, considerans hoc, & æstimans, quòd sesquihoram antè, quàm principes adiremus, significatum nobis fuerit, non duas orationes seorsum, vt cogitabamus, atque paraueramus, sed vnam duobus iunctim habendam, & recitandam esse. Plena difficultatis, plena discriminis res erat: tota mihi ratio dicendi puncto temporis immutanda fuit, orationis vniuersæ filum retexui, atque vt breui rem complectar, & cutis, & facies ipsa prorsus interpolata est. Vale decus nostrum, & me principi nobilißimo, cuius es inter eos, qui sunt à secretis, meritò supremus, commendatißimum rogo facias. Vtinam aliquando tanti sim, vt res ab illo fortiter, & magnificè gestas posteritati commendare poßim. Tam facturus sum id libenter, quàm qui maxime desideret. Ex Burgis pridie Non. Augusti, M. CCCCLXXXVI.

FINIS LIBRI XII.

Platonis Charmidem per Angelum Politianum Latinitate donatum, reiecimus in eum Tomũ, qui reliqua ab eodẽ è Græco in Latinam tralata linguã continet.

ANGE-

ANGELI POLITIANI MISCELLANEORVM CENTVRIAE PRIMAE AD LAVRENTIVM MEDICEM

PRAEFATIO.

CVM tibi superioribus diebus, Laurenti Medices, nostra hæc Miscellanea inter equitandum recitaremus, delectatus arbitror nouitate ipsa rerum, & varietate non illepida lectionis hortari cœpisti nos, vt vnam saltem ex eis Centuriam (nam centenis libri singuli capitibus explicantur) publicaremus. Quod nunc vtique simul auctoritate tua, qua maior, nobis quidem, nulla in terris est, simul ratione adducti facimus: quoniam nostra ista iam nonnulli vel cum puluisculo conuerrunt, sic vt alijs pridem, sibique nostrorum titulo laborum nimis placeant. Quanquàm scimus inuidia magna fore hos libros, & multum sermonis subituros, vt qui de magni nominis auctoribus liberè pronuncient. Sed non id nostrum exemplum. Non scriptores fermè omnes sic suas tuentur parteis, vt alienas oppugnent, ac laudis occasionem plerunque de aliorum erratis petant: tum sæpè à tenuioribus, & gregarijs, velutique postremæ notæ, qualis ego, vel Cluuienus, etiã proceres illi (vt ita dixerim) et anteſignani quidam litterarum suggillantur. Vetus est autem dictũ, Conscientia mille testes. Scit illa prorsus nihil

hic odio datum, nihil stomacho, cãdidè omnia, & simpli citer, nihil aut insectanter, aut maleuolè, nihil oblatrandi studio, nihil ostentandi voto protulimus, animoq; semper ad probandum (si liceret) quàm ad improbandum propensiore fuimus. Neque videlicet strophis, aut cuniculis, sed libero examine, libera veritatis fronte rem gessimus. Ac non id quæsiuimus, vt aliquam doctis hominibus veluti labeculam aspergeremus, sed id cauimus potius, ne sub illorũ auctoritate studiosorũ fides periclitaretur. Denique in eos potißimũ cuneus hic ex professo directus, in eos hic aries ex destinato temperatus, qui contra veri faciem, pro vernaculo quidem sibi, sed imaginario tamen sensu frontem durãt: eos acie stylimaximè compungimus, qui stylum vertere, hoc est, qui sua errata dißpungere non didicerunt. At inordinatam istã, & confusancã quasi siluã, aut farraginẽ perhiberi, quia non tractim, & continenter, sed saltuatim scribimus, & vellicatim, tantum abest vti doleamus, vt etiam titulũ nõ sanè aliũ, quàm Miscellaneorũ exquisiuerimus, in queis Græcum tamen Helianum, Latinum sequimur Gellium, quorũ vtriusque libri varietate sunt, quàm ordine blandiores. Quanquàm me Clementis quidem Alexandrini Pontificis, apostolicique viri commentaria, quæ στρωματᾶς, quasi stragula picta dixeris, inscribebantur, aliũ profecto nobis titulum, nisi varietatis istius insinuabãt. Etenim de Aristoxeni taceo commentarijs, quos pari fermè titulo citat eo volumine Porphyrius, quod in Harmonica Ptolomæi cõposuit. Deniq;, si varietas ipsa, fastidij expultrix, & lectionis irritatrix in Miscellaneis culpabitur, vna opera reprehendi rerum quoq; natura poterit, cuius me quidem profiteor tali disparilitate discipulum. Quòd si ad omnẽ se minutiẽ demittunt, hoc ve

Helian⁹. Gellius. Varietas blanda. Clemens Alexãdrinus.

vò apud Latinos exemplo etiam Cæsaris, Varronis, Messalæ, Ciceronis, Plinij, Quintiliani, aliorumq; similiũ facere licet, quos æmulantibus & errare honestũ. Quare quod istos veluti patricios decuit, etiam me quasi minorũ gentium nõ dedeceat. Par adeò celebritas nominum, vel Græca inserit, vel ex commodo interpretatur, idq; nunc ad sensum, nunc ad verbũ, quod hîc vtrunq;. Iam si cui parum quæpiam enucleata fortasse etiam nimis dura, obscuráq; videbuntur, certè ijs nec ingenio satis vegeto, nec eruditione solida, fideliq; fuerit. Si cubi barbara quædam, & obsoleta deprehendentur, ea verò de industria dispersimus, etiam vt barbaris & ineruditis placeremus, & fieret liber corrosa vndiq; gratiola vendibilior. Si qui remotiora dicent hîc inueniri vocabula, quàm vt sumta credantur de medio, næ isti arbitror sententiã suã mutabunt, cùm aduſq; mediũ litteraturæ promouerint. Nec enim desunt, quibus etiã (vt ait M. Tullius) alabastrus vnguenti plena putere videatur. Tum in hoc genus scriptionibus, quæ non se populo venditant, sed paucis modò parantur, vsus istiusmodi reconditæ supellectilis, præsertim verecundus, minime improbatur à bonis. Nec enim renouare sit probrum, quæ iam penè exoluerunt, si modò hæc ipsanõ vetustescere adhuc, sed veteraſcere de integro posſint. Siquem nonnulla interim offendunt eloquendi diuerticula, minus fortasse homini nota, qui decẽ tantùm Ciceronis paginas, nihil prætereà lectitauerit, vtiq; ab hoc ego ad eruditos prouoco: præcipuè credo laudaturos, quæ ab ipso improbabuntur. Nihil autem forsan intolerabilius, quàm vt de te sententiã ferat indoctus, qui tamẽ sibi ipse doctiſsimus videatur. Siquis vbi quid refellitur, multarum vel auctoritatum, vel rationum moles desiderat, at victoriam sciat illis

Vetustesco. Veteraſco.

illic à nobis, non victoriæ quæri satietatem. Si longiuscula capita alia, breuiuscula rursus alia putabuntur, credamus hanc quoque esse legem noui operis, vt æquale habeat nihil, nusquam sibi sit par, semper dissimilitudine claudicet, vnámque istam regulam tueatur, ne quid ad regulam, ne quid ad perpendiculũ, libellámque reuocet. Si liberior stylus insolentis existimabitur naturæ forsan benignior interpres simplicitati potius tribuet, quæ nec ingenuos dedecet. Sicubi porrò consuetudo refragabitur, at veritas, quæ nugas nõ facit, aut veritatis vicaria consuetudo melior patrocinabitur. Nam & sumtum cõsuetudine dicitur, quod aduersus auctoritatem sit receptum, & error sæpe consuetudinis obiectatur à doctis. Tum pulcrè sic ait quidam. Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Denique si paucula resperſimus interim scrupulosa, & anxia, quódque verius, subacida, vel ex philosophia, cuius iampridem sumus candidati, vel ex orbe illo disciplinarum, quæ studio sapientiæ famulantur, at ea stomachum tamen lectoris prædulcibus marcentem recreabunt fortassis, & exacuent. Nam quò hæc omnia grata sui vice conspirent, & quodam velut antitheto federentur, penè de calcaria (quod dicitur) in carbonariam decurrimus, & id operam dedimus, vt alternatim deinceps inter se contraria quoque subsequerẽtur, quæ nos querelæ istiusmodi eximerent. Nec enim defieri apud nos etiam patimur, quæ sint amœna magis, & oblectatoria, ne dixerim illecebrosa, quàm vel vtilia, vel necessaria: siquidem est (vt ait Varro) aliud homini, aliud humanitati satis, etiámque citra emolumentũ. Speciosa interim petuntur, non hercule minus, quàm sine specie compendium. Ergo vt agrestes illos, & hircosos quædam ex his imposita, & rudia delectabunt

Consuetudo.

Prouerb.

Homo. Humanitas.

bunt, exaſceatáque magis quàm dedolata, nec modò limam, ſed nec runcinas experta, nec ſcobinas, ita ediuerſo vermiculata interim dictio, & teſſellis pluricoloribus variegata, delicatiores hos capiet, volſos, & pumicatos, ne conflatis vtrinque vocibus, & æquabili vel plauſu, vel ſibilo, aut ad cælum efferar, aut ad humum deijciar. Medijs autem inter hos, & neutro notandis, quaſi quidem diuerſorum Cinnus (vt ait Cicero) ſatisfaciet, non vno aliquo excellens, & omnium tamen particeps. Nec enim guſtus idem omnibus, ſed ſuum palatũ cuique. Tum credo & exſpuent in conuiuio quidam, pro faſtidioſo, & veſco, quod mox in culina pro ſuaui liguriant, & opimo. Nos iſta certè non foro, & curiæ, ſed cubiculo, & ſcholæ parauimus, eóque ſtuduimus, neſcio an & præſtiterimus, vt ſiquæ hîc eſſent, omnino faciles eſſent, & ſimplices munditiæ, non operoſa, & pigmẽtata lenocinia: color, nitorq; verus, & ingenuus, non aſcitus: & ex arcula congruens habitus, & expeditus, non oneroſus, & lacinioſus. Poſtremò cuicuimodi exeant, quomodo hæc accipiantur, minimè profectò recuſamus: ſed nec opinor euademus communem illam ſcribentium ſortem, malè audiendi, ſit modò ita cordi lectoribus. Quinimo iſti aleæ caput obiectamus, neque patrocinium reſpicimus, quod vltro nobis ademimus cenſura. Decernaturque potius in nos, traducamur, vexemur, quàm non litterarum publica fraus, quarum nobis eſt honor proprijs vtilitatibus antiquior, etiam noſtro aliquo, vel famæ, vel otij diſpendio redimatur. Nam quò iſta quæſo ſtudiorum communium profeſsio, ſi iam ventum ad hæc vſque eſt, vt quod officium ſtudijs vniuerſi debemus, ceſſare omne tamen ſuſpicione degeneri patiamur? Quo pacto vel durare vltrà, vel eſſe iam pote-

Cuicuimodo.

Inuidia.

poterit honestarum litterarum sinceritatis, soluta penitus censura, dum sic æquè omnes inuidiam perhorrescimus? Quanquàm (quod ad me attinet) vtinam labori meo non contemtus potius, quàm inuidia debeatur. Illud enim propè in votis est, si modò, quòd ait Liuius, Inuidia velut ignis alta petit. Quin agitedum studiorũ cultores optimi, pro se quisque alacres, gramen hoc inexpugnabile, quo bonæ fruges humanitatis præfocantur, euellite, subnascentesq; sacris stirpibus, quasi pernitiosissimas hederas, & omnem earum succum lapsibus erraticis exsorbentes, abrumpite penitus, & detruncate. Non desunt interpolatores veritatis, ne desint quoque redintegratores: existat vindex aliquis rogo, & patronus periclitantium disciplinarũ. Nam ego vt vnus è medio, quid mihi liberum sit, vtique experiar. Faciam nécne operæpretium, pòst videro. Quorsum tamẽ fluxerit, aut quocunque res ceciderit, æqui boni faciam, planeq; malignitatum omnium, & obtrectationum venena, non deuorabo modò, sed (quo sum stomacho) etiam concoquam: certè veritatis hunc esse quasi genium, simul atq; in publicum appareat, vt odiosa, inimicáque sit vulgo.

Mussent, palã mutire non audeant. Ex Persio.

Conniueant igitur alij licet, & dicere verum mussent, ego vnus profectò (quidquid erit) non dissimulabo iudicium, non supprimam quæ sensero, non indulgebo iam talibus patientiam, sed vel huic libello meo, saltem femiliberè, sic insusurrabo: Vidi, vidi ipse libelle, cottidieq; video multa in litteris fieri capitalia, compilari subdole aliena, confingi ad libidinem, quæ cui commodum, ascribi etiam idoneis, quæ nec agnoscant, allegari qui non extent auctores, citari quin etiam pro vetustis, nullibi comparenteis codices, compleri libros omneis operosissimis vanitatibus, falsa pro veris, ascita-

ascita pro natiuis, nouitia pro vernaculis supponi, pollui, adulterari, oblini, incrustari, distorqueri, confundi, præcipitari, interuerti omnia, nulla fide, nullo nec pudore, nec iudicio, quódque his omnibus pestilentius, occasione quoque recèt is artificij, quälibet stolidissimas opiniones in mille voluminum traduces momẽto propagari: postremò (vt semel dicam) etiam nunc multos auriculas habere asini. Dicat hîc aliquis: Quid tu autem? Fateor equidem, possum falli, vt humanus, sed neminẽ profectò sciens fallo, & vt mendacium fortasse dico, sic certè non mentior. Tum egomet mî ignosco, Meuius inquit, imò autem (extra iocum) nec egomet mî ignosco, & si- Aul. Gel.
quid indoctius, incautiusq; protulero, refutari à quouis cupio, refutaturus ipse me, si fuero admonitus. Non enim sic me peruersè amo, vt errare alios malim, quàm innotescere quòd errem. Sed ex eorum sum numero & ipse, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Ac de isto quidem fors viderit. Illud verissimum, si domi commentarios istos diutius, atque in manibus habuissem, et regustare interim ex interuallo licuisset, lõgè instructiores fuisse eos, locupletiores, adminiculatiores, prodituros. Videlicet hoc illud est præcipuè studiorũ genus, quod vigilijs augescat, vt cui subinde ceu fluminib⁹ ex decursu, sic accedit ex lectione minutatim quo fiat vberius. Tum incõdita nũc quoq; pleraq;, imeliquata, indiscussa, nõ rotũda, nõ tornata adhuc, sed quæ aurẽ prorsus præterierint, vtpote restrictim cogitata, & ex tempore potius, quàm à cura, quanquàm ex abundanti penè styli negotiũ curat, & elocutionẽ concinnat, quẽ cana & veritas, & fides præcipuè sollicitat. Enimuero ne putent homines maleferiati nos ista, quæ quæ sunt, de fæce hausisse, neq; grãmaticorũ transiluisse limen, Plinianostatim

ſtatim exemplo nomina prætexuimus auctorum, ſed honeſtorum, veterumq; duntaxat, vnde ius iſta ſumunt, et à quibus verſuram fecimus, nec autem, quos alij tantùm citauerint, ipſorum operatemporibus interciderint, ſed quorum noſmetipſi theſauros tractauimus, quorum ſumus per litteras peregrinati, quanquàm & vetuſtas codicum, & nomiſmatum fides, & in æs, aut in marmore inciſæ antiquitates, quæ tu nobis Laurenti ſuppeditaſti, plurimum etiam præter librorum varietatem, noſtris commentationibus ſuffragantur. Vt autem vel exemplo doceremus circulatorum præſtigias, & impoſturas omneis eſſe tollendas, refrænandámque adeò quorumpiam laſciuiam, quæ iam ſicuti cancer latè ſerpit, inaniter de præſcripto & licenter egrediendi, nuſquam aliquando veteris ſcripturæ teſtimonium citauimus, ne quid adſcriptitium, néue quid vſquam ſuperductitium prævaleret, quin ſua quódque facie repræſentauerimus, & eas appoſuerimus notas, vnde exquiri penitus vſque à ſtirpe poſſit auctoritas. Atque vt muneris huius noſtri nullæ prorſus appendices deſiderentur, etiam capita ipſarerum, titulis incluſa breuiſſimis, ſed in queis maior quàm pro numero vtilitas concenturiauimus, & ceu breuibus ceris ingentes ſummas calculatorum more collegimus, quò negligentiæ delicati lectoris ipſi potiſſimum ſubſcriberemus. Proinde ſicuti ſub Aiacis clypeo Teucer Homericus, ita nos vtique ſub vmbra tui nominis latitantes, centuriatim dabimus in barbaros impreſsionem. Ita editione ſubinde aliqua, vel æquis, vel iniquis mos geretur. Et quadam penſante vice, ſicut illis quod oſculentur, ita his abunde ſupparabimus, quod mordeant. Mordebunt autem puto noſtra vel rabioſuli quidam, quos eleganter Cato vitiligatores

Appẽdix feminini gener.

Impreſſionẽ, impetũ more militari.

tores appellat, isto potissimũ litigandi vitio veluti morbo laborantes, cerebrosa gens & irritabilis, qui sine caussa, sine discrimine, clausisq; (quod aiunt) oculis, quodcunque nomen adlatrant: vel qui rursus aduocatione mercenaria, venaliq; sententia, quicunque semel auctorati, atque addicti, quasiq; dediti mancipio sint, eundem tueri pugnaciter, pertinaciterq; quo iure, quaq; iniuria obstinauerint. Vel iactanticuli illi, & nugiuendi, pleni tumida, sed & fatua coniectura, qui seq;, & sua duntaxat etiam sine riualibus adamant, sibi fauent, alijs obtrectant. Vel postremò lucifugi quidam veritatis, & (vt planius dixerim) blatarij, literatores, qui defluentibus oculis, vereq; noctuinis, non diem tantùm sereniorem, sed nec vmbram sublustrem satis ferunt. Nam de illis dubitat nemo, quos liuoris tinea comest, quos rubigo subrodit inuidiæ, qui gloriam alterius, suam pœnam, felicitatem alterius, suam carnificinam faciunt, qui profectu contabescunt alieno, quos ægrescens, prosperis maleuolẽtia, ceu tortor intestinus iugiter excruciat. Sed & censores item pulpitarij (nec autem de doctis, bonisq; nunc agimus) solent plerunq; fodicare nos, & studijs ostrepe reistis. Etenim pleni ieiunitatis literas humaniores apud insciam plebeculam, penè dixerim solenniter, buccis cõcrepãtibus infamant, & crassa rusticitate feroculi, quam solam (quod & Hieronymus ait) pro sanctitate habent, sic in eas, & earum studiosos ampullosis proclamationibus infrendentes, inspumantesq; desæuiũt, vt facilè se declarent etiã Græcos illos improbare, & penè odisse verè sanctas animas, Basiliũ, Chrysostomum, Gregorios, etiam Latinos, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymumq; ipsum, & alios id genus nostræ religionis antistites, gentium, linguarumq;

Vitiligatores. Pl. in prol. multos fore qui vitiligẽt, di est vitio alligẽt, vituperent.

Quod iure, quaq; iniuria, susque deq; ferentes.

Pulpitarij.

Feroculi.

omnium disciplinis, velut opibus Aegyptiorum suffarcinatos. Quo mihi etiam videtur admirabilior deliciae tuae Marianus hîc Genazanensis, nec in theologia cuiquam secundus, & omnium quos in ecclesia concionantes audiuimus, non prudentißimus modò, sed & facundißimus, cuius neque suspecta populis ad bonam frugem tendentibus eloquentia, quoniam vitae incredibili seueritate commendatur, nec è diuerso tristis, aut reformidabilis austeritas, quoniam poëtica delenimenta, pulcrámque istam litterarum varietatem, nitorem, delicias non aspernatur. Vt igitur lana purpuram bona fide postura, certis prius inficitur medicamentis: ita litteris arbitror, doctrinisq; talibus excoli animos (quod ait in Hortensio Cicero) & ad sapientiam excipiendam imbui, præpariq; decet. Atqui non tamen ob istos pigebit aut exigere stylo: quidquid hoc nostrarum lucubrationum est, aut experiri quid concedatur in illos, qui fraudes in litterarum negotio concipiunt capitales. Nam & ego Philoxeno ignosco, sicuti Cicero idem ad Atticum scribens, redire in carcerem, quàm mancipare iudicium præoptanti, maximè si non præsenti seculo, sed quasi æternitati: prout etiam dictum à Thucydide, scruire scriptores conuenit. Eóque libri puto ipsi monumenta vocantur, quòd ad memoriam magis posteritatis incorruptius iudicaturæ, quàm ad ineptam præsentis temporis gratiolam, spectare debent. Ergo vt quàm maximè (si licebit) hæc non extinguatur solùm, sed etiam opprimatur improbitas effuse omnia deprauantium, nec abeat in exemplum, trita, & prostituta frons, atque oris tanta duritia, iam nunc centurias sequentes, pro suscepto (arbitror) salutari conatu, neutiquam ad huius primæ gustum repromittimus.

Iu. imitatus.

Monumenta cur libri.

Quos enim molli nunc articulo tractamus, quos leui, & lento brachio tangimus fortius dein puto prememus, atque vrgebimus, & contenti paulisper interim prælusoria, velitariq; pugna, mox viribus collectis, toto exercitus robore depræliabimur. Quinetiam (quoniam tunica propior pallio) vindicabimus audacter, & gnauiter à plagiarijs, ac furunculis interdum nostra, & asseremus liberali caussa manum. Nostra verò nunc accipi tantùm volumus, quæ labore, industriaq; ipsi magna principes extudimus, nec expalpari vnquam, nec extorqueri nobis ea passuri, quandiu licebit, nostra inquam, non electamenta, sed pignora. Nam vt hæc in medium vice missilium direptui, conculcatuiq; relinquimus, ita illa nobis recipimus, & defendimus: hæc exponimus, illa & agnoscimus, & tollimus, sed ita tamen, vt imitari simias nolimus, quæ suos dicuntur fœtus, quamlibet deformes, pro formosissimis admirari. Nec erunt opinor hæc quoque nostra, quanquàm leuioris operæ studia, seu ludicra verius, dedecori tibi Laurenti Medices, cui nunc adscribuntur. Adscribuntur autem non magis adeò vt me gratum beneficijs tuis approbent, aut reponant gratiam, quòd auxiliarium te, quódque consiliarium habuerunt, quàm vt auspicatò procedant, & vt in ijs tui memoria frequentetur, ex quo liber auctoritatem capiens magni celebritate nominis commendetur. Tum cui summa studiorum meorum debetur omnis, ab eo quoque portio ipsa iure incipiet. Et hercule veluti bellaria sint ista, secundis acceptа mensis. Quoniam rectæ cœnæ speciem, vicémque grauiora illa occupant, qualia tibi multa vel Marsilius Ficinus Platonis, vel Aristotelis interpres Argyropylus Byzantius è philosophiæ penu congesserunt.

Simiarij in catulos amor.

Ficinus. Argyropylus.

Picus mirandula.

De isto enim præ cunctis admirando, non Pico iam, sed (vt ipse appellare soleo) phœnice potius, qui nunc in tua lauru nidificat, tanta mea quidē expectatio est, vt ausint Propertio succinere, Cedite Romani scriptores, cedite Graij. Tu vale patrone iucundissime & (quod facis) perge fauere doctis, perge literas excitare, perge à situ recipere rem Latinam, ab interitu Græcam, quò tui memoria nominis ab iniuria prorsus obliuionis asseratur.

ANGELI POLITIANI MISCELLANEORVM CENTVRIA PRIMA.

Defensus à calumnia Cicero super enarrata vi noui apud Aristotelem vocabuli quod est Endelechia. CAPVT I.

ARGYROPYLVS ille Byzantius, olim præceptor in philosophia noster, cùm literarum Latinarum minimè incuriosus, tum sapientiæ Decretorum, disciplinarumq; adeò cunctarū, quæ cyclicæ à Martiano dicuntur, eruditissimus est habitus. Hic & apud Medicem Cosmum decreto publico patrem patriæ, & dein apud Cosmi filium Petrum, nepotémque adeo Laurentium hunc, decus vbique nostrum, patriæ simul, auitæque virtutis hæredem, suæq; R. P. columen, insigni fuit & auctoritate, & gratia, quibus etiam libros dicauit Aristotelis à se versos in Latinum, sed & ipsum vix adhuc quidem puberem Laurentium dialecticis imbuit, eáque philoso-

phiæ

phiæ parte, qua de moribus præcipitur. Ceterum (vt homo Græcus) perquàm ferebat iniquo animo nobilem illam, nec(vt Theodorus Gaza putat) importunam M. Tullij Ciceronis exclamationem, qua Græciam verborum interdum inopem, quibus se putat abundare, non eloquentius fortasse, quàm verius pronuntiauit. Ob id igitur subiratus Latinæ copiæ genitori, & principi Græcus magister, etiam dictitare ausus est (quod nunc quoque vix aures patiuntur) ignarum fuisse non philosophiæ modò Ciceronem, sed etiam(si dijs placet) Græcarum literarum. Vix enim dici potest quàm nos aliquando, id est Latinos homines, in participatum suæ linguæ, doctrinæq; non libenter admittat ista natio. Nos enim quisquilias tenere litterarum, se frugem: nos præsegmina, se corpus: nos putamina, se nucleum credit. Sed vt ad Argyropylum reuertar, oculos ad hunc modum nostri parentis, viuentis, victuriq; suggillantem, vtebatur hoc ille vel maximo argumento, quòd in primo Tusculanarum quæstionum scribat Cicero, censere Aristotelem quintam esse quandam præter elementa naturam, de qua sit mens, verbaq; denique ipsius ita legantur: Quintum genus adhibet vacans nomine, & sic ipsum animum Endelechian appellat nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem, & perennem. Sed enim nemo est(aiebat) in Aristotelis lectione paulò frequentior, quin sciat Entelechiam esse potius Aristoteleum verbum, neutiquam significans quod Cicero putat, continuatam motionem, & perennem, sed perfectionem potius, aut consummationem quampiam. Nam cùm vellet Aristoteles quasi nomenclaturam facere intellectuum suorum, verba ipse quæpiã noua concepit animo, velutiq; deim peperit, in queis hoc quoque per quod indicatur

Ἐνδελέχεια. Ἐντελέχεια.

Copiosissimè de his Budęus lib. j. de Asse.

dicatur forma, speciesq́; , cui perfectionem res quæque suam debeat. Quod enim quidque est, ab hac est Entelechia potissimum. Cicero autem non quidem hanc Aristoteleam vocem, sed aliam prorsus ei contiguam, finitimamq́; similitudinis prætigio falsus enarrauit. Endelechôs enim continuatim mobiliter, continuataq́; mobilitas Endelechismos, vnde hanc Aristotelis entelechiam deduci putauit ille: quæ non d litteram tamen, sed t potius habeat in syllaba secunda. Iam auctores contra Ciceronem stare quamlibet magnos Peripateticos adijciebat. Et vt homo erat omnium (vt tum quidem videbatur) accerrimus in disputando, atque aurem (quot ait Persius) mordaci lotus aceto, prætereà verborum quoque nostrorum funditator maximus, facilè id vel nobis, vel ceteris tum quidem suis sectatoribus persuaserat: ita vt, quod pene dictu quoque nefas, pro concesso inter nos haberetur, nec philosophiam scisse M. Tullium, nec litteras Græcas. Enimuero re dein tota diligentius peruestigata, meas esse partes, & item cuiuscunque Latini professoris existimaui, Ciceronis gloriam, qua vel maximè contra Græcos stamus, etiam vice capitis omni contentione defensare, quanquàm illam sua nõ antiquitas modò, sed quædam propè diuinitas extra ictum, supráque iniuriam posuit. Iam primùm igitur Argyropyli huius apud me quoque non exigui ponderis auctoritas, alijs auctoritatibus, multoq́; (arbitror) valentioribus refellenda est, tum ostendendum, ex eo quod obijciatur, augeri Ciceronis præconium, nedum decrescat. Et prodibunt in medium satis (arbitror) quod ad philosophiam modò pertinet, idonei Ciceronis laudatores (vtinam interim quàm pauciſſimis contenti) Boëtius, Macrobius, & Augustinus. Nã quis Boëtio vel in dialecti-

ἐντελεχῶς. ἐντελεχισμὸς.

Nedum. Ciceronis laudatores. Boëtius.

cis acu-

cis acutior? vel subtilior in mathematicis? vel in philosophia locupletior? vel in theologia sublimior? Quem tanti iuniores etiam philosophi longè (arbitror) omnium perspicacissimi fecerunt, vt Aquinatem Thomam diuum hominem, Magnumq; illum Thomæ præceptorem (Deus bone) quos viros habere meruerit enarratores, & ab ipsius sententia ne sit vlla quidem penè iam prouocatio. Porrò de Macrobio, cui, rogo, magis credendum, quàm laudanti præcipuè Boëtio? Denique ipsius Augustini tam altè nisa in omnibus fermè disciplinis est auctoritas, vt extra omnem sit aleam posita, sic vt ab ea iam ne transuersum quidem (quod dicitur) vnguem recedi, fas habeatur. Etenim tanta ingenij constat eum celeritate viguisse, vt quidquid de arte loquendi, & disserendi, quidquid de dimensionibus figurarum, de musicis de numeris precipitur, etiam sine magna difficultate, nullo hominum tradente perceperit: tanto dein acumine præstitisse disputandi, vt iure in vno isto potissimùm, totius veritatis niti patrocinium videatur. Consideremus igitur quid hi singuli saltem de Cicerone senserint, quantumq; ei tribuerint in philosophia, tum credamus audacter nõ cuiusuis esse calumniam conflare homini, qui fuerit à laudatissimis hominibus tam singulariter laudatus. Boëtius itaque non modò sic vtitur identidem M. Tullij testimonijs, vt ea pro firmissimis & inuiolabilibus obijciat argumentis, sed & ipsius Topicorum (qui maximus est honor) suscipere interpretationem non erubescit. Macrobius autem sic in vnius eiusdem libri vel exigua particula versatur, vt nec Platoni cõparẽ facere, nec omnibus insignire eum disciplinarũ omniũ titulis dubitauerit. Deniq; Augustinus cùm in Academicis, quãquam sub alterius persona, nunc suũ Ciceronem,

Thomas Albertus magnus.

Macrobius.

Augustinus.

nunc sapientem appellans, tandem ab ipso, inquit, Latina lingua philosophiam & inchoatam esse, & perfectam: tum in confessionibus, vbi neutiquàm personatus eos ex professo damnat, qui linguam Ciceronis mirantur, pectus non ita. Quinimo quòd affectum mutauerit ipse, quòd ad deum preces, & vota conuerterit, quòd desideria non eadem quæ prius habuerit, quòd omnis ei vana spes euiluerit, quòd immortalitatẽ sapientiæ quæsieris æstu cordis incredibili, postremò quòd surgere iam cœperit, vt ad deum reuerteretur, cuncta hæc esse Ciceronis munus fatetur, vniq; prorsus illius libro, qui vocaretur Hortensius, omnem suæ salutis occasionem retulit acceptam. Non enim ad acuendam linguam liber (inquit) ille offerebatur, nec loquutionem mihi, sed quod loquebatur persuaserat. Quod isti vtinam legissent, qui somnium ægroti nobis Hieronymi vapulantis ad tribunal obiectant, nec illud saltem cogitantes, illum ipsum Hieronymum, quum post repetitam dein statim Ciceronis lectionem periurus à Rufino argueretur, etiam grauissimè conqueri, quòd sibi ab illo suamet somnia obijcerentur. Ceterum (vt ad propositum reuertar) vicerit sanè vel Argyropylus, vel quiuis alius Ciceromastix. Sed rogo istius prius transcendere audiat auctoritatum moles, quas opposuimus. Enimuero de Græcis litteris facilior, proniorq; sententia. Quis enim tam hispida aure, quis tã inimicus veritati, qui si pauca modò peneq; etiã tumultuaria Græca verba, sparsim adhuc vel in epistolis ipsius offaciat, quidquam se dicat vnquã magis aut elegans, aut Atticum tota quoq; Græcia reperisse? sic vt iure Posidonium, doctissimũ illum hominẽ deterruerit à scribendo, iure Græcam nationẽ Græco de rebus suis cõmentario conturbauerit, in quo se ait libro totũ Isocratis

Personatus.

Hortẽsius Ciceronis.

Hieronymi somnium.

Ciceromastix.

Posidonius.

Isocratis μυροθήκιον.

cratis Myrothecion, atque omneis eius discipulorum arculas, tum nonnihil etiam Aristotelea pigmenta consumsisse. Quà mihi videtur fiducia, non minus aliquando Græcæ, quàm Latinæ linguæ veluti pomerium protulisse. Sic argumento vel illud (vt vno interim contenti exemplo simus) quòd innocentiæ vocabulum negat habere apud Græcos vsitatum nomen, sed habere ait posse tamen εὐλαβείαν. Tum castigat interdum quoque, ceu segnitiam quorundam apud illos vocabulorum, sicuti cùm velle eos ait quidem distinguere, sed parum valere verbo, quod vel in illis probant, quæ sunt melãcholia, & furor: vel item in eo quod πόνον pro labore confusius illi, & dolore pariter accipiunt: tum melius aliquid nos dicere indicat, quàm illos, vt conuiuium, vt alia, multoq; melius quædam notata esse verbis Latinis, quàm Græcis, quod & significat multis locis reperiri, sed & carere hos ipsos nomine rei cuiuspiam, quam maximè habeant familiarem, non dissimulat. Nec vllus eorum tamen quamlibet inquirendo se torserit, inepti reperire adhuc, aut excogitare vocabulum potuit. Iam verò nónne Apollonius quoque ille Molo, rhetorum omnium sui temporis celeberrimus, audita semel Græca M. Tullij, sed & extemporali oratione, defixus diu stetisse, ac denique ita mirabundus pronuntiasse dicitur? Ego verò te quidem Cicero cum laudo, tum admiror, sed me Græcorum fortunæ miseret, tædetq;, quòd humanitatis, & eloquentiæ decora, quæ sola nobis reliqua feceramus, ea quoq; per te (quantum intellego) Romanis arrogãtur. Enimuerò hoc illius iudicium nõ Latinus, nõ ineptus aliquis, sed Plutarchꝰ ipse Græco vir ingenio, Romana grauitate in litteris retulit. Ergo ad hũc sanè modũ de sciẽtiæ ipsius, deq; Græcæ linguæ peritia, testatum

εὐλαβεία.

πόνος.

Inepti võ cabulum. Apollonius Molo de Cicerone.

testatum nobis veteres reliquerunt. Age verò nunc Endelechian quoque istam pensitemus, seram Ciceronis calumniatricem. Vtrumne istic igitur reprehenditur, quòd Aristotelem dixerit adhibuisse Cicero quintam quandam præter elementa naturam, & sic ipsum animum nomine appellauisse? Quod & Alexander Aphrodiseus Peripateticorum omnium etiam ab Auerroë laudatissimus, in egregiè subtilibus illis naturalium quæstionum libris ostendit, quos à se lectos diuus Hieronymus gloriatur, & Porphyrius in commentario, quod in Aristotelis decem genera per interrogationes edidit, & responsiones, & Themistius super hos, in paraphrasi de anima secũda, & Simplicius vbi Aristoteleum paris argumenti volumen interpretatur, & Quintilianus Aristides in tertio de musica, & postremo in epistola quadã sua diuus Ambrosius (vt alios interim prætereamus) vnanimiter propè significauerunt. Quanquam de hoc vtique, ne in verbis quidem Aristotelis ipsis vlla dubitatio est. An illud potius culpatur, quòd endelechiæ vocabulum nec suis litteris notauerit, & alium quàm Aristoteles intellectum (sicuti suprà diximus) accommodauerit? Principio igitur quæro ego ab istis, quonam maximè argumento Entelechiam potius, quàm Endelechiam scriptum collegerint ab Aristotele? Tam enim verbũ nouũ hoc, quàm illud: nec minus altero significari animus, quàm altero potest: nec Aristoteles ipse perfectionẽ potius, quàm motionem illã indicari continuam noua voce pronũtiat. Crediderint ita sanè Porphyrius, Themistius, Simplicius, aut siqui compares: quæ autẽ tandem inuidia est, etiam Ciceronem aliter, quàm posteriores opinatũ, sistare ipse sic quoq; tueriq; gradũ bene, & fortiter potest? Nam sit vtra lectio verior, ea quã Cicero agnoscit,

ni quæ apud posteros obtinuit, in incerto adhuc est. Etenim libri omnes Aristotelei, qui tam grãdi nunc quidem auctoritate pollent, interpolati, pleniq; multis erroribus olim sunt editi, si fidem Straboni accommodamus, auctori non malo. Siquidem Neleus ille Scepsius, Corisci filius, & Aristotelis, Theophrastiq; non solùm auditor, sed & bibliothecæ successor, & hæres, libros vtriusque philosophi Scepsin, hoc est, in suam patriam comportasse vniuersos perhibetur. Hiq; dein à posteris ipsius, metuentibus videlicet Attalicos reges, librorum istiusmodi studiosissimos, infossi terræ, negligenterque habiti diu, tandem aliquando ab Appellicone Teio magna empti mercede dicuntur, sed carie, situq; (quod necesse fuit) multis exesi, & labefacti locis: quos tamen inconsultius supplere Apellicõ ipse librorum, quàm philosophiæ studiosior, & pro arbitrio (quemadmodum quidem putabat) emendare ausus, plurimis temerauit erroribus. Hi tamen adusque Sullæ tempora (sicuti Plutarchus memorat) Athenis delitescebant. Nam peripatetici veteres ordinarijs istis, quibus omnis instruitur philosophia, carentes, paucos modò quos vocant Exotericos habuerunt, eoq; posteriores exquisitius philosophati, quòd Aristotelis volumina (quanquàm alicubi contaminata) peruolutabant. Quippe Lucius Sulla bibliothecam Appelliconis istã repertam Athenis, Romã primus transtulit, tum grammaticus Tyrannion, & ei penè suppar Andronicus Rhodius, is, qui libros etiam Perihermenias negat esse Aristotelis, magna copia libros eius philosophi tabulis etiam, nescio quibus, editis inuulgarunt. Quocirca nihil est quod iam dubitemus, quin de synceritate primæua lectionis istius, præsertim tantillo discrimine, vel libera sit in vtranq; partem suspicio

Aristoteleorũ librorum corruptor Neleus.

Apellicon Teius.

ἐξωτερικοὶ, externi. L. Sulla.

cio, vel (si alterutri accedendum) tutius Ciceronem sit præferri, longè priorem, quàm Alexander est: primus ex illa cohorte, quam diximus, Aristotelis enarrator, quem Seueri floruisse temporibus, vel ipsius de fato significat opus, æqualemq; propemodum, seu paulò credo maiusculum summis illis Academicis Origene, & Plotino. Quid autem prohibet, quò minus Cicero ipse videre matricem quoque librorum Aristotelis, qui fuerint ipsius ætate publicati, si non incorruptam, certè (si cuti diximus) conscribellatam potuerit? Tum & consultò factum ab homine doctissimo crediderim, vt libero pectoris muro septus, eam nouo huic Aristotelis vocabulo interpretationem, iure accommodare sit ausus, quæ cum Platonis in Phædro sententia, super animæ motu sempiterno, atque (vt Varro inquit) dio, consentiret: de qua ipse quoque vel in Tusculanis quæstionibus vel in sexto Reip, volumine, commeminerit: quando & Philoponus in Aristotelis vita, & Simplicius in commentarijs de anima, & in extremo Peri hermenias libro Boëtius ipse germanas esse, & compares vtriusque philosophi sententias asseuerant: etiamq; libros septem composuisse Porphyrius traditur, quibus hoc maximè argumentum colligeretur, eandem Platonis esse prorsus, & Aristotelis hæresin, quod & Picus hic Mirandula meus in quadam suarum disputationum præfatione tractauit, & vero verius esse copiosissimo opere (credo) pulcerrimoq; peruincet (nisi me tamen gustus fefellit) quod de Platonis hac ipsa, quam dicimus, & Aristotelis concordia, noctes atq; dies molitur, & cudit. Ita non modò nõ errasse in vocabulo isto noster Cicero, sed vel eruditius aliquantò, quàm ceteri, vel ad suam sectam scripsisse accommodatius intellegetur, vt quod de

Matricẽ conscribellatam.

Platonis & Ari. cõcordia.

clarissimi

clarissimi viri doctrina tam idonei, quàm superius ostendimus, auctores spoponderunt, etiã ipsemet, in quo præcipuè diuerticulo calumniam patitur, largissimè, cumulatissimèq; præstiterit. Nec autem nouum Ciceroni, aut inusitatum calumniam pati à Græcis, quando etiam Didymus sex libros aduersus eundem composuit, Syllographos imitatus maledicos scriptores: qui tamen libri iudicio doctarum aurium sunt improbati. Sic aduersus generosissimum leonem procul despectis vocibus, etiam quidam sæpe lucernarij canes baubantur.

Didymus aduersus Ciceronẽ Syllographi.

Quæ sint crepidæ apud Catullum Carpatinæ, quod probè scriptum vocabulum perperam mutatur. CAP. II.

VALERIVS Catullus in epigrammate quodam sic ait: Ista tamen lingua si vsus veniat tibi, possis
Culos, & crepidas lingere carpatinas.

Quæsitum verò à multis, explicatum adhuc à nemine, quæ sint carpatinæ, seu carbatinæ crepidæ. Nam vtrunq; rectè, sed & item carbasinæ dicitur. Quidam autem plani, & tenebriones in litteris, vetere expũcto vocabulo, nescio quas supponunt aut Cercopythas, aut Coprotinas ex hara productas, non schola, vocabula nuda, nomina cassa, & nihili voces. Nos de Græco instrumento, quasi de cella proma, non despicabileis, nec abrogandæ fidei proferemus auctoritates, quibus & lectio præstruatur incolumis, & interpretamenti nubilum discutiatur. Iam primùm igitur Iulius ipse Pollux libro nono ad Commodum Cæsarem Carbatinas esse ait rusticum calciamentum, sic à Caribus appellatum. Aristoteles verò in secundo de animalium historia camelos calceari carbatinis scribit, nescilicet in exercitu longiore itinere fatiscant. Sed & quatuor extant Græcè nimis quàm libelli elegantes Pœmenicũ titulo, quorum in se

Carpatinę, Carbasinę crepidæ.

πλάνοι errones, impostores.

Carbatinæ.

Libri ποιμενικῶν.

in secundo senex quidam cum pera, & calceis carbatinis introducitur. & Lucianus in dialogo, qui vel Alexander, vel Pseudomantis inscribitur, oratores quospiam è Paphlagonia carbatinis calceatos ait. Denique etiam Xenophon Socraticus Anabaseos tertio, Cùm defecissent, inquit, veteres calcei, carbatinas habebant ex recentibus corijs bubulis confectas. quem etiam locum dissimulato tamen auctore Suidas adducit. Quin interpres quispiam Xenophontis eiusdem, carbatinas esse addit barbaricum calciamentum.

Quibus verbis Horatius Camelopardalin significauerit, quæq; sit eius animantis facies, quibusq; etiam nominibus censeatur, & quo primùm tempore visa in Italia. CAP. III.

HORATIVS in epistola ad Augustũ, Diuersum, inquit, confusa genus panthera camelo. Nos olim iam publica prælectione dictauim⁹ videri eũ de camelopardali, quæ vulgò Girafa dicitur, sentire. Quã enim vocamus pantheram, Græci pardalin. Et hãc à rege dein ipso Aegypti, qui Sultanus vocatur, inter munera alia dono missam Laurentio Medici vidimus, nõ tam meo, quàm ingeniorum omnium, virtutumq; patrono. Tantum mirati sumus habere ipsam cornicula, quanquàm mas erat, quoniã de his nihil hactenus in veteribus memorijs legebamus. Ceterùm Græcus Heliodorus nõ dilutæ scriptor auctoritatis, libro Aethiopicõn decimo in hãc ferme sententiã de cameminit, cùm scilicet Hydaspæ regi Aethiopũ dono datũ ab Auxomitarũ legatis fabulatur, Postremò, inquit, accessere etiã Auxomitarũ legati, nõ vectigales illi quidẽ, sed amici, & fœdere tũcti, qui beneuolentiam rebus prosperè gestis indicãtes, cùm alia & ipsi munera obtulerunt, tũ in primis animantem quampiam inusitatæ speciei, naturaq;, cui⁹ ad magnitudinẽ cameli proceritas color,

Camelopardalis.

Sultanus.

Heliodorus.

color, pellisq; Pantheræ, maculis veluti florentibus variegata. Variegata
Postremæ infra aluum partes, humi subsidebant, sicuti in leonibus videmus. Humeri pedesq; priores, atque item pectus, præter ceterorum membrorum rationem, procera. Tenuis ceruix, & quæ de reliqua corporis mole in olorinum collum se tenderet. Camelo caput simile. Maior ipsa penè duplo, quàm Libyssæ Struthi, subscriptósque velut oculos torue motans conniuebat. Struthus Lybassa.
Incessus autem longè animantium ceterarum terrestrium, vel aquatilium dissimilis, neque enim vicissatim crura simul, sed dextra pariter, dein sinistra vtraque agitabat, cumq; ijs suspensa proferebat latera tractatu, motuq; tam facili, vt eam quò vellet, tenui capistro vertici deuincto, veluti fortissimo vinculo, magister perduceret. Hæc vt est conspecta animans, omnem continuò multitudinem obstupefecit, speciesq; nomen inuenit ex ijs, quæ præcipua in corpore, sic vt ex tempore eam populus Camelopardalin appellaret. Hactenus Heliodorus. Hæc animans.
Dion verò Græcus & ipse auctor, in tertio quadragesimoq; Romanæ historiæ libro, de Cæsare narrãs, ita fermè scribit: Camelopardalin verò primus ipse Romã adduxit, & populo ostẽdit. Id animal cetera camelus, crura autem inæqualia habet, posteriora prioribus magis breuia, vt à clunibus attolli sensim, quasi ascendẽti simile incipiat, corpusq; reliquum sublime admodùm cruribus prioribus sustẽtatur, sed ceruix in altitudinem penè peculiarem se tollit. Colore ipsa maculoso, ceu pãthera, quo fit vt amborum promiscuo vocabulo censeatur. Plinius verò de camelis tractans, hoc quoque addit: Harum aliqua similitudo in duo transfertur animalia. Nabun Aethiopes vocant, collo similem equo, pedibus, & cruribꝰ boui, camelo capite, maculis albis, rutilũ colorẽ distin-

distinguentibus. Vnde appellata Camelopardalis, dicta toris Cæsaris Circensibus ludis primum visa Romæ. Ex eo subinde cernitur aspectu magis, quàm feritate conspicua: quare etiam ouis feræ nomen inuenit. Consimilia fermè huic etiam Solinus prodidit, quo loco de Aethiopibus. Sed & M. Varro in libro de lingua Latina ad Ciceronem, camelus, inquit, suo nomine Cyriaco in Latinum venit, vt Alexandrea Camelopardalis nuper adducta, quòd erat figura vt Camelus, maculis vt panthera. Risi etiam nuper, quia verbum ex Varrone dimidiatũ pardalis tantum, nescio quis grammaticus in Lexicon retulerat suum, quod per ordinem litterarum compositum circunfertur. Centum autem Gordiani principis ludis exhibitas, auctore Capitolino feras oues accepimus.

Ouis fera

Pardalis.

Quàm multa poëtarum interpretibus legenda, quodq; satyram Persius de Alcibiade Platonis effinxit. CAP. IIII.

QVI poëtarum interpretationem suscipit, eum non solùm (quod dicitur) ad Aristophanis lucernam, sed etiam ad Cleanthis oportet lucubrasse. Nec prospiciendæ autem philosophorum modò familiæ, sed & iureconsultorũ, & medicorum item, & dialecticorũ, & quicunq; doctrinæ illum orbem faciunt, quæ vocamus Encyclia, sed & philosophorum quoque omnium. Nec prospiciẽdæ tantum, verum introspiciendæ magis, neq; (quod dicitur) ab limine, ac vestibulo salutandæ, sed arcessendæ potius in penetralia, & in intimam familiaritatẽ, si rem iuuare Latinam studemus, & inscitiam quotidie inualescentem profligare: alioqui semidocta sedulitas cum magna sui persuasione detrimento sit, non vsui. Plurima tamen in philosophorum maximè operibus inuenias, quæ sint in poëtarum nostrorum libros ascita: quale videlicet quod

Encyclia:

quod etiam annos abhinc aliquot Persium publicè poëtam enarrantes indicabamus, satyrã ipsius quintã, cuius est initium: Rem populi tractas: ad Platonici dialogi, qui primus Alcibiades vocatur exemplar, veluti deliniatam: sic vt non ea solùm, quæ de iusto, atque iniusto, déque sui cuique notitia Socrates mihi cum Alcibiade agit, delibasse ex eo pudenter, sed locos etiam quospiã, si non magni momenti, certè veneris tamen plenissimos, & lepôris duxisse indidem Persius intelligatur. Quod genus & illa, Dic hoc magne pupille Pericli: quoniam Socrates quoque ostendit omnium maximum vísum Alcibiadi, quod ipsi relictus à patre tutor Xanthippi filius Pericles. Sic item, Dinomaches ego sum: ductum ex eo quod apud Platonem sic est, ὦ φίλε τοῦ κλεινίου καὶ Δινομάχου. Consimiliter quod ait ibidem, Tecum habita: nónne dialogi eiusdem peruidisse videtur voluntatem? Si quidem (quod Proclus enarrator affirmat) nihil hic aliud Plato, quàm litteram Delphicam respexit, monentem, se quisque, vt norit. Quod & Picus Mirandula, noster amor, in Heptalo sua, quam mox editurus, de septiformi sex dierum geneseos enarratione pulcerrimè tetigit. Hæc igitur inuenisse aliquando, vel inuicem etiam contulisse, non emolumentum modò studiosis, sed & voluptatem pepererit minimè vulgarem.

O amice Cleniæ & Dinomachis fili.

Qui sit apud Lucretium Durateus equus, quodque legendum apud Valerium Flaccum nõ quidem nox Dorica, sed durica, vel duria potius, in libro Argonauticõn secundo. CAP. V.

LVCRETIVS in primo de rerũ natura. Nec cùm Durateus Troianis Pergama partu Inflammasset equus nocturno Graiugenarum, Durateum vocauit equum illum

Durateus equus.

Troianum ab Epeo fabricatum peritè simul, & elegan-
ter: quæ Græca vox, & poëtica ligneum significat, &
sanè durateon vocat hunc etiam Homerus equum libro
octauo Odisseæ sic inquiens.

Ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον
Δουρατέου, ὃν ἐπὶ φῶς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ.
Verum age, iam progredere, & equi structuram canto
Lignei, quem Epeus fabrefecit cum Minerua.

Δουρατέου. Et item paulò pòst:

Δούρειον μέγαν ἵππον, ὅθ' ἵατο πάντες ἄριστοι.
Opici. Lignеum magnum equum, vbi considebant omnes præstantissimi.

Vulgóque eundem non durateon, sed durion, commu-
niore lingua, sicuti etiam poëta Aristophanes. At enim
opici homines dictionem sibi incognitam expungere,
próque illo, quod est durateus, reponere nugamenta
quæpiam, vel dura tuens, vel, dira tenens, occeperunt. Id
ne attentare amplius audeant, visus mihi sum facturus
Val. Flacci locus. operæpretium, si de isto quoque nonnihil Miscellaneis
Taddæus Vgolet. inseruissem. Sed & codicem proximè nobis Argonau-
ticῶν Valerij Flacci perueterem Taddæus Vgoletus
Parmensis Matthiæ Pannoniorum sapientissimi, & inui-
ctissimi regis aulicus, homo literatissimus ostendit, è quo
fluxisse opinor & ceteros, qui sunt in manibus, cuius in
secundo sic est: Manet immotis nox durica fatis: non vt
vulgo legitur, dorica. Quæ certò aut vera, & emenda-
ta lectio, aut (quod suspicor magis) veræ proxima, vt
Duria nox. quod & vsus, & vocalitas persuadet, nox duria sit
apud illum, qua scilicet inclusos vtero Danaos equus il-
le Durius, hoc est, idem qui durateus, patefactus ad au-
Δούρηος, καὶ Δού- ras reddiderit. Neque autem diphthongus impediat.
ρειος. Quàm enim δούρειος Græce, tam & δούριος.

Quo intellectu Cattulianus passer accipiendus, locusq;
etiam apud Martialem indicatus. CAP. VI.

PAS-

PASSER ille Catullianus allegoricus, vt arbitror, obsceniorem quempiam celat intellectum, quem salua verecundia, nequimus enuntiare. Quod vt credam, Martialis epigrammate illo persuadet, cuius hi sunt extremi versiculi, Passer. Obsceniorem.

Da mihi basia, sed Catulliana,
Quæ si tot fuerint, quod ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

Nimis enim foret insubidus poëta (quod nefas credere) si Catulli passerē deniq;, ac non aliud quippiā, quod suspicor, magis donaturum se puero post oscula diceret. Hoc quid sit, equidē pro styli pudore suæ cuiusque cōiecturæ, de passeris natiua salacitate, relinquo.

Pathicos homines Iuuenalem innuere, qui digito scalpant vno caput, idq; de Calui poëtæ versiculis. CAP. VII.

QVI digito scalpunt vno caput. Sanè mollē virū ex eo significari apud Iuuenalē in satyra nona nemini dubium: sed & Pompeiū sic à Clodio notatum Plutarchus indicat in Pompeij vita, vt illud interim omittam, quòd in libello quoq; eo notam hanc Pompeij attigit, cui titul⁹ est, Quo pacto fiat, vt inimici quoq; prosint. Quin & Ammianus Marcellinus historiæ libro XVII. Pompei obtrectatores ait etiam hoc in eo ludibriosum, & irritum obseruasse, quòd genuino quodam more caput digito vno scalpebat. Ceterùm non tā mollis ex his verbis, quàm planè pathicus, & draucus aliquis designatur. Quod genus homines in satyra vniuersa Iuuenalis insectatur. Alioqui languidus oppugnator, & lenuncidus, vel potius (vt ita dixerim) siculneus poëta sit iste, si iam quasi in molles feratur, hactenus in pathicos inuectus. Alludit enim, sicuti mihi videtur, ad Calui poëtæ versiculos in Pompeium, de queis ita est apud Senecam Draucus. Lenuncidus.

in libris oratorum, & rhetorum. Carmina quoque, inquit, eius quamuis iocosa sint, plena sunt ingentis animi: dicit de Pompeio, Digito caput vno Scalpit, quo credas hunc sibi velle virum. Huc vsque Seneca de Caluo. Quare cùm poëta Iuuenalis indicare conatur confluere Romam pathicos omneis, hoc est, eos, qui sibi virum vellent, festiuè id innuit ex particula Calui versiculorum, tum quidem (vt est verisimile) notissimorum, per quam consequentia noscitarentur. Déque his item supradictis Calui versiculis sentire Portium Latronem declamatione quadam apud eundem Senecam arbitror, qui ita dicat: In Cn. Pompeium terra, marique victorem fuit qui carmen componeret, vno (vt ait) digito caput scalpentem. Fuit aliquis qui licentia carminis tres auratos currus contemneret. Hæc Porcius Latro. Quoniam autem liber hic Senecæ, quem adducimus, rarissimus adhuc inuentu, propterea quasi nouum dignati sumus hunc locum nostris commentationibus, nequis expositanimis forsitan, & proculcata, velutique in medio iacentia putet retulisse.

Cur errantium siderum vocabula, diebus tributa: rationesque mihi ordinis eorum scitu, relatuque iucundæ. CAPVT VIII.

Dierum nomina cur à planetis.

NOMINA ista dierum, de stellarũ errantium vocabulis appellata, quam habeãt aut originem, aut rationẽ, nusquã sanè alibi me legere, quàm apud historicũ Dionẽ memini. Cuius ex libro septimo, atq; trigesimo sic verba possumus interpretari. Nam quòd his septem stellis, qui planetes vocãtur, dies assignari, receptũ est, inuentum quidẽ putatur Aegyptiorũ. Sed in omnes tamen homines haud ita pridẽ (vt sic dixerim) vulgari cœptũ. Ce-

Planetes.

teram

terum Græci veteres (quantũ equidem sciã) nullo prorsus eã rem pacto cognitã habuerunt. Quoniã verò cum nationibus alijs, tum Romanis vel maximè sic mos peruulgatus hic est, vt quasi iã patrius videatur, pauca super ijs edisseram, & quo pacto, quáue causſa sic ordinentur exponam. Duplex igitur audita mihi ratio est, vtraq; sanè haud intellectu difficilis, sed vt ambæ tamen inspectionem contineant. Nam si quis harmoniam, quæ diatessaron appellatur, qua vna vis vniuersa musicæ totius contineri creditur, ad stellas has, quibus omnis cæli ornatus distinguitur, eodem quo feruntur ordine, retulerit, atque ab orbe illo supremo, qui Saturno tribuitur, incipiens, omissis duobus sequentibus, quarti deniq; dominũ nuncupauerit, ac dein duos itẽ alios transiliens septimum adiecerit, eodemq; modo progrediens, præsides illorum deos subinde in orbem recensuerit, atque ita dies adnumerauerit, deprehendet omnes ratione quadã musica cũ cælesti illa distinctione, ornatuq; congruere. Ceterũ hæc vna est, quæ fertur ratio. Altera verò eiusmodi. Si diei, noctisque horas à prima statim cœperis numerare, sic vt eam Saturno, dein sequentẽ Ioui, tertiam Marti, quartam Soli, quintam Veneri, sextã Mercurio, septimam Lunæ tribuas: per eam scilicet orbium seriẽ, quæ ab Aegyptijs traditur, atque item denuo facias, donec horas quatuor & viginti pertranseas, inuenies primam sequentis diei horam Soli cohærentem. Tum hoc idem in quatuor illis & viginti horis, eadem qua prius ratione si facias, Lunæ primam tertij diei horã concilia bit. Quòd si subinde hoc ipsum in ceteris obseruabis, congruentem planè deum sibi dies quælibet asciuerit. Hæc Dion, festiua nimis, & arguta, ni fallor. Sed quoniã vulgò nunc Sabbatum, diesq; Dominicus vetus amisere

Sabbatũ. Dies dominicus.

sere nomen, cùm ceteri etiam nunc retineant, scire studiosos conuenit, & hunc Saturni, & illum Solis appellatum. Nam de Solis die (quantum equidem nunc recordor) etiam Sozomenus Græcus historicus, etiamq; diuus Hieronymus: de Saturni autem, vel hic ipse Dion libro eodem, vel Frontinus in Stratagematis, vel item poëta elegiarum Tibullus, vel postremo etiam Tertullianus in Apologetico, & Gaudentius in sermonibus commemmerunt. Sed & Faustus Milcuitanus Manichæorum propugnator ille maximus ita inquit: Placet suscipere sabbatorum ocium & Saturniacis manus insertare catenis.

Dierum nomina à Constantino mutata.

Nec illud omiserim, mutata dierum istorum nomina, in quæ nunc à Christianis vsurpantur, auctore Constantino principe, sicut in illius Græca laudatione meminit Nicephorus.

Quid in litteris Domitio, quatenus credendum, deq; illius euidenti, pudendoq; errore super voce attegias. CAP. IX.

DIRVE Maurorum attegias. Hoc Iuuenalis hemistichion de satyra quartadecima, quàm aut eruditè, aut fideliter, aut etiam perspicaciter enarret Domitius age iam (si vacat) inspiciamus. Sed pauca de homine prius, si quis hæc etiã fortasse.

Domitius Calderinus.

Domitius igitur Calderinus Veronẽsis, qui decẽ abhinc annos vita functꝰ, vir fuit acris ingenij, multæq; in litteris industriæ, Latinæ linguæ diligẽtißimus, Græce non incuriosus, nõ prosam cõdere absurdus, non carmen. Nimiũ sui tamen (quod opera ipsius testantur) admirator, ac pro sentẽtia cui semel adhæserat, etiã contra verũ cõtumax, & refractarius. Tũ ob id

Refractarius.

in scribẽdo quoq; iactãtior, atq; omniũ præse cõtemtor, omniũ q̃ minimã occasiũcula cauillator, et sine discrimine

ne vellicator. Itaq; etiã simultates eũ doctißimorũ hominum nimio plures exercuerunt, odioq; apud eos neutiquam obscuro laborauit. Auctoritatis vulgò tam magnæ fuit, vt Romæ inter professores iuuenis adhuc, primam sibi celebritatem vindicauerit. Cuius tuendæ, ac retinendæ gratia, factum compluries putamus, vt in suis operibus frontem perfricuerit, & per æqua, per iniqua famam captans, parum ex fide quæpiam retulerit, nonnulla etiam male solers, & præstigiosus, speciem quidẽ primorem veri habentia, magno credentium dispendio, sententijs ignorabilibus implicuerit, & puluerem (quod aiunt) oculis offuderit: aut sicubi maior difficultas, nec absistens, nec congrediens, spem lectoris eluserit. Ita dum nescire se nihil probare contendit, etiam Parthis aliquoties, & Cretensibus mendacior inuenitur. Cuius exemplum secutis alijs quoque in omnes iam litterarum articulos (vt verbis vtar Varronis) hæc mali gangræna sanguinolenta permeauit, præcidẽda deletili styli parte certatim à doctis omnibus, ne ad vitalia vsq; deserpat. Gãgræna.

Sunt autem editi ab eo grammatici commẽtarij aliquot, vt in Martialem, Iuuenalemq; poëtas quos & Mediciبus meis Laurentio, Iulianoq; fratribus dedicauit, à quibus etiam muneribus est amplißimis honestatus. Sed & in Statij Syluulas, & in epistolam Sapphûs, in Ibin quoque Nasonis edidit quæpiam plena nimirum bonæ frugis, vbi non fucum facit, & lectoris credulitatem ludificatur. Domitij commentarij.

Ceterùm Georgius Merula vir planè doctus, ac diligens, longeq; quàm Domitius in scribendo cautior, & nunc primi ferè nominis non remulo (quod aiunt) sed vellicatione plena inuectus, commentariorum illius in Martialem permultis editis notis, licentiam primus hominis magno veluti passu gradientem, prorsusque Merulæ laus.

iam ferocientem compescuit. Nos quoque dein primæ sub flore iuuentæ, non quidem vt ipsius libros planè de manibus excuteremus, sed vt somniculosam iuuentutem, velut in aurem vtranque dormientem, expergefaceremus, in ipso iam tum vostræ professionis tyrocinio sic eundem leniter quandoque, quasiq; parcente manu feriebamus: & nunc idem facturos præfamur, vt cunque res feret, quo fides nobis, libertasq; constet. Neque enim patiemur, quatenus vires suppetent, impune illudi credulæ iuuentuti, & simplicia ingenia supplantari. Quoniam autem (vt est apud Plautum) feliciter sapit is, qui periculo alieno sapit, cauebimus ipsi quidem pro virili, nequid in hos libros, quod non defendi queat auctoritatibus, referamus. Quid autem ad summam de ipso sentiamus, si vitia virtutibus pensamus, & qua parte ingenij maximè stetit æstimemus, vel epigramma testetur nostrum, quod in ripa Benaci lacus, ipso Domitij natali solo, Baccius Vgolinus Florentinus, atque Angelus Maffeus Veronensis, illius memoriæ studiosi, nouennium fermè abhinc, incidendum saxo curauerunt, quod & hîc adscribam.

Epigramma Politiani Domitio dicatū.

Asta viator, puluerem vides sacrum,
Quem vorticosi vexat vnda Benaci,
Hoc mutat ipsum, sæpe Musa Libethron,
Fontemq; Sisyphi, ac vireta Permessi:
Quippe hoc Domitius vagijt solo primùm,
Ille, ille doctus, ille quem probè nosti,
Dictata dantem Romulæ iuuentuti,
Mira eruentem sensa de penu vatum.
Abi viator, sat tuis oculis debes.

Sed nimis multa fortasse de homine, pauca præsertim polliciti: quod eo tamẽ cõsilio fecim°, vt offam veluti quã-

piam

piam grãmaticis istis diobolaribus, omnia quasi per nebulam videntibus, obijceremus, qui nihil omino rectum putabunt, nisi quod ipsi denique tritum diu proculcatumq; de suis illis profitentium commentariolis excerpserunt. Ad Attegias autem quod attinet, ipsius hæc Domitij verba sunt: Alij, inquit, accipiunt lingua Maurorum Attegias mapalia significare. Ego potius intelligo, hoc significare Mauritaniam ad extremam partem Lybiæ. Dionysius:

Ad summam Lybien habitant attegias vndas,
Alcidæ quà sunt statuæ Maurusia plebes.

Hæc ille, videns vtiq; meliora, deteriora sequens. Volebamq; sanè ista credere, sed rumor vera negat esse. Dionysiũ verò citat auctorẽ Domitius, qui si vnquã vocabuli istius mentionem feciſſe vllã reperietur, cedam, tollamq; manum iã tum, méque omnium haberi vanißimum non recusabo. Sed vt omni remota veßicã, rem putemus ipsam, non sunt Dionysij versus hi, non sunt, verùm Prisciani potius, quo libello Dionysium poëtam de Græco interpretatur. Corrumpit eos autem Domitius, atq; deprauat. Nam quod apud Priscianũ fuit, ad Tethyos vndas, priore inducta, interpolataq; scriptura, pro eo supposuit Attegias vndas, neutiquã (vt arbitror) facturus, si rationẽ carminis, aut si spatia, morasq; syllabarũ consuluiſſet: cùm vocabulum, quod est Attegias, antepenultima porrecta syllaba, contrà ipsius, quem interpretatur, testimonium, tum postrema breui, contra omniũ posuerit auctoritatem. Bene quòd extat Dionysius, cuius esse Græcos illius argumenti hos puto versus:

Prisciani versio.

Αλλ' ἤτοι τυμάτην μὲν ἐπὶ γλωχῖνα νέμονται
Αγχῦ συλάων Μαυρουσίδ' ἔθνεα γαίης.
Sed summam quidem ad extremitatem habitant

Prope columnæ Mauruſidũ gentes terræ.

Licet autem euoluas iam, totum videbis ne nimiam quidem ſuſpicionem ſubeſſe Attegiarum apud Dionyſium: videbis alium citari pro alio, expungi veram ſcripturã, ſupponi falſam, rationem ſyllabarum, vel carminis haberi nullam. Et dubitabit aliquis ab ipſo iam liberrimè diſſentire, & refutare has nugas vel ſi præiudicata pridẽ de hominis ingenio, doctrináque opinio, cauſſam faciat

Attegiæ. *inuidioſiorem? Ceterum Attegias ipſi vel tabernacula, vel vmbràcula, vel (ſi hoc magis placet) mapalia intelligimus, qualia Mauri colunt, qui Numidæ à Romanis, vt hiſtoriæ ſcriptor Herodianus eſt auctor. Vocabulum id Rufinus vſurpat in libro Ioſephi de bello Iudaico ſeptimo: Cùm ad feſtum, inquit, diem veniſſet, quo attegias in honorẽ Dei componi ac hominibus mos eſt. Nã quod Latinè Rufinus componi attegias ait, id ipſe auctor Ioſephus σκηνοποιεῖσθαι dixerat Græcè.*

De Baptis, & Cotytto, deq; Cotyttijs, tum apud Iuuenalem, & Horatium recta indicata lectio, enarratioque. CAPVT X.

CECROPIAM *ſoliti Baptæ laſſere cocyton. Hunc Iuuenalis verſum Domitius expoſiturus, erraticis (vt ita dixerim) ſuſpicionibus fibulam laxans, ineptias hallucinatur, & nugas meras: Baptas eſſe inquiens Cereris ſacerdotes, Cocyton Cererem. Nec arbitror hoc vnquam dixiſſet, ſi quod in homine non pudoris dixerim, ſed ſenſus omnino veſtigiũ fuiſſet. Nos enim tunc demũ creditu-*

ri, cùm quiſpiam proferetur, quo ſatis certo auctore ſtetur. Sed eſt hoc familiare huic (agã enim iã liberius) vt cũ nihil explicare poſſit, implicet, & quidquid obuium, ſit, arripiat, eoq; feratur diffidente conſcientia: quò de-

nique

nique ipsum impetus errabundæ opinionis impellit. Nos antiquam comœdiam poëtæ Eupolidis innui suspicamur, quod veterũ excellens auctoritas persuasit. Etenim de ea sic Platonius Græcus auctor, vbi de comœdiarum differẽtijs agit, ἴσμεν γοῦν τὸν Εὔπολιν ὡς ἄρα διδάξαι τοὺς βάπτας ἀποπνιγέντας εἰς τὴν θάλατταν ὑπ' ἐκείνων εἰς οὓς κάθηκε τοὺς βάπτας. Scimus, inquit, Eupolin, quoniã Baptas fabulam docuerit, ab ijs ipsis in mare summersum, contra quos Baptas emiserat. Lucianus quoque in ea oratione, quæ inscribitur Ad ineruditum, multos emptitantem libros, in hanc fermè sententiam: Dic mihi, inquit, etiámne Aeschinis orationem aduersus Timarchũ legisti an verò illa omnia scis, & nosti singula? Aristophanem verò & Eupolin subisti? Baptas integrã fabulam perlegisti? Tún' nihil ex his pertinere ad te putasti? neque ea cùm agnosceres erubuisti? Sed & Hephestion in enchiridio, de acatalectis agẽs, duos citat versiculos ex Eupolidis Baptis. Et Suidas vnum ex eisdem in vocabulo, quod est Atripheros. Iam primum igitur constare opinor Baptas comœdiam fuisse veterem, & mordacem poëtæ Eupolidis. Quod autem comœdiæ argumentum, quæ materia, per ipsa, quæ nunc extant vestigia, sagaciter indagabitur. Athenienses igitur ea tẽpestate sacra quædam, religiones q; peregrinas, nouos q; deos asciuerãt, quibus nocturnæ peruigilationes essent institutæ, magnorum dein flagitiorum caussa sicuti Romæ Bacchanalia. Sed inter sacra cetera, fuêre etiam quæ dicerentur Cotyttia. Contrahæc nocturna Cotyttia scripsisse Eupolin Baptas putamus: sed & alios comicos, inter q; eos Aristophanẽ quoq; videmus, totũ hoc genus peruigiliorũ, & peregrinitatis exagitasse. Sicut Iuuenalis, quæ Romæ fierẽt contra ritũ cerimoniarum, Baptæ. Cottytiæ sacra.

non

nõ dißimilia dicat ijs, quæ Baptæ Athenis in nocturnis Cotyttijs patrarẽt. Cicero in Legibus sic ait: Quid autem mihi displiceat in nocturnis, poëtæ indicant comici, qua licentia Romæ data, quidnam egissẽt ille, qui in sacrificium cogitatam libidinẽ intulit, quo neq; impudentiã quidem oculorum adijci fas fuit? Et mox idem: Atq; omnia nocturna (ne nos duriores fortè videamur) in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Nouos verò deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes, sic Aristophanes facetißimus poëta veteris comœdiæ vexat, vt apud eum Sabadius, & quidam alij Dij peregrini iudicati è ciuitate cijciantur. Apparet vtique de Ciceronis testimonio cùm Aristophanem, tum Comicos alios veteres cõtra nouos deos, contraq; nocturnas peruigilationes, acriẽ styli destrinxisse. Cùm verò ex superioribus liqueat Baptas fuisse comœdiam, qua turpia, & obscœna carperentur, atq; hîc de Baptis, deq; nocturnis Athenienſium sacris mentio, quæ nos Cotyttia fuisse appellata declarabimus, quis non intelligat iam baptas fuisse deniq;, qua potißimum fabula talia vexarentur? Strabo autem in libro de Geographia decimo, Cotyttia, Bendidiaq; sacra fuisse apud Thracas narrat, ex quibus Orphica sumserint originem, deamq; nominat Cotyn, cuius faciat Aeschylus mentionẽ. Tum idem paulò pòst Athenienſes ait multa ex peregrinis sacris accepisse, ὥς τε καὶ ἐκωμῳδήθησαν, inquit. Sed & inter cetera, quæ peregrina ab ijs recepta sacra commemorat, prima enumerat Tracenſia, quæ suprà ostendimus Cotyttia: Bendidiáque appellari. Liquet igitur Cotyttia ab Athenienſibus sacra externa coli solita, liquet etiam vexata à Comicis. Coniectura autem ducimur, vt cùm de Baptis hîc mentio, quam scimus fuisse

Aristophanes. Sabadius.

Bendidia.

Cotys.

Id est, Ita vt etiã comœdijs sint decãtata, seu exploſa.

Eupo-

Eupolidis comœdiam, déque sacris Athenienſiũ nocturnis, in ea potiſsimum id genus sacra exagitarentur. Ceterùm deam, quæ talibus præesſet ritibus, peruigilijsq;. Cotyttò vocatum putamus, à qua etiam recta ratione Cotyttiorum est innata appellatio: quæ quoniam dea comœdijs veteribus defamatiſsima, ideo Syneſius in epiſtola quadam cuius principium est, ὁ κῶς τ' οὔνομα λέλ⊖ κῶς πῶ προαίρεσιν, ad hunc planè modum narrat: ἑρμῆ μὲν κῶς Ηρακλεῖ τοῖς παλαίσρας ἐφόροις οὐκ κατὰ μικρὸν περίεθ. κοτυτοῖ δ' κῶς τοῖς ἄλλοις ἀτιμοτέροις κονισάλοις νεωκορῶ. Quibus verbis significatur eum, de quo in epiſtola agat, non Mercurio congruere, non Herculi palæstræ præſidibus, ſed esſe Cotyttũs æditimum, ceterorúmque apud Atticos deſpicatiſsimorum. Quare cotytto legendũ, non cocyton, præſertim cùm ſyllabæ repugnet quãtitas, quæ ne tum quidem breuis, cùm c, alterum ſubtraxeris, vt Domitius præſcribit, inſcitè ille quidem nimis (ſit verò venia) nimis inquam inſcitè, negligentérque, qui non cogitauerit primam nominis ſyllabam non poſitu modò, cui duntaxat occurrit, ſed natura quoque productam. Quidã tamen hanc deam Cotyn maluere, quàm Cotyttò, ſicuti Strabo ſuprà, ſicuti alibi Syneſius idem his verbis: θαῤῥῶν ἀποφαίνου τὸν ἄνδρα ἡμίγυον ἀυτόχρημα θιασώτην τῆς Κότυ⊖. Audacter, inquit, pronuncia virum eum ſemimarem ſtatim, ſodalémque Cotys. Quem exponens locum Suidas, Cotyn deam coli ait turpium præſidem. Vnde, inquit, ſunt Cliſthenæ, & Timarchi, & quicunque lucri gratia formam colunt, ad infandam libidinem, ſicut effeminati, & capillum fingentes vniuerſi. Sed & alibi credo inuenient, quibus hæc adiuuentur, viri docti, ſi doctrinæ ſtudium adhibuerint. Quin apud Horatium quoque in Epodis ita legendum

Cotyttiorum appellatio.

Cotyttò. Id est, & nomini ſeruus & inſtituto.

Cotys.

Cliſthenæ. Timarchi.

exi-

Horatij locus.

existimamus. Inultus vt tu riseris Cotyttia: non vt plerique codices Cocytia. Et in vetustißimo libro, qui sit Georgij Antonij Vespuccij Florentini, Græce Latineq; docti hominis, vocabulum id ante penultima syllaba t, retinet, non c, vestigium arbitror vnũ adhuc integrum veræ, integræq; lectionis.

Sententia de Claudiano exposita, relatu perquàm lepidæ fabellæ. Tum fabella altera non insuauior è Græco itidẽ versa, super Venere & rosa. CAP. XI.

CLAVDIANVS in libro de raptu Proserpinæ secũdo, de Venere dea rosas purpureas colligente loquẽs, ita inquit: —Sic fata cruoris Carpit signa sui. Locus sanè videri obscurus poterat, nisi apud Aphthonium in Progymnasmatis rhetoricis exposita fabella, sic propemodum: Qui rosæ pulcritudinem demiratur, plagam Veneris consideret. Amabat Adonin dea, Mars ipsam. Quòdque dea foret Adonidi, Veneri Mars erat, Deus deam adamabat, deáque hominẽ sequebatur. Par cupido, tametsi genus dispar. Perimere Adonin Mars zelotypus tendebat, finem putans amoris, Adonidis necem. Ferit Adonin Mars. Accurrit auxilio Venus festinans, in rosas incidit, ac se spinis implicuit, ita pedem perforatur, qui vulnere manarat cruor, de se rosam colorauit. Sic rosa, quæ prius candida, quod nunc cernitur, facta. Attigimus ipsi quoque fabellam hanc in Rustico nostra, versiculo illo:

Idalio pudibunda sinum rosa sanguine tinguit.

Sed & vniuersum pulcerrime numeris vernaculis complexus, Mecœnas hic æui nostri Laurentius Medices, vt in omni virtute, sic etiam in poëtica eminentißimus. Nonnus autẽ poëta mirificus lib. I. & XL. Dionysiacõn Martẽ ipsum, cùm ab eo fuerit Adonis occisus, in aprũ semet vertisse fabulatur, ita de Venere scribens. μένης δ' ὑπ' ὀνῶ

σῶν οὐκ ἤθελε λεύσσειν τερπωλὴν ἄξε μάντις, ἐπεὶ συὸς εἰκόνι μορφῆς ἄρης καρχαρόδων θανατηφόρον υἱὸν ἰάλλων ζηλομανὴς ἁμιλλᾶν ἀλλόνιδι πυλαμὸν ὑφαίνων. Negat his versibus Nonnus delectatũ fuisse apris Venerẽ, quoniã fore cognouerat vt apri figurã indueret aliquãdo Mars, ac præ zelotypia necaret Adonin. Rosam verò esse alioqui gratã Veneri, nec ille tacet lepidissimus epigrãmaton vates:

I felix rosa (inquiens) mollibusq; sertis
Nostri cinge comas Apollinaris,
Quas tu nectere candidas, sed olim
Sic te semper amet Venus memento.

Sed & Vergilius in Elegidio quodã suo (cur autem non suum credamus, quod omnium sit elegantissimũ?) sic ait:

Sideris & floris est domina vna Venus.

Ceterum Libanius ille quoque sophista Græcus, nec vlli Atticistarum secundus, ita quodam velut angulo supra argumento isto de rosa Veneris, lusitat: Quo inquit, tempore iudicem deabus pastorem fabula dedit, malè habebat Iunonem, malè Mineruam quoque cestus ille Veneris, in quo amabilitas, in quo etiam Cupido est. Ita venturas prius in certamen negabant, quàm vbi à se Venus medicamentum foret amolita. Sic enim cingulum illud appellabant. Atqui ne vos quidem, Venus aiebat, lenocinijs vacuæ. Tu diadema aureum crinibus, tu galeã similiter auream geris vertice. Sed enim fucos istos habere perme vobis liceat, liceat modò per vos ornatum, eomtumque mihi alium ascisceere cinguli vice. Sic morẽ deabus gerens ire ad Scamãdrum pergit, lectura flores, quà se pratũ subripa explicabat herbidum. Simul aquulæ ipsæ blandæ perspicuæq; suberant, & ad lauandum illices. Lota ibi dea, statim (qua causa venerat) ornatum quærebat sibi. Tum nescio qui mire suauis aspirare odor

Id est, Solum autẽ aprorum noluit cõspicere oblectamentum, vtpote Vates, quoniam apri sub imagine Mars dẽtiũ letale virũ prosijciẽs præzelotipiæ insania paratur erat interitum Adonidi.

Cestus Veneris.

Illex.

odor visus. Iam lilia, iam violas legerat dea, cùm tamen odor ille magis interim, magisq; blandiebatur. Pergit auræ fragrantis vestigia subsequi, videt rosam, visamq; naribus admouet, & esse hanc suaueolentiæ illius matrem cognoscit. Ibi flores aspernata ceteros abijcit humi, tantumq; rosis coronata, recepit se ad Idam denuo. Nec autem plus Veneri flos, quàm flori Venus cõciliare gratiam visa. Adeóque confestim Iuno, Mineruaq; victæ, vt ne ipsæ quidem pastoris exspectarint calculum, sed accurrentes vtraque sertum crinibus detraxerint, florémque deosculatæ ipsum, rursum Veneris capiti reposuerint. Hactenus de rosa Libanius, cuius tamen linguæ Græcanicis pictæ coloribus, nitidißimum tectoriũ, nescio an ad vnguem nostra ista tumultuaria Latinitas repræsentauerit.

Græcanici colores.

Quomodo inuenta purpura: simul explicatus Nonni locus, Græci poëtæ.

CAP. XII.

Quo pacto inuenta sit purpura nõ alienũ fuerit hic referre, vel vt Græci poëtæ Nonni locus intelligatur, vel vt fabula præquàm lepida, Latinis intacta, noscatur. Est autẽ apud Pollucẽ libro de verbis idoneis ad Cõmodũ primo, in hanc sententiã: Tyrij ferũt (inquit) captum amore Herculẽ nymphæ cuiusdam indigenæ, cui nomen Tyro, sequebaturq; eũ (inquiunt) canis antiquo more, quo dominũ canes vsque etiam ad concionẽ comitabantur. Quare canis hic Herculeus irreptantem scopulis purpuram conspicatus, peresa caruncula, sua sibi labra cruore Puniceo infecit. Cùm igitur ad puellã Hercules adijsset, delectata illa insueta tinctura, quã ceu florentẽ in eius canis labris aspexisset, affirmauit sibi cũ illo posthac nihil fore, nisi ad se vestẽ afferret, etiã canis illius labris

Præquã.

bris splendidiorem. Quocirca inuenta Hercules animãte, collectoq; sanguine, munus puellæ detulit, primus (vt Tyrij dicitant) auctor Punicæ infecturæ. Nos igitur in Rustico nostra, propter hoc ipsum deniq; conchã diximus Herculeam, cùm purpuram significaremus. Porrò autem Nonni poëtæ versiculi super hac ipsa fabula sic in libro quadragesimo Dionysiacõn inueniuntur: Concha Herculea.

Καὶ Τυρίης σκοπιάζε λιπλευμένα φάρια κόχλω
Πορφυρίδος σαινῆρας ἀκοντίζοντα θαλάσσης
Νύχι κύων ἁλιεργὸς ἐπ' ἀιγιαλοῖσιν ἰρίπλων
Ενδόμυχον χαροπῆσι γενειάσι βόσκελον ἰχθῦν,
Χιονίας πόρφυρε παρηίδας ἐνδοθι κόχλω
Χίλια φοινίξας ἱερῷ πυρὶ, τῷ ποτε μούνω
Φαιδρὸν ἁλιχλαίνων ἐρυθαίνετο φᾶρος ἀνάκτων.
Et tyriæ specta infectas vestes concha.
Purpureis splendoribus micantes maris.
Vbi canis cursitans in maris litoribus mandens:
Abditum sublucentibus faucibus admirandum piscem,
Niueas rubefacit maxillas intra concham,
Labra purpurissans roranti igne, quo olim solo
Amœna purpuratorum rubebat vestis Regum.

Salutis augurium quod sit apud Suetonium.

CAPVT XIIII.

SVETONIVS Tranquillus in Augusto sic ait: Nõnulla etiam ex antiquis cerimonijs paulatim abolita restituit, vt salutis augurium, &c. Quod autem foret salutis augurium, video etiam à doctis aliquot ignorari. Nos eam rem libro septimo, trigesimoque Dionis historiarum ad hanc sententiam reperimus: Tum verò etiam salutis augurium quod appellant, longo interuallo fecerunt. Est autem modus augurij quispiam, vt si Deus permittat, salutem populo poscant, quasi ne salutem quidem à Dijs petere fas, ni prius hoc ipsum Dij concesserint. Obseruabatur autem dies vna Salutis augurium.

quotannis, in qua nullus ad bellum proficisceretur exercitus, nemo se contrà pararet, nemo pugnaret. Quocirca in assiduis periculis, maximeq; ciuilibus, neutiquam fiebat. Nam & arduum in primis, puram rebus his omnibus diem seruare, & perquàm absurdum videri poterat, vltro seditionibus detrimenta sibi ipsos incredibilia conciliare, cùm & victis ea res futura esset, & item victoribus perniciosa, mox autem salutem à dijs immortalibus petere. Ceterùm tum fieri quidem augurium eiusmodi potuit. Sed ne id quidē purum processit, quoniam aduersæ quæpiam aues deuolarunt, vnde augurium captum, aliaq; item signa inauspicata apparuerunt. Idemq; etiam libro quinquagesimo scribit, ab Augusto pace terra, mariq; parta, Ianum clusum, neque non salutis augurium factum, quod antè multis causis fuerat omissum.

Naulia quæ sint in Ouidij Artibus: atque inibi de barbaris organorum appellationibus, quibus Græci nostrique vtantur, quodq; etiā Chaldæi Græca interim, nostraq; id genus vocabula non aspernantur. CAP. XIIII.

Disce etiam duplici genialia naulia palma
Vertere, conueniunt dulcibus illa modis.

Naulis, Nablia. Naula. Nabla.

NAVLIA diminutiuum puto, siue nablia, ab illis, quæ vel naula, vel nabla dicimus. Etenim, b, litteras & u, ferme pro eisdem positas inuicem sæpe veteribus monimētis adnotauimus. Suidas etiam, Nabla organi species ait. & idem alio loco: Psalterium, inquit, organum est musicum, quod naula etiā vocatur. Quin & Sophoclis versum Plutarchus adducit, ὃ νᾶυλα κωκυτοῖσιν, ὃ λύρα φίλα, libro eo, quem super Delphico fecit: sed & Theodoretus in psalmos de eo meminit, & Plutarchus in libris Symposiacis. Ex quo nos in Nutrice:

Id est, Nō naula luctibus, nō lyra grata.

N

-Non quæ duplici geniale resultant
Naula citata manu.

Sunt autẽ multa organorũ barbara nomina, sicuti Strabo narrat libro decimo, inter quæ Nabla quoq; enumerantur, hoc est, psalteria. Sed & illud obseruaui nuper apud Danielem prophetam, ducẽte me scilicet in recessus illos, & sacra studiorũ suorum penetralia Ioanne Pico Mirandula. Græca etiã quæ videantur, Latinaq; adeò istiusmodi organorũ nomina, quanquã paulò corruptius, à Chaldæis quoque auctoribus vsurpari, vt carna pro cornu, cathros pro citara, sabecca pro sambuca, psanterin pro psalterio, samphonia pro symphonia. Quin Gallus Solomon, ordinarius apud Hebræos enarrator sacrarum litterarum, Neuel ait esse Hebraicè, quod ibi psalterin, id est psalterium legatur, Constat autẽ litteris id nomẽ tribus נבל ex quo etiam nauel in Esaia legitur, & Amos, & Græca dein figura Naulon, à quo diminutum sit naulion hoc Ouidianum. Siquidem nouitiæ istæ sunt notæ, quibus Hebræi nunc pro vocalibus vtũtur, vt idem & comperit, & ostendit Ioannes Picus Mirandula meus, vnus omnium prorsus ab omni parte beatissimus, in opere singulari, atque admirando, quo psalmos à septuaginta versos, isto notarum præcipuè argumento, docet Hebraicæ veritati respondere. Ne iam insultare Iudæus, aut obijcere possit, ea eos in tẽplo singulis canere horis, quæ ne ipsi quidem satis versa fideliter existimemus. Denique Genialia cur dixerit Ouidius, facile noris, verba ipsa legẽs de Scipionis Aphricani Aemiliani oratione, contra legem iudiciariam Cornelij Gracchi, quæ posita sunt in Macrobij Saturnalibus, eorumq; principium sic est: Docentur præstigias inhonestas: cũ cinædulis, & sambuca psalterioq; eunt in ludũ histrionum, discunt

Organorũ nomina.

Vide Ian. Dni Sup. lib. 2. Ant. maluersorum cap. 59.

Carna.
Cathros.
Sabecca.
Psanterin.
Sãphonia.
Neuel.

Naulon.
Naulion.

cantare, quæ maiores nostri ingenuis probro ducieb volu erunt. Eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinædos, virgines, pueriq; ingenui. Sic Scipio. Tum Ambrosius quoq; libro ipso de vtilitate ieiunij tertio, psalteria docet adhiberi conuiuijs, vt libidines incitentur. Sed enim in comœdijs quoque crebra psalteriorum mētio. Porrò vocabulum ipsum Hebraicum est, nam Græcè psalterium dicitur, Latinè laudatorium, sicuti diuus Hieronymus ait in epistola ad Dardanum, docens in clypei modum quadrati esse formatum, chordarum decem, quanquàm Romanus Emanuel Hebraico commentario in psalmos, vtricularium putet esse fistulam Neuel, videlicet etymon sequutus, quòd ab vtre deduci vocabulum illud apud Hebræos videatur.

Qui fuerit auctor Sybaritidos, de quo Ouidius, deq; Sybariticis libellis apud Martialem, luxuq; item cetero Sybaritarum. CAP. XVI.

OVIDIVS in epistola ad Augustum libro Tristium secundo, sic inquit:

Sybaritis. Nec qui composuit nuper Sybaritida fugit.

Quæritur inter litterarum studiosos quinam sit is, qui Sybaritida composuerit, quodue ipsius operis fuerit argumentum. Nos vtrunque apud Lucianum deprehendisse videmur, in oratione, quæ est ad ineruditum, qui multos emptitaret libros. In ea scriptum est ad hanc ferè sententiam: Dic mihi hoc quoque, inquit, si Bassus ille sophista vester, aut tibicen Battalus, aut cinædus Hemitheon Sybarita, qui vobis mirificas conscripsit leges, quo pacto insanire oporteat, & velle, & pati, ac facere illa, si horum quispiam nunc leonis pelle circundatus, clauamq; tenens incedat, quid? eumne putes Herculē spectātibus visum iri? Sed & Philo Hebræus, in vita ipsa Mosis, Comedias, inquit, & Sybariticas nequit

Hemitheon.

Sybariticę nequitiæ.

nequitias componentes. Martialis quoq; in libro duodecimo epigrammatõn de Sybariticis libellis ita:

Qui certant Sybariticis libellis,
Musseti pathicißimos libellos,
Et tinctas sale pruriente chartas,
Instanti lege Ruffe: sed puella
Sit tecum tua, ne Talaßionem
Indicas manibus libidinosis,
Et fias sine fœmina maritus.

Hemitheon igitur fuisse videtur, non, vt Domitius ariolatur, Sybaris, à quo vel Sybaritis, vel libelli Sybaritici obscœnißimo sint argumento compositi. Notabiles autẽ sunt in primis luxu, & delicijs Sybaritæ, sic vt præcipuos omnium colerent Ionas, atque Tyrrhenos: quoniam alteri Græcorum, alteri barbarorum luxuriosißimi. Ab his etiam fabulæ Sybariticæ, quales fermè apud Aesopum, & prouerbium deductum, Sybarites per plateam, contra fastuosius ingredientes. Atque hæc quidẽ de Sybaritis, aliaq; non dißimilia Suidas. Plutarchus autem in conuiuio septem sapientum, morem fuisse scribit Sybaritis, mulieres ab vsque anno priore ad conuiuia vocandi, vt veste, auroq; moliri, exornareq; per ocium se possent. Sed & Maximus Tyrius in dissertatione tertia de voluptate, primos enumerat Sybaritas inter eos populos, quos vult mollißimos, delicioßißimosq; videri: neque nõ Sibariticas etiam saltationes commemorat. Quum idem in dissertatione alia, cui titulus, Quæ finis sit Philosophiæ, ferè in hanc sententiam: Crotoniates, inquit, oleastrum adamat, Spartiates armaturam, venationes Cretenses, luxum Sybarites, Ion choros.

Sybaritarũ luxus.

Sybarites per plateam.

Hinc ergo Iuuenalis:

Nullum crimen abest, facinusq; libidinis, ex quo

Paupertas Romana perit, hinc fluxit ad Istros,
Et Sybaris colles.

Astipulatur & Strabo, qui Sybaritas omni sua felicitate, propter delicias, luxumq; , septuaginta solis diebus fuisse narrat à Crotoniatibus exturbatos. Quin dictum quoque Plutarchus Sybaritæ ponit in Pelopide negantis mirum facere Spartiatas, qui se in bellis morti obijcerent, vt tantos labores, victumq; illum, quo vtebãtur, effugerent. Aristoteles autem moralium Eudemiorum primo, Smyndiriden quoque Sybaritam comparem Sardanapalo, inter voluptarios nominauit. Illud vrbanũ sanè, quod Aphricanus tradit in Cestis, sic enim Græcè liber ipsius de re militari inscribitur. Etenim Sybaritas eò deliciarum veniisse narrat, vt equos in cõuiuia introducerent, ita institutos, vt audito tibiæ cantu, statim se tollerent arrectos, & pedibus ipsis prioribus vicemanuum gestus quosdam chironomiæ, motusq; ederent ad numerum saltatorios. At enim tibicen, inquit, ibi quispiã contumelia effectus transfugit ad Crotoniatas hostes, paulò antè prælio superatos à Sybaritis: & quodè Repub. foret illorum, pollicetur (si fidem modò habeãt) sua opera Sybaritarum cunctorum equites in ipsorum venturos potestatem. Credita res, & belli dux creatus à Crotoniatibus tibicen, conuocat omneis quotquot eiusdem forẽt in vrbe artificij, modulamentumq; ijs indicat, atq; vt visum tempus, procedere in hostẽ iubet. Sed enim Sybaritæ fastu præturgidi, quòd equitatu superabãt, eũt contrà, prælium q; conserunt. Hic autẽ repentè dato signo tibicines vniuersi cõspirant. Ecce tibi igitur confestim modulamine agnito, cantuq; illo vernaculo, tollunt, eriguntq; semet in pedes equi Sybaritæ, sessoribus excussis, & quod tripudium domi didicerant, etiam in acie exhi-

Equorum tripudia.

exhibent. Ita capti omnes equites, sed humi iacentes omnes equi, sed tripudia repræsentantes. Tãtùm de Sybaritis Aphricanus.

De Aristidæ Milesiacis, de quo sit apud Ouidium: deque Milesiorum delicijs. CAP. XVI.

OVIDIVS idẽ in eadẽ ad Augustum epistola sic ait:

Vertit Aristiden Cisena, nec obfuit illi
Historiæ turpes inseruisse iocos.

Qui sit hic Aristides, quáue libros materia fecerit, magna hæsitatio: nos autem studiosam iuuentutem ad auctorem Plutarchum delegamus, cuius in M. Crassi vita, sub hoc propemodũ intellectu verba sunt: Collecto igitur Seleucensium senatui libros Aristidæ Milesiacõn perquàm impudicos ostentauit, nihil in eo mentitus, siquidem reuera fuerant inter Rusti sarcinas reperti. Quod & Surenæ præbuit occasionem probri, cauillíq; aduersus Romanos, cùm ne inter bella quidem continere semet à rebus litterisq; huiuscemodi valerent. Ita Plutarchus. Est autem Surenus apud Persas magistratus nomen, quasi prætorem dixeris, quod & Zosimus ostendit. Atque hunc quidem Plutarchi locum transcriptum planè, sicuti alia pleraq; in Appiani quoq; historia deprehendes. Lucianus item in amoribus sub hoc penè sensu, de Aristide: Magnopere, inquit, me narratiuncularum tuarum perquàm impudicarum lepida, & dulcis suadela lactauit, vt propemodũ te esse Aristidem, meq; sermonibus crederem Milesiacis demulceri. Quocirca etiã Apuleius epigrãma ipsum statim, quod in frõte asini sui collocauit, ita exorditur: At ego tibi sermone isto Milesio varias fabellas conseram, auresq; tuas beneuolas lepido susurro permulceam. Ex quo Martianus: Nam certè, inquit, mythos, poëticæ etiam diuersitatis delicias

Milesiacæ Aristidæ.

Surenas.

Milesius sermo.

Milesiæ deliciæ.

Milesias: & reliquâ. Fuêre autem Milesij quoque delicijs, luxuq; notabiles ex eoq; prouerbiũ Græce fertur, οἴκοι τὰ μιλήσια, μὴ χαρ ἐνθάδε. Hoc est, domi, non hîc Milesiá, videlicet in eos, qui domesticũ luxũ celebrant, vbi minus probatur. Nam sic Lacedæmone Milesius hospes audiuit, cùm delicias patrias extolleret, sicuti est scriptũ in Zenodoti prouerbiorũ collectaneis. Sed & Maximus Tyrius idẽ significat, qui Milesios à vestitu mollio-

Id est, molestissimè indutos.

re vocat ὑφασμενοτάτους. Ex quo apud Vergilium in Georgicis:

—Milesia vellera nymphæ Carpebant.

Ex quo illud item Horatianum:

Alter Mileti textam cane peius, & angui
Vitabit chlamydem.

Iones delicati.

Sunt autem omnino Iones quoque ceteri præquàm delicijs habiti defluentes, quod in veteribus memorijs passim. Ceterum: ne hoc quidẽ tacitum præteribimus, Veretro solitas vti Milesiacas fœminas è corio: sicuti scriptum etiam apud auctorem Suidam. quin item apud eundẽ legimus à Milesio Cadmo libros cõpositos quatuor, de soluendis amoribus.

Correctus in tragœdia Senecæ locus, atque ex Græca remotiore fabula declaratus, super Nemeæo leone. CAP. XVII.

Senecæ locus.

IN tragœdia Senecæ, quæ Hercules furens inscribitur, hic Senariolus legitur:

Sublimis altas luna concipiat feras.

Vulgarijs.

Alias enim codex habet vetustus ex publica Medicæ familiæ bibliotheca, non altas, vt in vulgarijs exẽplaribus. Cuius intellectũ loci nõ temere aliunde quàm ex Achille

Lunæ habitationes.

desumseris, quẽ auctorẽ Iulius quoq; Firmicus in Matheseõs libris, & citat, & laudat. Is igitur in cõmẽtarijs Aratẽis, cùm de Luna verba facit, ita scribit ad verbũ:

Iam

εἶναι δὲ ἐπ' αὐτῆς οἰκήσιν ἄλλην ποταμούς τε καὶ ὄσα ἐπὶ γῆς, καὶ τὸν λέοντα τὸν Νεμεαῖον ἐκεῖθεν πεσεῖν μυθολογοῦσιν. id est, In ea etiam habitari, fluuiosq; esse & cetera, sicut in terra. Quin Nemeæum quoque illinc cecidisse leonem fabulantur. Ex quo nos in Nutrice: —Nemeæáque tesqua Lunigenam mentita feram.

Quid sit apud Iuuenalem Fraterculus gigantis. Quidq; apud alios Terræ filius, ibidemque de Manij vocabulo.

CAP. XVIII.

Vnde fit vt malim fraterculus esse gigantis.

VERSVM Poëtæ Iuuenalis hunc ex Satyra quarta, quicunque hactenus interpretati sunt, hærent in salebra, quantum video, nec enarrare illi quidem mihi, sed risum captare anilibus fabulamentis, vel derisum potius videntur. Quippe alij gigantas in simias conuersos, alij post gigantas à Terra simiam productam in Deorum contemtum comminiscuntur: frigidiora his alia, quæ sicut ille Martialis rhetor, Neronianas thermas refrigerarẽt. Etenim nullo quantũ intelligam sensu, nullo (quod sciam) dicuntur tradente has nugas auctore. Mihi fraterculus gigãtis significare hominem videtur, nullis maioribus ortum, ignoto genere, obscuroq;, quoniam cuius ignorabantur parentes, eum vulgò appellare veteres Terræ filium consueuissent. Ex quo persius: —Præsto est mihi manius hæres,

Neronianas thermas refrigerare.

Fraterculus gigãtis.

Progenies terræ, quære exme quis mihi quartus
Sit pater, haud prõtè dicã, tamen adde etiam vnum,
Vnum etiam, terræ est iam filius.

Vides igitur vel vni⁹ auctoritate Persij, terræ filiũ dici, cuius nescirentur parentes. Nec adeò putes otiosè Manium illic à Persio nominatum. Vt enim omittam, quæ de Manio scribit Aricino Põpeius, etiã Manij nomẽ ipsum

Manius.

Græcus auctor Zozimus Romanæ historiæ libro tertio, non quia natus mane, sicuti ceteri, sed à manibus ait appellatum. Quin M. Varronis liber compluries à Marcello citatur Manij titulo, etiam nescio quid alicubi de funere attingens, vt fauere hunc quoq; augurer nobis. Cicero item in primo epistolarum volumine ad Atticum: Sed hæc ad te scribam aliàs subtilius, nam neque adhuc mihi satis nota sunt, & huic terræ filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo. Sed idem quoq; in epistola ad Trebatium sic ait: Cn. Octauius, an Cn. Cornelius quidem tuus familiaris, summo genere natus, terræ filius: quod in quibusdam codicibus depravatum, proq; eo suppositum Zeræ filius, cùm verior scriptura maneat adhuc in libro peruetere quondã doctißimi viri Philelphi, nunc Laurentij Medicis patroni litterarij, simulq; in libro altero de vetere (vt apparet) exscripto, qui nũc in bibliotheca publica Medicæ familiæ. Vides à Cicerone quoq; nihilo secius ignotũ prorsus hominẽ terræ appellari filium. Lactantius etiam diuinarum Institutionũ libro primo his vtitur verbis: Minutius Felix in eo libro, qui Octauius inscribitur, sic argumẽtatus est: Saturnum, cùm fugatus esset à filio, in Italiamq; venisset, Cæli filium dictũ, quòd soleamus eos, quorũ virtutem miremur, ad quos repentinè aduenerint, de cælo cecidisse dicere: Terræ autem, quòd ignotis parentibus natos terræ filios nominemus. Hactenus Lactantius. Sed & Tertullianus in Apologetico, de eodem Saturno sic scribit: Dictus autem Terræ, & Cæli filius, quia ignoti, vel ex inopinato apparentes de cælo superuenisse dicũtur, vt terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertũ est. Quare cùm hoc præoptaret, homo esse obscurus, q̃ nobilis Iuuenalis, quod olim prodigio par erat in nobilitate

Terræ filius.

Cic. loc.

Philelphus.

Cæli filij.

tate senectus, vtpote sæuientibus in eam Romanis Principibus, malle se ait fraterculum gigantis, hoc est, terræ filium, quod (vt ostendimus) obscurum significat, quàm nobilem, patriciumq;. Gigantes enim terra editi. Suauius autem fraterculum quàm fratrem, ne videretur vastitatem illam, molemq; gigantei corporis, sed generis dumtaxat ignobilitatem concupiscere.

Super aspiratione citata quæpiam, simul enarratum Catulli nobile epigramma. CAP. XIX.

QVINTILIANVS libro Oratoriarum institutionum primo de aspiratione agens, ita inquit: Parcissimè eâ veteres vsi etiam in vocalibus, cùm œdos, ircosq; dicebant: diu deinde seruatum, ne consonantibus aspirarent, vt in Graccis, & in triumpis. Erupit breui tempore nimius vsus, vt choronæ chenturiones, præchones adhuc quibusdam inscriptionibus maneant. Quæ de re Catulli nobile epigramma est. Hæc ille: Putamus autem epigrãma citari hoc potissimùm: Aspirationis vsus.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & hinsidias Arrius insidias.
Et tum mirificè sperabat se esse loquutum,
Cùm quantùm poterat dixerat hinsidias,
Credo sic mater, sic liber auunculus eius,
Sic maternus auus dixerat, atq; auia.
Hoc misso in Syriam requierunt omnibus aures,
Audibant eadem hæc, leniter, & leuiter.
Nec sibi post illa metuebant talia verba,
Cùm subitò affertur nuntius horribilis:
Ionios fluctus, postquàm illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

Est verò obseruandũ, vt etiam in pronuntiando, quẽadmodum

modum in scribendo vocibus aspires. Quod nunc Græci tantum in consonantibus, Latini ne in consonantibus quidem retinuerunt. Contrà veteres Latini etiam in loquendo vocalibus aspirabant. Ex quo Cicero in Oratore ad Brutum ita scribit: Quin ego ipse cùm scirem ita maiores loquutos esse, vt nusquam nisi in vocali aspiratione vterentur, loquebar sic, vt pulcros, Cetegos, triũpos, Cartaginem dicerem. Aliquando, idq; sero conuicio aurium, cùm extorta mihi veritas esset, vsum loquendi populo cõcessi, scientiam mihi reseruaui. Sic Cicero. Sed & aureolum vidi equidem nuper apud Laurentiũ Medicẽ nomisma, cum titulo, TRIVMPVS. & item argenteum alterũ, cum vulgatiore hoc, TRIVMPHVS. Quin Aul. quoq; Gellius in secundo Noctiũ Atticarũ testatur veteres, h, litterã, seu spiritũ, plerisq; vocibus verborũ formandis (vt ipse inquit) roborandisq; inseruisse, vt sonus eorum esset viridior, vegetiorq;. Sed & Priscianus ait aspirationẽ vocalibus extrinsecus adscribi, vt minimum sonet, cõsonantibus autem intrinsecus, vt plurimũ. Quare si cõstare tibi Catulliani epigrammatis lepõrem voles, aspirationẽ ipsam suo loco, quantũ poteris, pronũtiabis. Sed ista video iã sic innotuisse, vt aliena fortasse cuipiã videri possint: atqui tamẽ penè adhuc equidẽ adulescens, corã litteratis aliq;, quos & meminisse arbitror, de hoc ipso loco ad Domitium Florẽtiæ retuli: qui sic ei statim applausit, vt ingenuè fateretur, se plus eo die ab vno scolastico didicisse, quàm multis ante annis à quopiã professorũ. Scit Aureli⁹ Ariminẽsis (vt alios omittã) qui nũc Patauij degit, præstãti iuuenis & ingenio, & litteratura, quàm multos abhinc annos, istã de nobis enarrationẽ Florentiæ tũ quidem agitãs acceperit, quamq; sit (vt idẽ postea Patauij narrabat) noua prorsus, ignotaq;

Vsum loquẽdi populo. Triumpus.

tàm tum visa omnibus, ad quos de ea. Catullum autem plane vniuersum Veronæ (scit hoc vir liberrimi ingenij Baccius Vgolinus) intra officinam quampiam, quò nos pluuia coëgerat, viris aliquot literatis penè cogẽtibus, enarrauimus, cùm quidẽ illic adesset etiam Guarini propinquus, Ioannes Baptista (ni fallor) nomine, simúlque Dantes quidam Aligherius, quintus vt aiebat à Dante Florentino Poëta, neque non duo, qui tum Veronæ non indocti homines profitebantur, magnáq; itidem scholasticorum manus, ita pronis auribus nostra illa qualiacũque accipientes, vt identidem clamarent demissum cœlitus Angelum sibi (sic enim aiebant) qui Poëtam cõterraneum interpretaretur. Neque ob id istorum tamen commemini, quò inuenta mea mihi denique vni, nullo in participatum recepto, tribui postulem, (non enim sic mihi arrogo) sed ne quis forsan alienis laborib⁹ me, quasi coruũ, aut vulturẽ relictis ab aquila cadaueribus putet vesci. Dantes.

Emendata apud Suetonium, & enarrata nox hæc Ascopera:

CAPVT XX.

VITIATI deprehenduntur Suetoniani codices in Nerone. Nam sic vtique in omnibus: alterius collo, & scopa deligata, simulq; titulus: Ego quod potui, sed tu culleum meruisti. Nam neque scopa Latinè dicitur numero singulari, & si maximè dicatur, nihil tamen commercij scopis, & culleo. Sed enim in vetustis exemplaribus vestigium, vt arbitror, extat incolumis, veráq; lectionis, hoc modo: Alterius collo ascop. et deligata. Quare si litteram penultimam per, scripseris, fiet, quod & esse rectißimum puto: siquidem Ascopera est sacculus pelliceus: compositúmque nomen Græcè est, ex vtre & sacco. de quo vocabulo ita scribit Suidas, σακοπήρα τὸ μαρσύπιον ἤτοι σακκοπέριον. Marsypium significare Suidas Ascoperã docet. Hæc ergo fuit Ascopera

Ascoperã. Id est, Ascopera marsupiũ vel sacculus.

pera Neronianæ statuæ collo deligata, cullei symbolum, quoniam matricida. Quòd enim culleo parricidæ insuũtur, qui fit è corio bouis, eius cullei veluti instar quoddam repræsentauit, qui deligauit aſcoperam. Iuuenalis de parricida & culleo sic:

Et deducendum corio bouis in mare, cum quo
Clauditur aduersis innoxia simia fatis.

Quid sit aut Minerual, aut Mineruale munus: ex eoq; sententiæ Iuuenalis, & Varronis expositæ. CAP. XXI.

Iuuenalis locus. QVISQVIS adhuc vno partam colit asse Mineruã. Hoc ex decima Iuuenalis Poëtæ Satyra Domitius ita exponit, vt eius neutiquam videatur peruidisse intellectum. Mineruam partam, id est, cuius ludis quinquatribus, vt posset certare, adeptus est. Quo quid est absurdius, aut inconcinnius? an quæso vno asse quispiam assequatur, vt certare de eloquentia publicè possit? Cetera

Mineruale munus. rũm Mineruale munus, quod & Minerual dicitur, innuisse Iuuenalis videri potest, mercedulam magisterij scilicet à scholasticis dari solitam, potissimúmque arbitror ante quinquatria, per quos dies pueri vacabant. Vnde Horatius in extrema epistola:

Ac potius puer vt festis quinquatribus olim
Exiguo, gratóq; fruaris tempore raptim.

Sicuti Saturnalibus, & Calendis item mos habuit. Quare de quinquatribus agens Ouidius in Fastis, ita inquit:

Nec vos turba fieri censu fraudata magistri
Spernite, discipulos attrahet illa nouos.

Quinquatribus à scholis vacandũ. De Minerualibus hoc munere, etiã diuus Hieronymus itamẽminit in epistolã scribens Pauli ad Ephesios, quod etiam in Canonicis Decretis inuenias. Legãt (inquit) Episcopi atq; presbyteri, qui filios suos secularibus eruditũt litteris, & faciunt illos comœdias legere, & mimorũ turpia scri-

scripta cantare, de ecclesiarũ sumtibus forsan eruditos, & quòd in corbonam pro peccato virgo, vel vidua, vel substantiam suam totam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc in Calendarum strenam, & Saturnalium sportulam, & Mineruale munus grammaticus, & retor aut in sumtus domesticos, aut in templi stipes, aut fordidum conuertit in lucrum. Quas autem Saturnalium sportulas vocat Hieronymus, has nomine absoluto Saturnalitia Tertullianus. Varro quoq; in tertio libro rerum Rusticarum, sic de Mineruali. Axius: Merula mi, inquit, recipe me discipulum villaticæ pastionis. ille: Qui simul ac promiseris Minerual, incipiam (inquit) id est cœnam. Ludit enim Merula hîc apud Varronem, quoniamq; Axius discipulum se velle recipi dixerat, ipse sibi Minerual promitti postulat, quasi magistro. Cœnam autem iocose Minerual appellauit, quia magisterij merces. Næ forte igitur Poëtæ sensus hic erit: eum quoq;, qui semel præceptori Minerual porrexerit, quod per assem designatur, id est, qui paucis diebus rhetori, aut grãmatico operã dederit, optare totis quinquatribus, quæ festa erãt Mineruæ ingeniorũ præsidis, non modicũ quippiam sed eloquium, & famã Demosthenis, aut Ciceronis.

Saturnalium sportulæ, Saturnalitia.

Minerual

Cuiusmodi sunt versiculi, in quibus (vt ait Martialis) Echo Græcula recantet.

CAP. XXII.

MARTIALIS in secundo epigrammatõn de supinis quibusdam, superuacuisq; carminibus agens, in queis multus labor, minima laus faciendis, hoc quoq; inter cetera scribit:

Supina carmina.

Nusquam Græcula quod recantat Echò.

Domitius autẽ Græculam accipit Echò, vocem Græcam insertã, quasi se neget Martialis Græcis vsptã verbis vti in suis epigrãmatis, quod contra deprehenditur. Aut nos igitur

igitur coniectura fallit, aut innuuntur versiculi quidam, sic facti, vt in extremis resp̃sitationes ex persona ponantur Echûs, sententiam explentes, & morem tuentes illius vltima regerendi. Quales etiam vernaculos ipsi quosp̃iam fecimus, qui nunc à Musicis celebrantur, Hẽrici modulaminibus cõmendati, quosq; etiam abhinc annos fermè decem Petro Contareno Veneto patritio non inelegantis ingenij viro, mirè tum desideranti, nonnullisq; alijs litterarum studiosis dedimus. Sed & extant Græci quoque Gauradæ cuiusdam antiqui Poëtæ, quos & apponam.

Politiani opera lingua vernacula.

Αχὼ φίλα μοι συγκαʃαίνισόν τι.	τῆς φιλῆς.
Ἐρῶ κορίσκας ἀλλ' ἐμὲ ὁ φιλῆ	φίρει.
Πφᾶξαι λ' ὁ καιρὸς καιρὸν ὁ φίρει.	ἐρῶ.
Τὸ τοίνυν ἀυτᾶι λίξον ὡς ἐρῶ.	τὸ λός.
Καὶ πίσιν ἀυτᾶι, χειρμάτων τὸ λός.	τυ χᾶρ.
Αχὼ τίλοι πὸρ; ἢ πόδε τυχᾶρ;	quid?
Echo caramihi assona aliquid,	amat.
Amo puellam, illa verò me non amat.	patitur.
Faciendi verò tempus occasionem non patitur.	amo,
Tu igitur ipsi dic quòd amo.	tu da.
Et fidem ipsi pecuniarum tu da.	potiri.
Echo quid reliquum? an vota potiri?	

Legendum apud Martialem Cum compare mulo, quod plerique Cum compare gibbo: simul explicata ratio in eo, sensusque verior. CAP. XXIII.

MARTIALIS Epigrammatõn sexto:

Non aliter ridetur Atlas cum compare gibbo.

Sic enim & vulgò legũt omnes, & pro rectißimo exponunt, quicunq; sunt in cultu litterarum celebriores. Nos cõtrà in codicibus pleriſq; veteribus, minusq; vacillãtis auctoritatis, & fidei sic inuenimus: Non aliter ridetur Atlas cũ cõpare mulo. Mulo, inquã, nõ gibbo. Neue sur-

dis

dis (quod aiunt) agatur testimonijs, in hac ipsa gentis Medicæ bibliotheca publica codex habetur vetustißimus, Lãgobardis litteris, quẽ et Domitius olim Florẽtiæ pellegit. Sed & Veronæ mihi pagellas quaſpiã antiquißimi itẽ voluminis Bernardinus quidem adulescens, vt tũ visus est haud illiberalis, Domitij propinquus, cõmodauit, cùm quidem vnà esset mecum Baccius Vgolinus absolutißimi vir ingenij, candidißimiq;. Neque non Romæ quoque volumen item Martialis, Langobardis characteribus ostendit, legendumq; nobis indulxit Bernardinus Valla, vir & carminum ſtudio & iuris scientia, & generis nobilitate, atq; opibus, prætereaq; humanitate quapiã nõ vulgari celebrãdus. Quin Florẽtiæ itẽ præter hos, aliũ codicem primæ nobilitatis ciuis Pandulfus nobis Oricellarius semiueterem dedit vtendum, in queis vtique ſingulis hanc, quam dicimus ſcripturam reperias. Neq; autẽ diffitear etiã illam ſuperiorẽ in vno alteroq; non plane nouo exemplari vidiſſe me, ſicuti in eo quod Romæ in Palatina bibliotheca, mediæ antiquitatis, & item in altero tum quidẽ quum legebamus Franciſci Saxetti Florentini negotiatoris, nunc autẽ Taddæi Vgoleti Parmenſis, humani doctiq; viri, qui regi Pannonum Matthiæ, regij prorſus animi principi libros, ornamentaq; alia Florentiæ nobis iſta prodentibus procurabat. Nam in eo, quem mihi nuper doctus vtraque lingua vir Bernardus Michelotius ab neſcio quo ſibi Peruſino commodatũ dedit inſpiciendum, gibbo ſcriptum corruptius adnotaui. Quare quum ſuperiorẽ illam veluti conſtantẽ, ſolidãq; reperiamus in melioribus ſcripturã, quærendum videtur, quid ſibi Atlas poſtulet cum cõpare mulo, quãue cauſſa perinde rideatur vti Maurus elephanto vehens. Porrò Atlantem de Iuuenalis verbis, nanum Atlas.

quendam, pumillúmue fuisse temporibus illis, haud ignoratum colligimus. Sic enim inquit:

–Nanum cuiusdam Atlanta vocamus.

Vt ex contrario per deridiculum sit Atlas appellatus, qui foret pumila statura, sicuti

–Canibus pigris, scabieq; vetusta
Turpibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit tigris, pardus leo, si quid adhuc est
Quod fremat in terris violentius.

Sed & multi cùm pumili, vel mulæ, tum in pretio sunt, inq; delicijs habitæ. De queis in distichis idē Martialis:

His tibi de multis non est metuenda ruina,
Altius in terra penè sedere soles.

Siquando igitur nanus hic Atlas, mulo consimiliter nano, & compare sibi vtebatur, verisimile est rideri solitum publicitus, sicuti etiam Maurus niger derisui vulgo, quoties concolorē sibi elephantū inscenderat. Vnde inquit idem in primo:

Et molles dare iussa quòd choreas
Nigro bellua nil negat magistro.

Conuenit autem proposito, argumentoq; poëtæ in eum, qui iuuenis, & validus, & pauper, lectica identidem tamen à sex, & ipsis iuuenibus validis, pauperibusq; gestabatur. Atque vt illi superiores, nihilo ipse secius cunctis deridendi sui dabat occasionem.

Quædam Super Hecale anu in memoriam data: deq; poëta Callimachi: tum ex epigrammatis Priapeis expositus locus, & item alter apud Statiū: quodq; vitiosè legitur deeo in Apuleianis codicibus. CAP. XXIIII.

Aequalis tibi, quàm domum reuertens
Theseus repperit in rogo iacentem.

VER-

VERSICVLI sunt hi de Priapeis epigrammatis, per quos, aut ego fallor, aut Hecale anicula demonstratur, a qua Theseus olim adulescens hospitio comiter acceptus est. Vnde sacrum quoque Hecalesion per pagos celebre fuit Hecalo Ioui, non sine ipsius Hecales honoribus. Quam etiam Hecalenen diminutiua forma vocabant, quoniam ipsa quoque adulescentem adhuc Theseā salutare aniliter, & huiuscemodi excipere diminutiuorum blanditijs consueuisset. Quoniā autem proficiscente ad pugnam Theseo, sacrum Ioui pro illius reditu nouerat, ac prius quàm reuerteretur, ipsa obijt diem, vicem hanc Theseī iussu pro hospitalitate recepit, sicuti Philochorus memoriæ prodidit. Qua de re Plutarchus in Theseī vita commeminit. Ceterùm de ea iustum poëma Callimachus fecit Hecalen nomine, sicuti innuit item versiculus ex notissimo epigrammate: Hecale. Hecalesion sacrū.

Μέλπω δ' γραὸς τὴς φιλοξένου τρόπους.
Modulor verò anus hospitæ mores.

Multiq; passim reperiuntur auctores Hecalen citantes Callimachi. Nam & herbas edules enumerat aliquando Plinius, quas rustica illa Hecale apud Callimachum apponat: sicuti Crethmon in lib. XXVI. Sicuti etiam Sonchon in XXII. quamuis in nouis codicibus Hecate sit ibi, non Hecale: vestigium autem veræ lectionis manet adhuc in antiquis eis, qui sunt in publica gentis Medicæ bibliotheca. Quem vbi Callimachus in Apollinis ait hymno, Crethmon. Sonchō.

Ὀφθὸν Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθρι τίπτειν,
Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδόν, ὃς ἃ πόντος ἄεισεν.
Inuidia Apollinis in aures clandestina dixit:
Non admiror illum cantorem, qui neque quanta Pontus canit.

In eum locū sic interpres propemodum: Per hæc, inquit,

illos accusat, qui sic in eum cauillarentur, quasi magnũ facere poëma nõ posset. Vnde coactus est Hecalẽ facere. Verba interpretis ita sunt: Εγκαλῶ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα, ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Εκάλην. Id est,

Accusat per hoc invidos cauillantes in eum non posse condere magnum poëma, vnde est coactus condere Hecalen.

Hinc nos in Nutrice:

Battides Hecalen sonat, & Marathonia gesta.
Celsior assueto.

Sed & Statius in extremo Thebaidos de hac ipsa:

Nec fudit vanos anus hospita fletus.

Et Suidas Hecalen ait heroida quampiã esse apud Callimachum. Denique Apuleius in primo Metamorphoseos de eadem puto: Si contentus (inquit) lare paruulo Thesei illius cognominis patris tui virtutes æmulaueris, qui non est aspernatus Hecales, anus hospitium tenue. Neque autem ignoro deprauatam ferè vbique esse scripturam, siquidem non Hecales anus, sed Ales anus, præcerptis aliquot litteris, scriptum plerunque inuenies, vt in transcursu etiam, Apuleianos codices emaculemus, & lectorem veluti superpondio dimittamus onustum.

Apuleijlocus emaculatus.

Quàm multa in epistolis familiaribus, quæ nunc habentur Ciceronis præpostera, tum quem in ordinem restituendæ. CAPVT XXV.

NACTVS sum Ciceronis epistolarũ familiariũ volumẽ antiquißimum, de quo etiã suprà dixi, tũ ex eo ipso, alterum descriptũ, sicuti quidam putant, Francisci Petrarchæ manu. Descriptum autem ex ipso liquet multis argumentis, quæ nunc omiserim: sed hic posterior, quẽ dixi, codex, ita est ab indiligente bibliopola conglutinatus, vti vna transpositia paginarum decuria, contra quam

Codex epistolarũ Ciceronis.

notata sit numeris deprehẽdatur. Est autem liber in publicis gẽtis Medicæ bibliotheca. De hoc itaq; vno quãtum conijciã, cuncti planè quotquot extent adhuc epistolarum earundem codices, ceu de fonte, capiteq; manarunt, inq; omnibus præposterus, & peruersus lectionis ordo, qui mihi nũc loco restituendus, quasiq; instaurandus. Quare adhibe quæso animum, quicunque liberalis has litteras amplecteris. Igitur in libro octauo Cælij epistola ad Ciceronem, sic incipit: Certè, inquam, absolutus est, me repræsentante, pronuntiatum est, & quidem omnibus ordinibus, sed & singulis in vnoquoque genere sententijs. Vide modò, inquis, huc vsque ordo nondum interpellatus. Quæ autẽ statim sequuntur verba, Litteris ostenderis, & cetera diuersa prorsus à superioribus, atque alterius epistolæ inuenias. Perge porrò ab ea ipsa epistola deinceps numerare sequentes, ad eam quæ sit quarta & vigesima, cuius ita principium, Non me Hercules, nihil vnquam enim, quæ cum superiore continuatur, vt legas ita: Certè, inquã, absolutus est, me repræsentante, pronuntiatum est, & quidem omnibus ordinibus, sed & singulis in vnoquoque genere sententijs. Vide modò inquis, Non me Hercules: Nihil vnquam enim. Atque ita reliqua subtexe, donec ab ipsa, quam diximus alterius esse epistolæ, perueneris ad sequentem decimam, cuius hoc initium: Sic tu, inquis, Hircium? quam eo vsque lege, dum in verba hæc incidas, Si vllã spem, quæ simul offenderis, totum hoc delebis, Aut in tecto vitij, cetera mihi probabuntur. Totum hoc, inquam, delebis, aut induces, quoniam aliena planè huic loco. Mox denuo recurres ad ea, quæ posita perperam sunt, in illa Cælij, de qua primitus dictum, atque ita continuabis lectionem, Si vllam spem litteris ostenderis, ita

tractim legens, ad epistolam peruenies tertiam ab hac, & vigesimam, sic videlicet incipientem, Duabus eius epistolis respondebo. clausámque hac fini, Si enim nihil est in parietibus, aut in tecto vitij, cetera mihi probabuntur. Post eam, quæ statim consequi debet epistola, quæ nunc ab illa vndecima, sic ordines, Delectauerunt me tuæ litteræ. Comprobat hunc ordinem quem posuimus, non solùm codex vterque, vel ille antiquus, vel hic ex eo statim natus, à quo ceteros quoque omneis bibliopolæ vitio deprauatos liquet, sed intellectus etiam, sensusq; ipse luce clarior, sic vt acutius inspicienti quidquid vsquam prorsus obscuri est, ambiguiq; tollatur.

Versiculi in fastis è Græco super vite & capro: tum parodia quæpiam obscurior apud Suetonium. CAP. XXVI.

Ouidij locus.

OVIDIVS in primo Fastorum:

Sus dederat pœnas, exemplo territus horum
Palmite debueras abstinuisse caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacito dicta dolore dedit:
Rode caper vitem, tamen hinc cùm stabis ad aras,
In tua quod spargi cornua posśit, erit.

Nimirum hi duo versiculi de Græci poëtæ distícho perquàm inclyto, festiuoque facti, quod in primis celebre fertur, & volitat docta per ora virûm. Nam cùm dixisse quempiam illa memorat, ipsum nimirum auctorem carminis Euenum digito designauit. Loquitur autẽ in Græcis versiculis vitis ipsa, sic scilicet,

Κἂν μι φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Οσον ἐπασείσαί σοι ἐάτε θυομένῳ.

Et si me comederis ad radicem, tamen adhuc fructum producam,
Quantum inspergi tibi hirce immolato, sup. satis.

Vertit

Vertit hos nimirùm quàm potuit ad vnguem pœta ingeniosissimus, & sunt tamen in Græco nonnulla, quæ noster parum enarratè. Quin si veris concedendum, transmarinam illam nescio quam Venerem, ne attigit quidem noster. Quod vitium, linguæ potius minus lasciuientis, quàm parum copiosæ. Sed quoniam in Græci huius distichi mentionem incurrimus, afferamus etiã quod apud Suetonium in Domitiano est, vt obiter illi quoque non in obscuro loco, lucem interpretationis inferamus, velutiq; auctarium demus merce ipsa neutiquã vilius. Verba igitur ita sunt: Vt edicti de excidendis vineis propositi gratiam faceret, non alia magis re compulsus creditur, quàm quòd sparsi libelli cum his verbis erant, Suetonij locus.

Κἂν μι φάγης ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Οσον σπαστῖσαι καίσαρι θυμίνῳ.

Et si me comederis ad radicem, tamen adhuc fructum producam,
Quantum infundi Cæsari immolato, sup. sufficiat,

Quod enim suprà vitis capro minitabatur, hoc eadem nunc Cæsari: pulcerrima, hercules, parodia: Vel si me, inquiens, ad radicem comederis, tantùm tamen vini producam, quantum immolando Cæsari posit infundi. Mos enim veteribus vti capitibus stantium sub ictu, cultróque victimarum vinum infunderetur. Sic apud Maronẽ videlicet:

Ipsa tenens dextra pateram pulcerrimã Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit,

Igitur neci Domitianũ Cæsarẽ per hos versiculos libelli destinabant: quoniam, vt Suetonius idem scribit, Ad summã quondã vbertatem vini, frumenti verò inopiam, existimans nimio vinearũ studio, negligi arua, edixit ne quis in Italia nouellaret, vtq; in prouincijs vineta succiderẽtur, relicta vbi plurimum dimidia parte, nec exequi

rem perseuerauit. Meminerint autem studiosi nos in hoc inuento, non vno duntaxat nomine in commune consuluisse, quoniam in plerisque adhuc Suetonij codicibus, etiamq; nonnullis veteribus, non modò Græcos hos versiculos nõ inueniãs, sed ne vestigiũ quidẽ, ac ne locũ etiã quò se recipiãt. Sed eos nos quoniã tenebamus iãpridẽ, vtpote lepidißimos, facilè mox de absoletis, mendosisq; exemplaribus singulas pensitãdo, paulatimq; nũc agnoscendo, nunc restituendo litteras peruestigauimus.

Verba in Ciceronis epistola ex Ennij Medea, de Græca Euripidi. CAP. XXVII.

Euripidi genitiuo. Cic. loc⁹. Gypsatissima manus.

CICERO in epistola ad Trebatium, Hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quàm ignouerunt Medeæ, quæ Corinthum arcem altam habebant matronæ opulentæ, optimates, quibus illa manibus gypsatißimis persuasit, ne sibi vitio illæ verterent, quòd abesset à patria. Nam multi suam rem bene gessêre, & publicam, patria procul. Multi, qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati. Nemo ex his, quorum edita sit sententia, suspicatus est adhuc, non esse ista planè Ciceronis verba, sed poëtæ alicuius magis, cui liceret vti vocibus illiusmodi, figurisque, ceu sunt illa, quæ Corinthum arcem altam habebant, & matronæ opulentæ optimates, neque saltem hoc viderunt Iambos adhuc in his versibus extare integros duos, aliorumque quasi discerpta membra veluti noscitari. Nos hæc ex Ennij Medea verba esse colligimus, non quidem suo prorsus ordine, sed quo commodißimum Ciceroni fuit, allegata. Nam quum de Græca Euripidi versam ab Ennio Medeam in Latinum cognouißemus, sententiam protinus horum verborum de ipsa nimirum Euripidi tragœdia, quando illius Enniana tantùm non fecimus, libuit aucupari. Sic igitur in ea fabula

cum

etiam matronis Corinthij loquens inducitur Medea, vti persuadeat non sibi verti vitio oportêre, quòd absit à patria, quando multi, inquit, honesti etiam procul à patria, multi contrà domi fuerunt inglorij. Nam malè audiebant peregrinæ feminæ, vnde illud Comicum, Adeón' est demens, ex peregrina? Similiter tacere posse ait Parmeno, Samiã fuisse Thaidis matrem, tunc Athenis victitantis. Versiculos autem Euripidis ipsos, ex Medeæ persona, nequis fortasse desideret, hîc adscribemus. Terentius in Andria.

Κορίνθιαι γυναῖκες ἐξῆλθον δόμων.
Μὴ μοί τι μέμφησθ', οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
Σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο,
Τοὺς δ' ἐν δυραίοις, οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου πόλεως
Δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥαθυμίαν.
Corinthiæ feminæ egressæ sunt domos,
Ne mihi quippiam crimini vertatis, noui enim multos mortalium
Honestos factos, illos quidem ab oculis,
Hos verò in externis, sed homines ab otioso pede
Infamiam sibi contraxerunt, & ignauiam.

Quòd autem diximus Poëtam Ennium de Græco vertisse tragœdiam Euripidi Medeam, partim de verbis Ciceronis coniectamus, qui sic ait in primo de bonorũ, malorúmque finibus. Quis enim tam inimicus penè nomini Romano est, qui Ennij Medeam, aut Antiopam Pacuuij spernat, aut reijciat. Qui se ijsdem Euripidi fabulis delectari dicat, Latinas literas oderit? partim etiam quòd Ennianæ tragœdiæ principium multis locis, vt à Quintiliano volumine quinto, vt à Cicerone in libro de Fato, vt item ab alijs auctoribus identidem citatur, sed nusquam tamen longiore tractu, quàm in Rhetorico secundo eiusdem Ciceronis ad Herennium. Quod hîc ex codicibus varijs emendatũ subscribimus, vt illustretur obscuritas locis aliquot in lingua Latina oboriens, quo- Rhetorici ad Herennium.

ties vnus, aut alter de eius tragœdiæ principio versus allegatur, suppresso auctoris nomine, simulq; intellectu suspenso. Locus ipse apud Ciceronem sic est: Nec Enniũ, inquit, & ceteros Poëtas imitemur, quibus hoc modo loqui concessum est:

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa accidissent abiegna ad terram trabes,
Neue inde nauis inchoandæ exordium
Cœpissent, quæ nunc nominatur nomine
Argo, qua Argiui vecti, delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio Regis Peliæ per dolum.
Nam nunquam hera errans mea domo afferret pedẽ
Medea animo ægro, amore sæuo saucia.

Est autem trabes in versiculo secundo, singularis numeri, quemadmodum & Priscianus legit libro septimo. Vetustißimi enim (vt ipse inquit) etiã trabes pro trabs proferebant. Euripidi verò tragediæ principium si cum Ennianæ conferas, feceris arbitror operæpretium, quod & subnectam.

Εἴθ' ὤφελ' Ἀργῶς μὴ διαπτάσαι σκάφος
Κόλχων ἐς αἶαν, κυανέας συμπλεγάδας,
Μηδ' ἐν νάπαισι πηλίδ' ὑποσσῖαι ποτε
Τμηθεῖσα πεύκη, μηδ' ἐρετμῶσαι χέρας
Ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ δὴ πάγχρυσον λέβην
Πελίᾳ μετῆλθον, οὐ γὰρ ἂν λέπαστον ἐμὴ
Μήδεια πύργους γῆς ἔπλευσ' Ἰωλκίδος
Ἔρωτι δυμὸν ἐκπλαγεῖσ' ἰάσονος.

Vtinam Argus non pernolasset nauigium
Colchorum in terram, Cyaneas Symplegades,
Neque in syluis Pelij cecidisset vnquam
Secta picea, neque remos egissent manus
Virorum præstantißimorum qui aureum vellus

Peliæ

Peliæ petierunt, non enim hera mea
Medea ad turres terræ nauigasset Iolcidis,
Amore animum perculsa Iasonis.

Panici terrores qui vocentur, eoq; locupletissimi citati testes. CAP. XXVIII.

IN Ciceronis epistola ad Tyronem, quæ posita in extremo familiarium volumine, sic scriptum est: Et si Atticus noster, qui quondam me commoueri πανικοῖς intellexit, idem semper putat, nec videt quibus præsidijs Philosophiæ septus sim, hercle quòd timidus ipse est, θορυβοποιεῖ. Panica vocantur (vt arbitror) à Græcis repentini quidam terrores, & consternationes, quales vtique lymphatici metus, vsque adeò irreuocabiles, vt non ratione modò, sed mente etiam careant. Quo item verbo Cicero idem vtitur in epistola ad Atticum libro quinto: Scis enim, inquit, quædam πανικὰ dici. Facit itẽ Higinius de Panico terrore mentionem, quo loco de capricorno his verbis: Hîc enim dicitur, cùm Iupiter Titanas oppugnaret, primus obiecisse hostibus terrorẽ, qui Panicos dicitur, vt ait Eratosthenes. Quam fabulam & & Germanicus innuit in Arateo commentario Euripides in Medea sic ait. Id est, perturbat. Panica.

Καί τις γεραιὰ προσπόλων λόξασά πως
ἢ πανὸς ὀργὰς, ἤ τιν' θεῶν μολεῖν
ἀνωλόλυξε.

Et quædam vetula ministrarum opinata fortasse
Vel Panos iras, vel alicuius Deorum monere
Vlulauit.

Panos autẽ vocat iras Euripides, sicuti est apud antiquissimũ ipsius interpretẽ, τὰ πανικὰ λείματα, id est Panicos terrores, ὅ τι πρὸς τοῦ ἀιφνιδίων φόβων καὶ ταραχῶν αἰτίαν ἔχει πανὶ ἀναθεῖσιν. Quoniam, inquit, repẽtinorum terrorũ, & consternationũ causſam Deo Pani tribuunt.

buunt. Et apud Synesium in libro de Prouidentia, sic inuenio fermè, καὶ πανικοὶ δόρυβοι μεθ' ἡμέραν ὃ στράτευμα καταλάμβανον. Et Panici tumultus interdiu exercitum occupabant. Quo loco ampliter etiam cuiusmodi essent hi denique terrores, explicatur. Quin interpres etiam nescio quis ita verba hæc ipsa Synesij enarrat, vt Panicos appellari terrores dicat, cùm repentè in exercitu viri, equique perturbantur, nulla comparente caussa. Solent enim, inquit, feminæ vi numinis instinctæ, Panos orgia clamoribus concelebrare, quibus vtpote repentinis metu audientes afficiãtur. Sed et Nicetes Choniates nõ aspernabilis omnino inter Græcos auctor, Panicorum meminit phantasmatum, in oratione quapiam sua. Theon quoque Arati Poëtæ interpres, militasse ait Pana Deũ aduersus Titanas, primúmque eum videri conchã illam tortilem, & turbinatam, qua pro tuba vtuntur, inuenisse, quæ Græcè Cochlos appellatur, factúmque ipsius opera, vti se armandi socijs interim fieret copia, dum so nitu quocunque illo, qui Panicos vocatur, in fugã Titanes agebantur. Sed & Nonnus Poëta Dionysiacõn x. furentẽ describens Athamãta, nunc insano Panos flagello furiatum ait, nunc intra ipsius aures bombum illum insonuisse Panici Saturnij flagelli, verba ita sunt:

Nicetes Rhetor.

Theon.

Cochlos.

Οἰστρηθεὶς Ἀθάμας μανιάδι πανὸς ἰμάσθλῃ.
Αὐτὰρ ὁ ἐνδοτέρω ἀκόντος.

Agitatus Athamas insano Panos verbere.
Semper verò ipsi intra aurem.

Et item:

Πανιάδος χρονίης ἐμβόμβεε λάτρος ἰμάσθλης.
Panici Saturnij insonat bombus flagelli.

Quo autẽ nũc piaculo Valerij Flacci pulcerrimos poëtæ versus taceã super hoc ipso, positos in libro Argonauti-

nauticân tertio: Dant, inquit, æthere longè
Signa tubæ, vox & mediis emissa tenebris:
Hostis habet portus, soliti redière Pelasgi,
Rupta quies, Deus ancipitem lymphauerat vrbem
Migdoniæ Pan iussa ferens fœuissima matris,
Pan nemorum, belliq; potens, quem lucis ab oris
Antra tenent, patet ad medias per deuia noctes
Setigerum latus, & toruæ coma sibila frontis.
Vox omnes super vna tubas, qua conus, & enses,
Qua trepidis auriga rotis, nocturnaq; muris
Claustra cadunt, talisq; metus non Martia cassis,
Eumenidúmque comæ, non tristis ab æthere Gorgo
Sparserit, aut tantis aciem raptauerit vmbris.
Ludus & ille Deo, pauidum præsepibus aufert
Cùm pecus, & profugi sternunt dumeta iuuenci.

Quin libro etiam sexto apud eundem barbarus quispiã ad terrorem incutiendum simulacra Panos prætulit.

Hispidus inq; Dei latuit terrore Lycæi.

Sed & Sozimus historiæ Græcus auctor in libro tertio, monstroso aspectu quempiam apparuisse pellitum dicit, Albanis, Romanisq; præliũ commißuris. Etenim Deum Pana belligerum fuisse, vel ex argumẽto Nonni cognoscimus, vel ex Theocriti fistula, nã in ea sunt ista quoque verba de Pane Deo: Pan belliger.

οὔ αἴθε πέρ θ' φρίνας τίτμα σάκος.

Cuius inflammauit quondam animum vmbo clypei.

Eundémque fuisse Athenienſibus auxilio cõtra Persas cùm alibi legimus, tum in ea ipsa, quam diximus fistula, his verbis:

Ος σφίσιν ἀνορίαν ἰσαΐδια
Βαπτοφόνος, τηρίνης τ' ἀφιλίτης.

Qui

Qui extinxit arrogantiam eiusdem nominis
Cum auicida, à Tyriaq; abstulit.

Vnde sint apud Ouidium, Teuthrantia turba Thespij vocatæ filiæ. CAPVT XXIX.

OVIDIVS *in epistola* Deianiræ *ad* Herculem:

Nec tibi crimen erunt Teuthrantia turba sorores,
Quarum de populo nulla relicta tibi est.

Notißima quidem fabula, etiamq; à Diodoro *prodita super* Thespij *natabus ab* Hercule *compreßis. Cur autem* Teuthrantia turba *vocentur, hoc tam plerisque incompertum, atq; ignotum est, vt audeant litteratores pro illo* Teuthrantia, Thespeia *reponere, nimis quàm improbè, inscitæq;. Nos de eo inuenimus apud* Eustathium *Homeri interpretem, vbi maximè Catalogum enarrat:* Φυεὶ ὁ τῶν ἐθνικῶν συγγραφεὺς ὅτι κτίσμα ἐστὶν ἡ Θέσπεια θεσπιάδος ἀπὸ Πίτινας θεσπίου, υἱοῦ τευθράνδρου, τοῦ πανδίονος. *Ex auctoritate scilicet cuiußpiam, qui de gentibus conscripserit* Thespiam *tradit à* Thespiade *fuisse conditam, sicut autē nonnulli scribunt à* Thespio Teuthrantis *filio* Pandionis *q; nepote. Quare* Teuthrantia turba Thespij *vocatæ filiæ ab auo* Teuthrante. *Denique &* Aeschylus *in tragœdia* Agamemnone Thespiam, *vrbem* Teuthrantis *appellauit.*

Teuthrãtia turba. Thespia. Teuthras.

Vocabula inuentu rara, nec tamen singularia, Cacuma, Prosecha, Scruta. CAP. XXX.

VOCABVLA *quæpiã sunt, ita rara inuẽtu, vt si iterũ in ea incidamus, ob id feciße operæpretiũ videamur, quoniam singularia credebãtur, sicuti est* cucuma *apud* Martialẽ *in hoc hemistichio,* Cucumam *fecit* Otacilius. *Nam sic in Satyrico legimus* Petronij Arbitri: *Tum illa carnis etiã paululum delibat, & dum coæquale natalitiũ* sno-

Cucuma.

suorum sinciput in carnarium furca reponit, fracta est putris sella, quæ staturæ altitudinem adiecerat, anumq; pondere suo deiectam super focum mittit. Frangitur ergo ceruix cucumæ, ignémque conualescentem restinguit, atque totam faciem excitato cinere perfudit. Ex eoq; inclinatum diminutiuũ cucumion inuenio apud Arrianum in libris de Epicteto, quo maximè capite περὶ κυνισμοῦ, hoc est de Cynica professione loquitur, atq; adeò verba Arriani ponam, δεῖ ἄνδρα κεκοῦμιον ἔχειν ὅπως θερμὸν ποιήσει τῷ παιδίῳ ἵνα ἀυτὸ λόσῃ. *Habere, inquit, eum cucumion oportet, vbi calfactet puero, quò ipsum lauet. Cucumion dixit Græca consuetudine, quod nos cucumelam non inconcinnè. Sed & Proseucha tantũ apud Iuuenalem inueniri vocabulum pro loco mendicabulorũ putatur, cùm tamen Cleomedes in secundo circularis inspectionis libro, aduersus Epicurum differens ita propemodum loquatur:* Ex ijs nonnulla è lupanaribus ascita, *quædam simillima his, quæ in Cerialibus à feminis dictitantur: alia verò ex media proseucha, atque ab ijs ipsis, qui illic mendicant desumta, Iudaica planè, & retrita, longéque etiam reptilibus humiliora. Sed & Scruta dixit Horatius quidem semel in hoc versiculo:*

Proseucha.

Scruta.

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Dixit iterum quantum videam Sidonius Apollinaris libro epistolarum septimo per hæc verba: Nunc quædam friuola, nunc ludo apta virgineo scruta donabat.

Quid sit illud apud Iuuenalem, tanquam habeas tria nomina: quodq; manu emissi patronorum sibi nomina imponebant: deq; in nomen adoptando ex testamento. CAP. XXXI.

ET ponêre foris, siquid tentaueris vnquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina.

Sanè

Sanè Domitius idem (nam ceteros omitto interpretes, cum ipso vt præfactiore congredior) Domitius igitur sic hunc ex quinta Iuuenalis Satyra locum enarrauit. Si velles, inquit, loqui: quasi tu quoque vnus esses ex nobilibus: quasi innuat, quòd tantùm his, qui nobiles sunt, loqui liceat. Nobilitas enim cognomine, agnomine, & nomine designabatur, C. Iulius Cæsar. Hactenus ad verbum Domitius. Ceterùm tria nomina, nec soli habebant nobiles, nec vniuersi, sed hi potius arbitror, qui è seruitio manumittebantur. Quocirca sensus quoque vel ob id acutior, atque concinnior, vt conuiuator ne liberum quidem putet, néue pro libero fari æquum censeat, quem sibi conuiuam vocauerit. Hoc si non auctores haud lubricæ fidei comprobant, vincor nihil esse Domitio pensitatius. Artemidorus igitur Ephesius, siue is Daldianus dici mauult, in libro de Somniorum coniecturis primo, Græcè ille quidem, sed ad hanc sententiam: Noui autem quendam, inquit, seruum hominem, qui sibi habere tria virilia visus: Dein verò liber factus, eo pacto tria pro vno habuit nomina, duobus assumtis patroni nominibus. Hæc Artemidorus. Septimius quoque Florens Tertullianus in libro de Resurrectione sic ad verbum: Oro te, inquit, si famulum tuum libertate mutaueris, quid eadem caro, atque anima permanebunt, quæ flagellis, & compedibus, & stigmatibus obnoxiæ retrò fuerant, idcircòne illas eadem pati oportebit? non opinor. Atqui & vestis albæ nitore, & anuli aurei honore, & patroni nomine, ac tribu, mensáque honoratur. Hinc illud, opinor, Persianum: Exit Marcus Dama. Probat morem Cicero quoque epistolarum ad Atticum volumine quarto, sic scribens:

Nomina tria quib⁹.

Persij locus.

Ciceronis loc⁹.

De

De Eutychide gratum, qui vetere prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius, vt est ex me & te iunctus Dionysius M. Pomponius. Sed vt obiter hunc quoque Ciceronis non obscurum locum interpretemur, nosse oportet etiam morem fuisse, vt hæredes testamento in nomen, familiamq; adoptarentur. Sicuti est à Cæsare C. Octauius, quemadmodum scribit & Suetonius in Iulio. Quocirca post eam diem semper est ille Cæsar, vt in epistolis quoque Bruti ad Ciceronem, appellatus. Quemadmodum & Q. Scipio collega in consulatu Pompei: qui cùm filius Nasicæ foret, ex testamento in Metelli Pij genus adoptatus, eius etiam nomine vocabatur: sicut in libro historiarum XL. scribit Dion. Quare etiam T. Põponius Atticus hæres relictus à Q. Cæcilio ex dodrante, sicuti scribit Cornelius Nepos in ipsius Attici vita, posteà vt est apud Varr. in secundo de Re rustica, ex T. Põponio Attico Q. Cæcilius Atticus est appellatus. Quare Eutychidem manumissum T. Cæcilium Eutychidẽ vocauit, vetere prænomine suo: nam T. Pomponius olim diceba-tur, nouo nomine, quòd haud pridem Q. Cæcilius vocari cœperat. Sic seruus Dionysius M. Pomponius Dionysius vocatus est, ascito Ciceronis prænomine, Attici nomine. Sed & Milesius Alexander, cui Polyhistori cognomentum fuit, Cornelius est etiam à Cornelio Lentulo appellatus, à quo videlicet fuerat manumissus, sicuti quæ Suidæ dicuntur collectanea, testantur.

Restituta Plinianis Codicibus abolita pridem vox: quidque poppysinos aut poppysina significẽt, quodque mos poppysmis adorandi fulgetras. CAP. XXXII.

CORRIGENDVS apud Pliniũ locus ex libro octauo & vigesimo naturalis historiæ, capite secundo, quo tractatur, an sit in medẽdo aliqua vis verborũ: subducta

enim vox vna, qua vetus indicatur cõsuetudo, vetustiore quoque testimonio comprobata. Sic autem plerique codices habent: Fulgetras adorare consensus gentiũ est. Sed in vetustis duobus exemplaribus, ex ipsa Medicæ gentis nobili bibliotheca, sic scriptum: Fulgetras adorare poppysmis consensus gentium est. Quam lectionem vel Aristophanes facetissimus poëta cõfirmat in comœdia, cui σφῆκες inscriptio. Nam apud eum Philocleo quidam senex ita loquitur, vt se dicat poppysantibus (liceat autem sic verbo vti) fulguraturum. Tum interpres antiquissimus morem hunc esse ait, vti ad fulgetras poppysetur. Verba Aristophanis hæc sunt κἀναστράψω ποππύσειν. Tũ interpres hæc, ἰθὺς τὰις ἀστραπαῖς ποππύζειν. Quemadmodum ergo apud Iuuenalem, Martialemque poëtas poppysma legitur, & poppysmata, sic apud Plinium poppysmis à casu recto, qui sit poppysmus. Est autem factitia de sono vox, id significans, quo maximè nõdum perdomitis equis adulamur, vti Maximus in lexico, & Nicas item, & Suidas. Vtitur verbo etiã Sophocles, ποππύζεται ζευγιλάτρις sicut & Pollux meminit, in septimo Onomasticõn. Quin idem quoque in primo sisti equum poppysmo docet, hoc ipsum vsurpans vocabulum, quod & Plinius: qui tamen etiam libro eiusdem naturalis historiæ quinto trigesimoq; sic ait: Similis & Nealcem successus in spuma equi, similiter spongia impacta sequutus dicitur, cùm pingeret poppyzonta, retinentem equum. Dexippus etiam Platonicus philosophus in dialogo, quem edidit in Aristotelis Categorias, ita scribit: ἢ τὶς ἀναστροφὴ φόφου ὡς ἔτι ποππυσμάτων.

Plinij locus. Poppysmi. Id est, vespæ. Id est, Et affulgurabo poppysantibus. Id est, Mos fulgetris poppysare. Id est, poppysat mulier aurigans. Id est, Vel siquis inarticulatè strepitus, vt in poppysmatis.

Crambe quæ sit apud Iuuenalem, superq; ea Græcum prouerbium. CAP. XXXIII.

Occidi.

Occidit miseros Crambe repetita magistros.

Calderini de Crãbe sententia.

HVNC Iuuenalis versum Domitius idem Calderinus his verbis enarrat: Cornelius de declamationibus ita scribit. Declamationes aut ex historijs trahebantur, sicuti sanè nonnullæ vsque adhuc: aut ex veritate, ac re, si qua fortè recens accidisset. Itaque locorũ etiam appellationibus additis proponi solebant, & sic certè collectæ, editæq; se habent. Crambe igitur inscriptio est declamationis à loco. Nam Crambe oppidum est in Teuthrania Troadis, vt scribit Plinius, & è proxima regione est Lesbos, in qua Mitylenen occupauerunt tyranni, vt auctor est Strabo, Nigesilus, & Megarogilus. Alcæus poëta eos carmine est insectatus, vnde aureum plectrum habuisse dicitur, auctore Fabio. De tyrannis eiectis, Crambe declamatio semper erat repetenda à magistris. Hæc placet sententia, vt conueniat cum eo, quod dixit:

Cùm perimit sæuos classis numerosa tyrannos.

Quòd alij à Crambo Scytharum rege, cuius meminit Diodorus, Cramben declamationem deducunt, nulla ex parte accommodatum est. Hactenus igitur Domitius, tortuosa prorsus, & tergiuersanti oratione, cuius ex verbis hæc denique colligitur confusa necessitate sententia: Cramben declamationem ab oppido Teuthraniæ appellari, quod & à locis nomina declamationibus imponantur, & Mitylenen tyranni occupauerint, oppidum in Lesbo, vt id poëta versiculo illo significet:

Cùm perimit sæuos classis numerosa tyrannos.

Nos igitur proponerentur nèene à veteribus cõtrouersiæ, locorũ appellationibus additis, nõ laboramus, quamuis hoc nõ Cornelius (vt ipse dicit) sed Suetonius Tranquillus scripserit in libello, quem de claris grammaticis,

rhetoribusq; composuit, eumq; libellum, nō vt Cornelij, sed vt Suetonij Domitius quoq; ipse superius agnoscit, & suo se laqueo (quod dicitur) implicat, exponens (vt quidem sibi videtur) versiculum eiusdem satyræ:

Parte alia solum rus sati pone lacertæ.

Iam verò Cramben (vt quod nunc instat agamus) esse inscriptionem, id nos planè pernegamus. Quin audacter pronuntiamus, neq; tale quippiam apud idoneos modò scriptores inueniri, neque si maximè inueniatur, idcirco tamē ad tyrannos eos, qui Mitylenen occupauerint, referendum, cùm oppidum Crambe nō modò non in Lesbo, sed ne in insula quidem sit vlla. Quare, quod pace sua dixerim, nihil hac Domitij commentitia opinione, siquis modò eam diligēter excutiat, dici fingiq; potest aut absonum magis, aut inconcinnum, & ridiculum, sic vt sese ipsa nullo impellente subuertat. Neq; autem causa fuit, cur Mitylenæ ad Alcæum consurgeret, vt classis numerosa tyrannos perimeret, quando inter primas controuersiarum materias, tyrannicidarum præmia numerat Cornelius in eo dialogo, quem de claris edidit oratoribus. Ita sibi omnia tenebrarum, & caliginis ingenia Domitius offundit, quoties velut è naßa pisciculus nequit exsinuari: quódque Aristotelem facere docet Atticus philosophus, non inelegans Platonis propugnator, vt quemadmodum sepia sparso sub oculos ipsos, manúmque piscatoris suo sibi succo elabitur, ita ille deprehendi metuens, sententias de industria obscuritatibus infuscet, hoc in hunc hominem potius conueniat, nunquam magis, quàm cùm penè tenetur, inuoluentem semet, obnubilantémque ambagibus, & quóddam sicut atramentum perplexitatis interuomentem. Quòd autem quidam vir alioqui doctus, & industria sua bene de litteris

meritus

meritus, in commentario nuper edito de Gambra, Anathóque affert ex Probo, vt ipse inquit Iuuenalis, interprete, fateor equidem nec scire me quinam sit hic Probus, nec putare eum esse cuius Gellius, alijq; ex veteribus meminerint. Fides ergo de eo apud auctorem sit. Mihi tamen quod videtur exponam breuiter: nam, vt ait ille nescio qui tragicus, veritatis simplex oratio est. Græcum igitur hoc, arbitror, prouerbium Iuuenalis expressit, Δὶς κράμβη θάνατος. quo significatur, bis posita Crambe mors esse. Crambe autem brassicæ genus, vt fastidium videlicet repetitæ sæpius controuersiæ denotaret, cùm vulgò quoque recalfacta brassica iam in prouerbium fastidij concesserit. Maluit autem Græcũ vsurpare, quàm Latinum vocabulum poëta, vel quia tritius id Græcis, quàm Latinis prouerbium, vel sanè quia species etiam quædam brassicæ proprie appellata Crambe, tenuioribus, vt est apud Plinium, foliis, & simplicibus, densissimisq;, amarior, sed efficaciss ima. Ipsius verò Græci prouerbij mentionẽ Suidas facit, ponitq; etiam in conuiuijs Cramben docet, quòd sit ebrietati contraria: quẽadmodum in libro de re rustica testatur Cato.

Græcum prouerbiũ.

Crambe.

Vitioſè quæpiam in Epiſtola Ciceronis: deque vocabulo quod eſt Sciamachia. CAP. XXXIIII.

RVSTICVM nimis, & illepidum, sordidumq; adeò planè vocabulum Ciceronis epistolam occupauit eam, quæ est ad Brutum isto principio: Mirabiliter mi Brute lætor, sic enim in ea legimus. Meæq; illæ vehementes cõtentiones tanquam scientia adnihilatæ esse videantur. Quod quidã tamen hactenus corrigunt, vt dicant tanquam si iam adnihilatæ esse videantur. Consulant quæso eruditi, peritiq; idoneorum verborũ, veterumq; lectionum, consulant suũ quisq; iudicium, sensumq;, ac tùm de-

mum credere dudeant adnihilatas contentiones scriptũ fuisse à Cicerone. Nos in Codicibus duobus Medicæ familiæ, quorum suprà quoque fidem allegamus, mendosè id etiam, sed tamen vt erroris adhuc vestigium non sit abolitum, sic reperimus, tãquam Schiamachalaæ esse videantur. Quare suspiciamur legendum sciamachiæ. Sunt enim scimachiæ nihil sanè aliud, quàm vmbratiles pugnæ. Sentit enim Cicero hoc, vtique frigere iam se planè in senatu, nõ succedentibus Bruto rebus, suasq; illas vehementeis contentiones sciamachias videri. Vocabulum ipsum per quàm est elegans apud Græcos & magnopere vsitatum. Quin Galenus quoque medicus in libro secundo ὑγιεινῶν sic ait:

Sciamachiæ.

Id est, Sanatiuorum, vel salubriũ.

Μεταβαίνομεν ὅταν καιρὸς ἐπὶ τὰ ταχέα χωρὶς ἐνστάσεως καὶ βίας, ἀρόμοι δ' εἰσὶ ταῦτα καὶ σκιαμαχίαι.

Transire verò tempus ad celeria absq; tentione, & violentia, cursus verò sunt talia, & vmbratiles pugnæ.

Inter celeres exercitationes, quæ tamen attentæ, violẽtæq; non sunt etiam cursus adnumerat, & sciamachias. Denique vel Eustathius in Odysseæ commentario Rhapsodiæ tertiæ de verbo eo sic meminit:

Ὁμοίως δὲ καὶ, τὸ μὲν ὑπὸ σκιᾶ μαχούμεθα, φαῦλον ἀκλεὲς ὄνειδος, οὐ μέντοι καὶ, τὸ σύνθετον σκιαμαχεῖν.

Similiter autem & hoc, quod dici solet, sub vmbra pugnamus, fœdum nihil significat, & præterea neq; ipsum compositum sciamachein, id est, in vmbra pugnare.

Et M. Varro satyrã vnam è suis illis Menippeis Sciamachiam inscripsit. Hæc enim est apud Gellĩ vera ex antiquis exẽplaribus lectio, nõ vt quidã etiã scribũt Crio machia. Quin paulò etiã suprà in epistola eadẽ Ciceronis, vocabulũ alterum, quod est ὄργανον, de Græca scriptura deprauatũ migrauit in Latinã. Nam pro eo, quod erat ὄργανον, factum iam optanon, neq; autem hoc quoq;

Gellij locus.

Organõ. i. instrumẽtum.

ab

ab vllo hactenus animaduertitur. Quare sic legeris: Planè iã Brute frigeo. Organon enim erat meum senatus. vt quo pro organo Cicero, proq; instrumento vtebatur.

Locus in M. Varronis: & item alter in Columellæ libris rei rusticæ defensus à vitio: quædamq; super Euhemero inibi, & Iouis sepulcro, & Cretensibus addita: & locus apud Statium declaratus.

CAP. XXXV.

Varronis locus.

IN M. Varronis libro primo rerum rusticarum mendosè legitur illud: Arista, & granum omnibus ferè notum, gluma paucis. Itaque id apud Ennium solum scriptum scio esse in Ephemeridis versibus. Nam quod habent etiã, qui putantur emendatißimi codices, in Ephemeridis versibus, hoc ego in venerandæ vetustatis exemplari è publica gentis Medicæ bibliotheca sic inuenio: In Euhemeri libris versis. Neque autem dubium est, Ennij sacram historiam significari à Varrone de Euhemero in Latinum versam, quam videlicet & Lactantius identidem, & Eusebius citat, & Augustinus. Verba Lactantij de libro diuinarum institutionum primo sic habent: Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit è ciuitate Messana, res gestas Iouis, & ceterorum, qui dij putantur, collegit historiamq; contexuit ex titulis, & inscriptionibus sacris, quæ in antiquißimis templis habebantur, maximeq; in fano Iouis Triphyli, vbi auream columnam positam esse ab ipso Ioue, titulus indicabat. In qua columna gesta perscripsit, vt monimenta essent posteris rerum suarum. Hanc historiam interpretatus est Ennius, & secutus, cuius hæc sunt verba: Vbi Iupiter imperium Neptuno dat maris, vt insulis omnibus, & quæ loca sunt secundum mare omnibus regnaret. Dein Lactantius idem locos Ennij nonnullos, de hac ipsa historia iterum atq; iterum adducit, quos equidem

Euhemerus eiusq; libri.

breuitati studens præteribo. Quin ipsius quoque Euhemeri verba Sextus item allegat Empiricus, Pyrrhoniorum maxime volumine quarto, vocatumq; ait Atheon, sicuti Melium Diagoran, Prodicum Ceum, Theodorum Cyrenaicum, complureisq; alios. Ac de eo quoque Timon Phliasius (vt arbitror) sic ait:

Εὐήμερον γέρων ἄλαζὼν ἄδικα βιβλία φύχων.
Euhemerum senex insolens iniquos libros effutiens.

Sed his omißis, illud vtique acrius inspiciẽdum est apud Columellam quoque libro x. capite autem tertio, vbi de apibus agitur, bis Homerũ citari pro Euhemero in peruulgatis codicibus, quod & vetustißimus indicat liber de priuata familiæ Medicæ bibliotheca, litteris Langobardis exaratus, & item alter è publica eiusdem gentis, quem de vetusto exemplari Nicolaus Nicolus vir doctus, & diligens sua manu perscripserit, tum & ratio astipulatur, cui nulla resistunt claustra: siquidem apud Homerum fabula nulla istiusmodi de apibus reperitur, ac verisimile est scriptum fuisse ab Euhemero potius, qui Iouis historiam composuerit, cuius apes illæ fuisse nutrices prædicantur. Quòd autem apud hunc ipsum (vt arbitror) Euhemeron, de quo suprà diximus, scriptum reperat poëta Callimachus in sacra eadem historia, Iouẽ in Creta vitam consummasse, atque inibi sepulcrum eius esse in oppido Gnosso, in quo sepulcro eius inscriptum fuerit antiquis litteris Græcis ΖΕΥΣ ΚΡΟΝΟΣ, id est Latinè, Iupiter Saturni: quòd hoc, inquam, poëta doctißimus & scriptum ab illo cognouerat, & pro confesso à Cretensibus habitum, testatumq;, ob id opinor in hymno ipso ad Iouem, Cretenses, inquit, semper mendaces, qui sint Iouis sepulcrum fabricati, cùm nunquã ille obierit, perpetuoq; sit. Versus autem hi sunt:

Columel. locus.

Iouis sepulcrum.

Κρῆτες

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σὸν
Κρῆτες ἐτεκ[κάναν]ο, σὺ δ' θάνες, ἐσὶ γὰρ ἀίει.
Cretes semper mendaces, etenim sepulchrum ò rex tuum
Cretes extruxerunt, tu verò non interiisti, es enim semper.

Propterq; hoc ipsum denique Statius quoque, opinor, in primo Thebaidos inquit: Mentitaq; maneis Creta tuos. Cyprianus etiam martyr homo disertißimus in libro de origine, & generibus idolorum: Antrum Iouis, ait, in Creta mutitur, & sepulcrum eius ostenditur. quanquàm parum emendatè scripta verba hæc in nouis codicibus reperiuntur. Porrò Cretenses adeò mẽdaces habiti semper, vt Græco prouerbio, quod est, πρὸς κρῆτα κρη[ίζειν], nihil aliud significetur, nisi mendacio vti aduersus mendacem. Sed & Cretensis illius Epimenidis versiculus hic à Paulo etiam Apostolo citatus, atque ob id etiam sanctificatus est: Cypriani locus. Id est, aduersus Cretẽsem cretizare.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γασέρες ἀργοί.

Id significat: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Nam versiculi prioris hemestichion de Epimenide sumsit Callimachus. Quocirca eleganter etiam hoc Ouidius in Amoribus:

Cretes erũt testes, nec fingunt omnia Cretes. Et alibi:
Nota loquor, non hoc quæ centum sustinet vrbes,
Quamuis sit mendax, Creta negare solet.

Solutum hic, & enodatum, quod ænigma de Varronis libro citat Gellius.

CAP. XXXVI.

AENIGMA illud ex Varrone, quod Gellius proposuit, & inenarratum relinquit, vt legentium coniecturas acuat, equidẽ soluturũ me meo quoque periculo profiteor. Est autem tale in tribus senarijs: Auli Gellij locus.

Semel minusne, an bis minus sit, non sat scio,
An vtrunque horum, vt quondam audiui dicier,

Ioui ipsi regi noluit concedere.

Termin⁹ deus. Terminum significare videtur, qui deus concedere Ioui noluit, cùm Capitolium exaugurabatur. Ouid. Fast. 2.

Quid noua cùm fierent Capitolia? nempe deorum
Cuncta Ioui cessit turba, locumq; dedit.
Terminus, vt veteres memorant, inuentus in æde
Restitit, & magno cum Ioue templa tenet.

Dubitat ergo hic scirpi auctor, semel minus, an bis minus fuerit, an vtrunq; horũ: ex vtroq; autem, hoc est, ex semel, & bis resultat ter. Quare nõ semel minus, nõ bis minus, sed Termin⁹ fuit, qui Ioui ipsi regi noluit cõcedere.

Lapsum fœde Seruium super Oaxæ fluuio, & Creta.

CAP. XXXVII.

ET rapidum Cretæ veniemus Oaxem.

Hoc ex prima Bucolicõn ecloga sic enarrat ad verbum Seruius: Rapidum Cretæ, inquit, lutulentum, quod rapit Cretam. Creta, alba terra dicitur. Nam Oaxis fluuius est Mesopotamiæ, qui velocitate sua rapiens albam terram turbulentus efficitur. Hactenus ille. Sed ego Oaxẽ Cretæ insulæ fluuium intelligi crediderim potius. nam Vibius quoque Sequéster Oaxem Cretæ fluuium dicit esse, à quo & ciuitas Oaxia. Quare Apollonius Cretam quoque insulam, tellurem Oaxida vocauit in primo Argonauticõn, his verbis:

Oaxis.

Δάκτυλοι Ἰδαῖοι Κρηταιέες οὔς ποτε νύμφη
Ἀγχιάλη Δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρῃσι
Ἀρταξαμένη γαίης Οἰαξίδ' ἐβλάστησε.
Dactyli Idæi Cretenses, quos olim nympha
Anchiale Dictæo in antro vtraque manu
Capiens terram Oaxida produxit.

Hoc autem postremum ita Varro trãstulit, ille arbitror Attacinus alieni operis interpres:

Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis.

Neque

Neq; verò non conuenit rationi, vt qui dispersum iri toto orbe suos populares velut ostendere, de insula quoq; in medio, veluti mediterraneo mari sita, tum autem & de altera toto penitus orbe diuisa meminerit.

Expositum Iuuenalis carmen contra omnium hactenus sententias super Laconico, & Pityliſmate.

CAPVT XXXVIII.

Qvi Lacedæmoniũ pityſmate lubricat orbem. Versus hic ex vndecima Satyra Iuuenalis varié prorsus expositus est hactenus, atque (vt arbitror) indiligenter. Iuuen. locus.

Nam Domitius Pityſma dicit esse irrorationem è leui sputo, de verbo Pityo. Lacedæmonium verò orbem pro anulo accipit: quoniam, inquit, à Lacedæmonijs anulorum vsus manauit, vt senatores, & equites, per anuli mentionem significentur. Porrò alter eruditißimus homo, quem tamen nominare parcimus honoris gratia, qua parte ab eo dissentimus, saltationem putat esse Lacedæmoniam, sed ingenuè tamen fatetur, nihil adhuc de eo se legisse, nisi tantum apud Pollucem, mentionem factam Lacedæmoniæ saltationis. Tertius denique vir ipse quoque doctißimus, trochum intelligit de arbore pinu fabricatum, quod, pitys dicatur pinus, vnde sit pityſma. Nos è tribus his opinionibus, honorem præfati auctorum nullam planè probamus. Principioq; negamus orbem Lacedæmoniorum significare anulum posse, quoniam nusquam legatur anuli originem manasse à Lacedæmonijs. Plinius autem, quem Domitius adducit, tantum ferreo etiam tum anulo Lacedæmone vti refert. Quòd si tollitur non posse Lacedæmonium orbem pro anulo accipi, sicuti certè tollitur, nihil profectò commentitia illa irroratio valebit. Neq; tamẽ à pityo, quod nusquam verbum inuenias, sed à pityzo magis pityſma dedu-

deducetur, quod apud Nicam Grammaticum declaratur. Qui verò saltationem putat esse Lacedæmoniã pityſma, cùm de eo nihil inueniat, facilè (vt esse ingenuus cõsuevit) potiori sentẽtiæ cesserit. Quod item facturũ credo, qui trochum putat è pinu factum pityſma esse, cùm nec vsquam lectũ, nec ad rẽ faciat, & syllabæ ratio pugnet, quoniam pitys habeat priorem correptam syllabam, vt ex primo liquet etiam Theocriti verſiculo. Nos igitur Pityliſma legendum credimus, vt inſcitia librariorũ syllabam de medio demserit. Quod haud mirum eſt in tantis tenebris. Pityliſma verò intelligimus exercitationẽ, de qua Galenus excellens medicus in ſecundo ὑγιεινῶν libro. Quamuis apud eum ſit verbum potius pitylizin, quàm nomen pityliſma. Ceterùm rectè pityliſma fit inde, etiam vſitatiſſima proportione. Neque adeo incongruum Galeni Græca verba prius adſcribere, dein pro captu noſtro interpretari. Cùm igitur exercitationum varia genera notet, ac de ijs etiam doceat, quæ veloces quidẽ, ſed citra intentionẽ, violentiamq; ſint, inter quas & hæc ipſa ſit, de qua nunc agimus, ita ſcribit ad verbũ:

Hæc videtur recãtare Politianus epiſtolarũ lib. xj epiſt. vj.

De tuenda bona valetudine.

Galeni locus.

τὸ δ' πιτυλίζειν ἐπὶ ἄκρου τῶν ποδῶν βιαίως, ἀνατείνας τὼ χεῖρε κινῆται χίσα, πολὺ μὲν ὀπίσω φέρων, πολὺ δὲ πρόσω, μάλιστα δ' τοι χωρὶς ἀμενοι γυμνάζονται τοῦτο γυμνάσιον, ἵν' εἰ καί τοι σφάλλοιντο, προσαφάμενοι τοίχου ῥᾳδίως ὀρθῶνται, καὶ οὕτω δὴ γυμναζομένων λανθάνῃ τι τὰ σφάλματα καὶ ἀσθενέστερον γίνεται τὸ γυμνάσιον. Eſt, inquit, pitylizin, vel ſi mauis pityliſſare, cùm quiſpiã ſummis pedibus ingrediens, manus protẽdit, ocyßimeq; mouet, alteram retrorſum ſcilicet, alterã prorſum, quo potißimũ gymnaſij genere ad parietes exercẽtur, vt ſicubi lapſentur, appreheſo mox pariete facilè reſurgant, atq; ita exercẽtium lapſus fallũt, & ipſa ſit exercitatio imbecillior. Porrò

Lace-

Lacedæmoniorum orbem, Laconicum ipsum acceperim, vt in quo solerēt ad eum modū exerceri. Dion historiarū tertio quinquagesimo q; libro, Laconicū in vrbe vaporarium, aut sudatoriū (sic enim interpretari videmur posse, quod est apud eum Pyriaterion) ab Agrippa edificatum tradit. Deinde Laconicū dicit appellatū, quoniā Lacedæmonij per ea tempora nudi, vncti q; præ cunctis exercebantur. Laconicum istud & Martialis innuit, ita inquiens. Lacedemonius orbis. Pyriaterium.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, Martiaq; mergi.

Sed & Columella in libro de agricultura primo sic: Attonitiq; miramur gestus effœminatorum, quòd à natura sexum viris denegatum, muliebri motu mentiantur, decipiantq; oculos spectantiū. Mox deinde vt apti veniamus ad ganeas, cottidianam crudelitatem Laconicis excoquimus, & exusto sudore sitim quærimus. Iam igitur vel ex his Columellæ verbis constare cuiuis potest, quos iam potissimum pœta significet, nempe eos dubio procul, qui diem totum in Laconicis istis gymnasijsq; contererent, vncti, nudiq;. Quare etiam lubricat, inquit, propter oleum, & vnguen, quo defricti exercebantur. Seneca etiam libro epistolarum septimo ad Lucilium nihil aliud prorsus, quàm Laconica insinuat, ita narrans: Quid mihi cum istis calentibus stagnis, quid cum sudatorijs, in quæ siccus vapor corpora exhausturus includitur, vt omnis sudor per laborē exeat? Restat vti nunc, quoniam orbem dixit, etiam doceamus fuisse in orbem constructa Laconica, quod ex libro quinto Architecturæ apud Vitruuium patet, in his verbis: Laconicôn sudationes, quæ sunt coniungendæ tepidario, æque Laconicorū figura.

æquè quàm latè fuerint, tantam altitudinem habeant ad imam curuaturam hemisphærij, mediumq; lumẽ in hemisphærio relinquatur, ex eoq; clypeũ æneum catenis pendeat, per cuius reductiones, & dimißiones perficietur fudationis temperatura. Ipsumq; ad circinum fieri oportere videtur, vt æqualiter à medio flammæ, vaporisque vis per curuaturæ rotundationes peruagetur.

Scirpus exsolutus Ausonij vatis de Cadmi filiabus, Melone, Sepia, & Cnidijs nodis. CAP. XXXII.

SCIRPVM quem Theoni Grammatico per dimetros iambos acatalectos proponit ingeniosus, & non ineruditus poëta Ausonius, sic nos tentabimus explicare. Sed ipsos prius versiculos adscribamus.

Ausonij locus.

Aut adsit interpres tuus,
Aenigmatum qui cognitor
Fuit meorum, cum tibi
Cadmi nigellas filias,
Melonis albam paginam,
Notasq; furuæ sepiæ,
Cnidiosq; nodos prodidit.

Ex his autem postremus versiculus, libris quidem vulgatioribus mendosè legitur, modos habens, vel meos, pro eo quod nos reposuimus nodos. Sic autem inuenio cùm in alijs nonnullis, tum in libro Ioannis Boccatij manu perscripto, qui nunc in bibliotheca sancti spiritus Florentina seruatur. Ceterùm nec ratio metri patitur alterutrum vel modos, vel meos, quoniam iambum esse non pyrrhichium sede illa secunda oportet. Litteras igitur Cadmi Phœnicis munus, & papyrum Niloticam, & atramentum scriptorium, & calamum librarium litteratoris eius germanum instrumentum videtur mihi Ausonius sub hæc inuolucra complicasse.

Cadmus

Cadmus enim litteras primus in Græciam attulit è Phœnice. Testatur Herodotus in Terpsichore, Phœnicas eos, inquiens, qui Cadmo duce venêre in Græciam, litteras vernaculas, & patrias, hoc est, Phœnissas ostendisse primitus Græcis, sed fluxu ætatis, ait, cũ voce notæ quoque sensim mutatæ. Primiq; ijs Ionες vsi. Quare etiam φοινίκειαι sunt appellatæ. Cadmeas autem se quoque vidisse scribit Herodotus litteras in templo Apollonis Ismenij Thebis in Bœotia, cælatas in tripodibus quibusdam, de quibus tria citat epigrammata, maximè (vt inquit ipse) Ionicis similes. Quamobrem si veteres Græcæ litterarum notæ, non aliæ quàm Phœnicum, Latinæ verò non aliæ fuêre, quàm Græcorum, sicut & Plinius indicat, citata ipse quoq; Delphica (nam illud tabulano uitium est, & ab ineruditis additum) manifestum est etiam Latinas litteras, non alias esse, quàm quas à Cadmo didicerimus. Quare ob id eas Cadmi filias vocat Ausonius: quoniamq; atramẽto minusculæ imprimuntur, ideo suauiter nigellas. Ob id igitur Zeno sic in epigrammate:

Cadmus in Græcia litteras attulit.

Οἶδε πάτρα φοινίσσα τις ὁ φθόνος οὗ κρύβη Κάδμος
Κεῖνος ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

Nouit patria Phœnissa quænam inuidia, vbi & Cadmus
Ille, ex quo scriptam Græcia habet paginam.

Timõ quoque Pyrrhonius, vt apud Sextum legimus, libro Pyrrhoniorum quarto sic scripsit:

Γραμματικὴ δ' οὔτις ἀνασκοπὴ οὐδ' ἀνάθρησις
Ἀνδρὶ διδασκομένῳ φοινικικὰ σήματα Κάδμου.

Grammatica huius nulla contemplatio, neque conspectio
Viro edocto Phœnicica signa Cadmi.

Zopyrion vnus ex illis auctoribus è quibus con-

Cadmi Phœnicica signa notas litterarũ vocitans. Omitto quòd & Suidas, aut Zopyrion potius φοινίκεια vocatas litteras ait. Omito Plinii, ceterosq; permultos, qui dicant eas à Cadmo in Græciam allatas. Nã cùm diuersi

quæ

Hæc collectanea quę Suidæ nomine circũferuntur. Melo, q & Nilus.

quæ legerant apud Herodotum paßim meminerint, satis ipsi feciſſe videmur, quòd iſta ſuæ reddimus auctoritati. Nec enim tam numerãda, ſicuti putamus, veterum teſtimonia ſunt, quàm ponderãda. Melonis verò albam paginam ob id ait, quòd papyrũ Nilus producit, ex quo paginæ fiunt candidæ. Nilus autem à veteribus Latinis nõdum aſſuetis Græcæ linguæ, Melo vocabatur, quemadmodum Pompeius in vocabulo, quod eſt alumento declarat. Quanquàm habent plerique codices non Melo, ſed Milo, mendoſè, inſciteq;. Quare vacillantem (ſi videtur) auctoritatem adminiculo Seruij ſuſtentabimus,

Pompeij locus.

Atlas.

cuius in primo Aeneidos ita verba ſunt: Sanè Atlas Græcum eſt, ſicut Nilus. Nam Ennius dicit Nilum Melonem vocari, Atlantem verò Telamonem. Sic ille. Deniq; pro atramento in litterarum formas lito ſepiam capimus etiam apud Perſium:

Sepia.

Nigra quòd infuſa vaueſcat ſepia lympha.

Scilicet ob eius piſcis ingenium, qui liquorem dicatur atrũ profundere, quo fortaßis olimq; atramentũ conficeret. Ex quo Martianus: Dehincq; nigello puluere, qui ex fauilla confectus, vel ſepia putaretur, illato per cannulas eadem reſanari. Furuum porrò nigrum, de quo & furem dici putat Varro. Sed & Horatius ex eo quoque, Furuæ (inquit) regna Proſerpinæ. Et furuas hoſtias Diti patri, Valerius Maximus. Sed & ante eum Varro nigras interpretatur. Cnidios dein nodos accipe, quoniam calami probatiores Cnidij. ſicuti Plinius ait libro ſextodecimo hiſtoriæ naturalis. Affectauit autem imitationem Perſianam, cùm dixit nodos, quoniam & ille ſcripſerat:

Furuum.

Nodi Cnidij.

Inq; manus chartæ nodoſaq; venit harundo.

Scirpi ſimile vatis eiuſdem epigramma emaculatum atque enarratum.

CAP. XLI.

Quem

Ausonij locus.

QVEM *nuper vatis Ausonij scirpum enodauimus, redegit in mentem nobis tetrastichon eiusdem facilius intellectu fortasse, si quis & emaculatum habeat codicem, & Græcæ litteraturæ non sit ignarus, vt cui vel alterutrum desit, non minoris sanè laboris futurũ, quàm hoc est ænigma superius. Versus hi sunt:*

Lais eros & itys, chiron & eros itys alter
Nomina si scribas, prima elementa adime,
Vt facias verbum, quod tu facis Eune magister.
Dicere me Latium non docet opprobrium.

Nempe de primis singulorum ipsorum nominum litteris seriatim inter se coagmentatis Græcũ dissultat hoc verbum λιιχω, quod est Latinè lingit, vt eo verbo (sit autẽ honor auribus) inguinum ligurit or Eunus, aut siquid tale addiuinas, insinuetur. λιίχω.

Quòd in digestis Iustiniani principis diem diffusum, malè pro eo, quod est diffissum, legitur, vt & apud Gelliũ diffundi & definitiones, pro illis diffindi, & diffisiones atq; inibi de Pandectis Florentinis nonnihil CAP. XLI.

Diffindi diem.

DIFISSIONIS *vocabulũ, & item quod dici solitum in iudicijs diffindi diem, penè iam sublatum è medio, atque insciția quadam improba, importunaq; bonis artibus exitiosa iam obliteratum restituere ipsi pro virili conabimur, et renouare diligentia nostra. Vtitur ista loquendi figura etiam iureconsultus Vlpianus in lib.* LXXIIII. *ad edictum per hæc sanè verba, quæ posita lib.* I. *Digestorum sunt, sub hoc titulo: Siquis cautionibus in iudicio sistendi causa factis, non obtemperauerit. Siquis inquit, in iudicio se sisti promiserit, & valetudine, vel tempestate, vel vi fluminis prohibitus, se sistere non potuit, exceptione adiuuatur. Nec immeritò. Cùm enim in tali promißione præsentia opus sit, quemadmodum potuerit se sistere, qui aduersa valetudine im-*

Sistere.

peditus est? Et ideo etiam lex XII. tabularum, si iudex, vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, iubet diem iudicij esse diffissum. Hactenus Vlpianus. Diffissum autem legendum, non diffusum, quod omnes habent bi fermè libri, qui sunt in manibus. Atqui volumen ipsum Iustiniani Digestorum, seu Pandectarum, dubio procul archetypum, in ipsa curia Florentina à summo magistratu publicè adseruatur, magnáque veneratione, quanquam rarò id, etiámque ad funalia ostenditur. Est autem liber haud quotà spoliorum, prædæq; Pisanæ portio, sæpè à consultis citatus, maioribus characteribus, nullisq; interuallis dictionum, nullis item compendiarijs notis, quibusdam etiam, saltem in præfatione, velut ab auctore plane, & à cogitante, atque, generante potius, quàm à librario, & exceptore inductis, expunctis, ac superscriptis, cum Græca epistola, Græcoque etiam pulcerrimo hoc epigrammate in prima fronte.

Pandectæ Pisanæ.

Compẽdiariæ notæ.

Βίβλον Ιουστινιανὸς ἄναξ τιχνήσατο τήνδε,
Τὴν ξὰ Τριβωνιανὸς μιγάλῳ κάμε παμβασιλῆϊ
Οἷα τις Ηρακλῆϊ παναίολον ἀσπίδα τεύξας,
Ἔνθ' ἐπιμαρμαίρουσιν ἀγάλματα πάντα θεμίσων.
Ἄνθρωποι δ' Ασίης τε δορυκτήτου τε Λιβύσσης,
Εὐρώπης τε πίθον ταὶ ὅλου σημάντορι κόσμου.

Librum Iustinianus Imperator molitus est hunc,
Quem vtique Tribonianus magno elaborauit omniũ Imperatori.
Veluti quispiam Herculi variegatum clypeum fabricatus,
Vbi refulgent imagines, omnes legum.
Homines verò Asiæq;, subactæq; Libiæ,
Europæq; parent totius rectori mundi.

Cuius tamẽ voluminis legendi, ac versandi per otiũ mihi est vni facta copia, Laurentij Medicis opera, causſáque, qui vir suæ Reip. princeps, dũ studiosis obsequatur, etiã

ad

adhæc vsque officia se demittit. Igitur in Pandectis his, non iam Pisanis, vt quondam, sed Florentinis, in quibus pura sunt verba, nec vt in ceteris plena maculis, & scabie, Diffissum reperio non diffusum. Quod idem apud Aul. quoque Gellium video deprauatum, libro qui nunc vulgò tertiusdecimus, cùm sit quintusdecimus emendatis codicibus. Nam vbi hæc verba legimus: Atque in rerum quidem definitionibus, comperendinationibúsque: hîc ego in codice Gelliano, ex bibliotheca publica Medicæ familiæ, quem vir haud indoctus (vt tum ferebant tempora) sed diligens tamen in primis Nicolaus Nicolus ex vetustissimo exemplari fideliter pro suo more descripserit, ita inuenio: Atque in rerũ quidem diffissionibus, comperendinationibúsque. Quòd si suspicio libera mihi detur, malim credere equidem, in dierum, quàm in rerũ, veram habuisse, & incolumem scripturam. Quin eodem capite Gellius: Iussi igitur, inquit, diem diffindi. Sic enim in eodem codice, quod in his peruulgatioribus, Diem diffundi.

Libri Aulí Gellij vniuersi.

Alíi Gel. locus.

Pollices in fauendo premi, sicut in denegando fauorem verti solitos: ex eoq; sententiæ Horatij, Iuuenalis, & Prudentij declaratæ. CAP. XLII.

HORATIVS in primo epistolarum libro:

Horatij locus.

Consentire suis studijs, qui crediderit te,
Fautor vtroque tuum laudabit pollice ludum.

Vtroq;, inquit, pollice Porphyriõ, hoc est, vtraq; manu, vt sit tropos synecdoche, à parte totũ. Sed nequẽ fortè veteris scriptoris auctoritas infatuet, ei quoq; aurẽ leuiter peruellemus. Scriptũ est igitur apud Plinium libro naturalis historiæ octauo, et vigesimo, in hæc verba: Pollices cùm faueamus, premere etiam prouerbio iubemur. Ex quo Iuuenalis peritissimè illud: Et verso pollice vul-

gi quemlibet occidunt populariter. Ceu si verso pollice tollatur fauor. Denique etiam Prudentius in heroico aduersus Symmachum, ita contra Vestales, quæ muneri gladiatorio interercrant, declamauit:

Et quoties victor ferrum iugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque iacentis
Virgo modesta iubet conuerso pollice rumpi.

Pollicem vertere. Nam vt fauere, qui pollicē premerent, ita puto, qui verterent denegare gladiatoribus fauorem credebantur.

Quàm multas habuerint antiqui diphthōgos. CAP. XLIII.

Diphthōgi veteres. DIPTHONGI apud Latinos non plures quatuor perhibentur, cùm septem nos eas saltem inueniamus in antiquis vel marmoribus, vel nomismatis, quorum nobis copiā ingentem Medices Laurentius suppeditat. Nam præter illas vulgatissimas, quæ sunt ae, oe, au, & eu, est adeò inuenire etiam ai, & ei, & item ou, pro illis ae, i, u, in veteribus monimentis. Et ai quidem pro ae, nonnulli cum littera i, non e, Græcorum more semper efferebant, vt Quintilianus ostendit. Quidam singulariter tantùm, cùm in genitiuū, vel datiuum casum incidissent. Ai diphthong. Vnde etiam Aimilius pro eo quod sit Aemilius alicubi Romæ in antiquis spectationibus adnotauimus. Omnino autem cùm supra testudinem Panthei ascēdissemus, fragmentum ibi marmoreum cum eiusmodi scripturæ vestigijs offendimus. Ex quo etiam diæresin videmus factam in illis, quæ vel apud Vergilium sunt, Aulai, pictai, Aquai. et quod nūc mendosè legitur, aquai. Ei diphthong. Porrò autem diphthongus ei, frequentius inuenitur, penèque etiam in cōfesso est, quod & nomismata pleraque, & marmora vetustissima declarant, & argumenta ipsa Plautinarum comœdiarum, quæ Captiui, quæūe item Menæhmi inscribuntur. Nam si versuum singulorum primas subinde litteras

litteras connectas, Capteiuei, & Menaehmei resultabit, vt sit vbique ei, diphthongus. Præterea fouri, non furi legimus in nomismate alio, vt prima syllaba diphthongo producatur. Qualis etiam apud Græcos est. Quid autem de eo dicam, quod & Quintilianus indicat, & nos aliquando obseruauimus, vt vocalem producendam geminarent, cùm in aureo nomismate feelix per e geminum, in æreo autem Galbæ principis vjrtus per i duplex reperiatur? Iam illa ἄκυρος, nónne etiam apud nos in Græcis saltem nominibus, vt in Harpyia, Orithyia, Thyiadeq; reperitur? vt non iã septem diphthongos, sed decem quoque habuisse videri maiores queant. Fouriq

Vocales geminatæ.

Pegaseum Nectar legi oportere apud Persium, non melos.

CAPVT XLIIII.

PERSIVS in epigrãmate, quod procemij vice fungitur, Coruos poëtas (inquit) & poëtridas, picas,
Cantare credas Pegaseium melos.

Persij locus.

Nos in vetustißimo commentario litteris, quas Langobardas vocant, perscripto, quod etiam publicè nostris auditoribus exhibuimus, sic ad verbum inuenimus, Pegaseium nectar, in alijs melos: ex quo existimamus veterem, sincerámque scripturam nectar habuisse, nouitiam verò, & mendosam, melos. Sed & Pomponius Lætus Romanæ princeps academiæ, diligentißimus homo antiquitatis, veterem se habere Persianum codicem multis audientibus affirmauit, huic nostræ lectioni suffragantem. Quod & ratio tamen carminis euicerit. Nam cùm oporteat nouißimum choriambi pedem spondeum poni, vel trocheum, melos autem nunquàm neque apud Græcos, neque item apud nostros, nisi breui priore syllaba accipiatur, mendum profectò fuerit in versu, si melos

los admiseris. Nam quod autumant nonnulli, λ litteram vim producendi habere apud Græcos, quod omnino tacuit auctor metrorũ singularis Hephestion, id ego inueniri quidem scio, sed in obscuris duntaxat quibusdam, et ignobilibus schedis, exemplúmque afferri ex Homero, apud quem heloria prima intenta syllaba legamus. Id autem quàm friuolum, quàm leue sit, & nugatoriũ, vel hoc euidentißimè declarat, quod vsu iam, & auctoritate doctißimi cuiusque receptũ est, vt id vocabulum apud Homerum quoque λ duplici notaretur. Ceterùm si maximè concesserimus fieri hoc solere aliquando apud Græcos, non tamen continuò credendum est, illiusmodi vsum licentiæ Persium Græca vna appellatione, quam vix semel in tanta scriptorum silua Græci vsurpare ipsi reperiantur: præsertim cùm neque apud Græcos, quantum equidẽ obseruauerim, neque item apud Latinos aliter, quàm breui priore syllaba melos inueniatur. Nam quãtopere hanc solis concessam Græcis licentiam fugitarint Latini veteres, vel Martialis poëta declarat, cùm se de nomine ipso Earini tãtopere torquet, nec sibi saltem pro Earino ἰαρινὸν dicere permittit, vulgata apud Græcos licentia, id est, litteram interponendi, sicut apud Homerum ἐπ' ἄνδρεσιν ἰαρινοῖσιν. Atque ideò Martialem ipsum audi:

Primo Iliados. Πλόγια.

Id est, in floribus vernis.

Dicunt iarinon tamen poëtæ,
Sed Græci, quibus est nihil negatum,
Et quos Ares Ares licet sonare:
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui musas colimus seueriores.

Ἄρες ἄρες. Iliad. ε.

Quare nihil dubitandũ, quin sit illud melos in Persiano versiculo tanquã verruca deformis recidendũ, restituẽdúmque nectar: quod ratio nobis toto capite, & ve-

tusta

iusta pariter auctoritas adnuerunt.

Patroclo iuniorem Achillem: contrà quàm aut Aeschylus prodiderit, aut vulgò existimetur. CAPVT XLV.

DISSEMINATA inter omnes iampridem, receptáque opinio, Patroclum fuisse Achille iuniorem, ab eóque velut adamatum, sicut fermè Hylan ab Hercule: tum innuere hunc ipsum Martialis creditur, sic inquiēs: Aeacide proprior leuis amicus erat. Quare etiā versiculo cuidā nequissimo ex Hermaphroditi libellis vulgò quoque applaudebatur. Ceterum Statius in Achilleide parem denique vtriusque ætatem prædicat, ita inquiēs:

Insequitur magno iam tum connexus amore
Patroclus, tantisq; extenditur æmulus actis.
Par studijs, æuiq; modis, sed robore longè,
Et tamen æquali visurus Pergama fato.

Plato autem in Symposio longè diuersum contendit. Nā & multò iuniorem fuisse Achillem declarat, & ipsum potius à Patroclo adamatum, vtpote imberbem adhuc, nec Patroclo ipso modò, sed heroibus etiam cunctis formosiorem. Quin ea causa dij, inquit, illum honoribus egregijs affecerunt, vt ad insulas fortunatas mitterent, quòd amatorem tanti fecerit, vt non pro eo solum mori, sed ei vel immori, quàm in patria consenescere præoptauerit. Quin Aeschylum Plato idem ceu nugacem taxat, quòd is quoque Achillem Patrocli fuisse amasiū prodiderit, testémque vtriusque ætatis Homerum citat, cuius si quispiam verba (nam hæc vtique Plato non posuit) sibi indicari postulat, legat in vndecima Iliados Rhapsodia sub Nestoris persona, quibus cum mandatis Patroclum filium pater Menœtius ad bella dimiserit. Achilles Patroclo iunior.

Cacoēthes apud Iuuenalem tetrasyllabon, non cacēthos. Et condita pyxide Lyde, nō incondita legendum. Simul enarratus apud Martianum locus haud, arbitror, indiligenter. CAP. XLVI.

Iuuenalis locus.

IN septima Iuuenalis poëtæ satyra sic scriptum:

–Tenet insanabile multos
Scribendi cacethos, & ægro in corde senescit.

Vocabulū autem quod est cacethos, neq; à Græcis vspiã vsurpatur, neq; à Latinis, sed neq; ratio carminis admittit. Quare cacoēthes legendum suspicamur, vt sit quod apud Græcos δ κακόηθες. Eo nanq; verbo frequentissimo vsitatissimoq; mala cōsuetudo significatur. Quod itē in vetusto codice Lāgobardis exarato litteris reperimus, cuius mihi potestatē legēdi fecit Frāciscus Gaddius Florētinus, summi magistratus à secretis, prudēs humanusq; vir, nec litteris incultus. Sed & ille versus ita in eodem:

Cacoēthes.

Iuuenalis locus.

Turgida nec prodest condita pyxide Lyde.

Lyde.

Doliaris.

Quod alibi perperam sic est, In pyxide condita Lyde, vt anum intelligas Lyden, illiusmodi medicamenta venditantē, crassam, & (vt inquit Plautus) doliarem. Quod & Capella fortasse spectans, & facetissimi super ebrio Sileno ludens, ita inquit: Ac dum mouere gressum cupit auocante Lyde. Nam ut si Cantharæ, vel Pyrrhiæ nomina, vel Baucidos inaudias, continuò suffarcinatas tibi, et vinosas, & pannucias quasdam delectione confinxeris, ita nomine audito Lydes, mox hanc Iuuenalis turgidam recordaris, vt mirificè sint inductæ ad excutiendos cachinnos personæ, vino venas inflatus Silenus, & ventriosa Lyde, quæ titubantem, & lapsabundum etiam (si dijs placet) auocet ab irrisu.

Quæ Plinius super titulis veterum artificum pendentibus prodiderit, ea de monimētis etiam veteribus agnita Romæ, sicutiq; speciem Vergilianæ ægidos CAP. XLVII.

RO-

ROMAE nuper in atrio Melinæ domus marmoreã quandam veluti basin aspeximus, in qua Græcè sic erat: Σέλευκος βασιλεὺς, λύσιππος ἐποίει. Id Latinè valet, Seleucus Rex: Lysippus faciebat. Erat ibi tum nobiscũ Ioannes Laurentius Venetus, summi Pontificis à secretis, homo linguæ vtriusque doctißimus, omniúmque istiusmodi quasi lautitiarum studioßimus. Is igitur nos submonuit, quod & statim arripuimus, agnouimusq; non temere illic ἐποίει potius, quàm ἐποίησεν, hoc est, faciebat, quàm fecit. Siquidem, vt ait Plinius in præfatione librorum Naturalis historiæ, Summi illi artifices, etiam absoluta opera pendenti titulo inscripsêre, vt Appelles faciebat, & Polyclitus: tanquam inchoata semper arte, & imperfecta, vt contra iudiciorum varietates supereſſet artifici regressus ad veniam, velut emẽdaturo quidquid desideraretur, si non esset intercepturus. Quare, inquit, plenũ verecũdiæ est illud, quòd omnia opera tanquam nouißima inscripsêre, & tanquam aliquid singulis fato sit ademtũ. Tria autẽ, (nõ vt ille opinatur) amplius absolutè traduntur inscripta. Ille fecit, quæ suis locis reddit. Quo apparuit summam artis securitatem auctori placuisse, & ob id magna inuidia fuêre omnia ea. Ceterùm etiam alibi Romæ similes inueniri titulos, idem Ioannes Laurentius Venetus asseuerabat. Vidimus item, quòd etiam his Miscellaneis nostris putauimus inserendum, marmoreũ quoddam in vrbe eadem Palladis simulacrum gestans Aegida squamoso draconum corio cõtectam, sic vt extremum ipsius ambitum dracũculi item ad limbi, aut fimbriæ vicem circuncluderent. Erat ibi tum nobiscum Iulianus Bononiensis, cui nunc ex re cognomẽ Antiquario factum, simulq; Georgius Italianus Genuensis, homo rerum abditarum inuestigator experientißimus, cùm

Faciebat.

Aegis Pallados.

statim Vergilianos versus recordati, quibus eam demũ Palladi clypei cælaturã mirè expressisse Poëta incõparabilis videbatur, ita in octauo Aeneidos libro scribẽs:

Aegidáque horrificam turbatæ Palladis arma
Certatim squamis serpentum, auróque polibant,
Connexósque angueis, ipsámque in pectore diuæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Plinij locus. De Megabyzo scripsisse alios, quod Plinius de Alexandro, ventitare in Appellis officinam solito. CAP. XLVIII.

PLINIVS Secundus in volumine Historiæ naturalis quinto & trigesimo ventitare in Apellis excellentissimi pictoris officinam solitum ait Alexandrum Macedonem, non artificio solùm, sed comitate etiam hominis delectatum. Qui & in officina, inquit, imperitè multa differenti, silentium comiter suadebat, rideri eum dicens à pueris, qui colores terrerent. Hoc, quod de Alexãdro Plinius scribit, Plutarchus ad Megabyzum retulit, in eo volumine, quod disputat, quæ sint adulatoris, & amici discrimina. Cuius si verba Latinè interpretemur, hæc ferè sunt. Apelles, inquit, pictor assidenti sibi Megabyzo, Megabyzus. supérque linea, & vmbra dicere nonnihil tentanti, viden', inquit, vt pueri Melida (coloris id genus) terentes tacenti nuper tibi animos adhibebant, purpurámque demirabantur, & aurum? Sed ijdem te nunc derident, loqui super ijs, quæ haud didiceris, incipientẽ. Quin Helianus quoque in libris Historiæ multifariæ ad Megabyzum & ipse, non ad Alexandrum retulit.

Contentio Epigrammatum Græci Posidippi, & Latini Ausonij super occasionis imagine: tum pulcerrima ecphrasis Græci Callistrati CAP. XLIX.

Ausonij locus. AVSONII Poëtæ celebre est epigramma, quo simulacrum describitur Occasionis. Nam sic vtique Deum, quem

quĕ Græci καιρὸν appellăt, interpretatus est. Sed enim longè miror, quid ita Phidiæ tribuerit, quod erat Lysippi. Extat adhuc enim Posidippi Græcũ comparis argumenti, de quo suum finxerit Ausonius, quanquàm in Græco Lysippus Sicyonius artifex, in Latino Phidia perhibetur. Porrò autem summis digitis Græcus auctor ingredi, Latinus insistere dicit rotulæ. Talaria vterq; adnectit, vterque facie crine tegit, vterque occipitiũ denudat. Nouaculã tamĕ dextra gerit Græcus ille καιρὸς, & Pœnitentia comes iũgitur Latinè Occasioni. Figuræ sunt apud vtrunq; Poëtã pariles, plus tamĕ aliquãtò arridĕt Græcæ. Nam in istis omnibus (vt ita dixerim) mangoniſſandis, nescio quo pacto Græci belliores, q̃ Romani nostri: tũ velut ab antigrapho decidere apographon erat necesse. Sed et Callistrati legimus ecphrasim simulacri eiusdĕ mirè festiuã, qua confirmatur è Lysippo id opus factum, publicè Sicyonijs spectabile. Porrò autem ex ære hunc ait esse Deum Callistratus, puerum adhuc primæ pubis à capite, florulentæ ad pedes. Tum formosum eundĕ, sparsis q̃; fauonio crinibus, & multa frontis gratia, genarumq; adeò, & corporis totius pulcritudine Dionysio maximè similĕ, quin & insistere pilæ suspẽso gradu, pinnatis pedibus. Sed & capillos idem Callistratus in oculos pueri, genasq; deflectens occipitiũ crinibus liberat. Cetera deniq; scriptoris huius condimenta, & lenocinia, delicias, festiuitates, argutias q; trãsmarinas ex ipso vtiq; petendas auctore arbitror. Fit autĕ, nescio quo pacto, lasciuiolas vt istas, et electatiũculas, quasi textã Mileti chlamydĕ, cane peius & angui Romana reformidet grauitas. Illud haudquaquã præterierim, Nicephorũ quoq; non inelegantem scriptorem Græcũ sic ordiri, quam de virgine Deipara composuit oratione

καιρὸς.

Antigraphon.

Apographon.

Romana grauitas.

Nicephorus.

tionem, vt cùm super imagine ista nescio Temporis dixerim, an Occasionis loquatur, referat eam ad temporis illius, qui sit Græcè chronos, fugaciſsimam celeritatem.

Locus in Plinianis exemplaribus emendatus super nomine Prœtidum: atq; inibi de ipsarum furore relata historia. CAPVT I.

Plinij locus.

IN quinto & vigesimo Naturalis historiæ libro verba Plinij Secundi, quo capite de helleboro tractatur, ita in vulgatisſimis codicibus reperiuntur: Melampodis fama diuinationis artibus nota est, ab hoc appellatur vnum hellebori genus Melampodion. Alioqui pastorem eodem nomine inuenisse tradunt capras purgari pastore illo animaduertente, datóque lacte earum sanasse parotidas furentes. Ceterùm non pastore, sed pasto, non parotidas, sed Prœtidas in codice vno vetustisſimo, ex nobilisſima ista Medicæ gentis bibliotheca inuenieba-mus. Sed de pastore & pasto facilè est. Sic Prœtidas nõ parotidas legendum manifesta fides, eamq; vel indubitatisſimam, verisſimamq; esse scripturam, præterquàm quod ratio docet in primis efficax (quid enim sint parotides furẽtes? aut quid parotidibus aurium vitio, cũ veratro?) tamen & Dioscorides bonus auctor apertisſimè declarat, ita scribens: Veratrum nigrum, id alij Melampodiũ, alij ectomum, quidã polyrrhizum appellant. Melampodium verò, quoniam eo Melampus quidam pastor Prœti furentes filias purgasse videtur, atq; curasse. Sic ille. Sed Atheniẽsis Apollodorus in Bibliotheca (nã ita liber eius appellatur) purgationem Prœti filiarũ potius ad vatẽ Melampoda quàm ad pastorẽ refert, natasq; ait ex Prœto et Sthenobœa filias Lysippen, Iphinoën, & Iphianassam, quæ vbi primũ adoleuerint, vexatæ insania sunt,

Parotides.

Veratrum Melampodium.

Prœtidũ furor.

sunt, seu quoniam (vt scribit Hesiodus) Liberi patris cerimonias non acceperint, siue (quod est apud Ascusiaum) quoniam Iunonis contemserint simulacrum. Postea autem quàm furere occeperint, toto Argiuorum agro prius errabundas, dein verò etiam per Arcadiam, Peloponnesúmque vniuersam sui decoris oblitas, locis solis excucurrisse, donec Melampus Amythaone, filiáque Abantis Idothea natus vates scilicet, & qui primus medicamentis sanare, ac purgationibus inuenerat, curaturum se virgines spoponderit, si pretium sibi pars regni tertia transcriberetur. Cui cùm Prœtus minimè assentiret, videlicet mercede tã immani deterritus, magis magisque in dies glisscere furorem illum virginum cœpisse, contagione etiam ad mulieres ceteras demigrante, sic vt vulgò suam quæque domum relinquerent, filios occiderent, ac per solitudines vagarentur. Quare propagante se etiam atque etiam calamitate cùm daturum Prœtus postulatam mercedem pacisceretur, iam verò non prius curaturum Melampus ait, quàm cùm alterum tantum agri fratri quoque suo Bianti adiudicaretur. Hîc verò metuentem Prœtum, ne si præsentem conditionem respueret, plus etiam subinde postularetur, consensisse in eam mercedem. Ac tum demum Melampoda valentißimum quenque iuuenum comitem sibi asciuisse, clamoribúsque eas, atque enthea quadam (sic enim inquit) chorea Sicyona vsque de montibus compulisse. Ceterùm in persequendo, maximam natu Iphinoén extinctã, reliquas purgatione vsas respuisse. Tum Malãpodi eas, & Bianti Prœtum tradidisse, ipsumq; dein filiũ genuisse Megapenthen. Hactenus fermè Apollodorus. Helianus autem nomina Prœtidibus in omnifaria historia Elegem facit, & Celenẽ. Sextus porrò Empiricus Pyrrhon

Enthea chorea.

Prœtidũ purgatio.

Prœtidũ nomina.

rhoniorum quarto, Polyanthum Cyreneum dicere scribit in libro de Asclepiadarum genitura, Prœti filias ab Aesculapio fuisse insania liberatas, in quam Iunone irata incidissent. Adijcit Ouidius purgamine mentis earum Biantem misisse in Clitorium fontem, cuius potus abstemios faciat. Sed enim qui Probus vulgò putatur, haud im probus omnino Maronis enarrator, & ipse testem citat Hesiodum, fabulámque penè sicut hæc est Apollodori, quanquàm breuissime, perstringit. Hunc autem in eis errorẽ fuisse mentis, animíque, boues vt se crederent, quod Vergilius quoque in Bucolicis significat, neutiquam videri fabulosum debet: siquidẽ Paulus Aegineta medicus Græcus auctor in tertio Periodeutico de atra bile, deq; insania ipsa narrans, vsu quoque venire ait, vti quidam sibi brutæ animantes esse, vocesq; imitari illarum videantur. Prætereaq; nonnullos arbitrari se vasa esse testacea factos, tum autem ob id metuere, ne confringantur.

Probus, Maronis enarrator.

Cur in Ephesiæ Dianæ templo molles appellati honores à Martiale. CAP. LI.

CVR molles dixerit honores in Triuiæ templo Martialis, hoc est, in Dianæ Ephesiæ, etiam hæc afferri possunt, scita (ni fallor) & arguta satis, sed quæ tamẽ interpretes omiserunt. Ac primò quidem de multimãmijs possumus dictum existimare. Nam vt diuus Hieronymus in epistolam Pauli ad Ephesios scribit: Erat Ephesi templum Dianæ, & eiusdem in ipso multimammia, id est, multarum mammarum effigies, qua cultores eius decepti putabant eam omnium viuentium nutricem. Possumus item ad pompam referre, de qua Xenophon Ephesius in primo Ephesiacorum libro scribit ad hanc sententiã: Agebatur autem, inquit, solenne ijs locis Dianæ festum, ab vrbe ad templum, quæ sunt stadia omnino septem. Celebrare

Multimammia.

Festum Dianæ.

brare pompam virgines omneis indigenas oportebat, splendidè in primis ornatas. Prætereaq; ephebos, Abrocomi æquales, qui tum annum circiter decimum septimũ agebat, & cum ephebis aderat, velutique primas in ea pompa ferebat. Magna autem vis hominum spectaculo intererat, vel popularium, vel hospitum. Siquidem mos habebat, vti in ea celebritate & sponsi virginibus, & ephebis vxores inuenirentur. Procedebat ergo ordinatim pompa, primò scilicet sacra, faces, canistra, & suffimenta, tum autem equi, canesq;, & venatoria arma, nõ nullorum quoq; bellica, sed pleraq; tamen pacalia. Feminarum se quæq; veluti ad amatoris oculos cõposuerat, virginumq; ordinem ducebat Antia. Sic vtique Xenophon scribit, nõ quidem Athenienſis ille, sed alter eo nõ insuauior Ephesius, qui paulò pòst etiam ita subdit: Vt igitur peracta pompa, venêre in templum sacrificatũ multitudo omnis, atque ibi ornatus pompæ solutus omnis. Et conuenêre eôdem viri, feminæq;, ephebi, & virgines. Non absurdum est autem propter Dianæ quoq; sacerdotem molles honores audire, de quo etiam nonnihil Domitius ex Strabone. Ceterùm Heracliti Ephesij summi Philosophi, scilicet illius, qui ex obscuritate librorum Scotinos, hoc est, tenebricosus appellabatur, quiq; omnibus humanis actibus illacrymabat, illius inquã, Heraclitiad Hermodorum extat epistola, qua sic ferme in Ephesios cauillatur: Quãto Ephesijs meliores lupi, atq; leones. Non se inuicẽ mancipant, nec aquila aquilã emtitat, nec leoni leo ministrat pocula. Sed neque canẽ canis exsecat, vt vos Deæ sacerdotem exsecuistis Megabyzum, metu ne virgini vir cõsecretur, & quo pacto impij aduersus naturam, pij sitis aduersus simulacrum. Principio enim id agitis, vt Dijs primus imprecetur sacer-

Sacerdos castratus.

dos

dos amissa virilitate. Quin Deam quoque impudicitiæ velut insimulatis, metuentes ne illi ministretur à viro.

Quæ sit apud Martialem cornibus ara frequens. CAP. LII.

Mar. locus.

IN superiori epigrammate locus est hic alter, neutiquã à Domitio, néue ab alijs, quantũ uideam cognitus.

Dißimuletq; Deum cornibus ara frequens.

Quod enim Domitius Ammonis templum in Libya accipit, nullo pacto procedit. Nam cùm hîc magnificentissima orbis terrarum ædificia memorentur, quæq; inter miracula referrẽtur, vt ex eorum comparatione amphitheatri præconium crescat, ridiculum profectò fuerit de templo hîc Ammonis audire pauperrimo scilicet, vt Lucanus ait his versibus:

Ammonis tẽplũ pauperrimum.

Ventum erat ad templum, Libycis quod gẽtibus vnũ
Inculti Garamantes habent, stat corniger illic
Iuppiter, vt memorant, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.
Nec illic Libycæ posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent donaria gemmis,
Quamuis Aethiopum populis, Arabumq; beatis
Gentibus, atque Indis vnus sit Iuppiter Ammon.
Pauper adhuc Deus est, nullis violata per æuum
Diuitijs delubra tenens, morumq; priorum
Numen Romano templum defendit ab auro.

Neq; autẽ aut ex Plinij, aut ex Maronis dictis colliges templum Ammonis apud Nasamonas insigne vel ædificijs, vel opibus fuisse, si verba ipsa diligẽter vtriusq; pẽsitabis. Et quidẽ mẽtior, nisi ara potius Apollinis in Delo accipiẽda, quod Ceratinon bomon dicunt, inter septẽ orbis spectacula, sicuti Plutarchꝰ ait, celebrata, quæ tãtum

κερατινὸς βωμὸς.

tùm ex dextris cornibus sine glutino vllo, aut vinculo coagmẽtata, compactaq; sit. Hoc autẽ Plutarchus in eo scribit opusculo, quo tractat vtra prudẽtiora sint, aquigena, an terrigena animalia. Deq; ara eadẽ sic Ouidius in epistola Cydippes ad Acontium meminit hoc versiculo:

Miror & innumeris structam de cornibus aram.

Plutarchus etiam in Theseo de ara in Delo scribit, non quidem ex dextris, sed ex sinistris tantum cornibus cõpacta, quem κερατωνα βωμὸν appellat, nisi mendũ sit exemplarium. Laërtius quoque Diogenes Ceratinæ aræ, hoc est, è cornibus factæ mentionem nonnullam facit in Pythagoræ vita. Quin & Callimachus poëta in Apollinis hymno, quadrimum adhuc Apollinem scribit ex cornibus Cynthiadum caprearum, quas soror Diana in venatu occiderat, aram compegisse, fundamentaq; item, & parietem è solis struxisse cornibus. Ipsius autem sunt hæc verba: Id est, Corneam aram.

Τετραίτης τὰ πρῶτα θεμείλια φοῖβος ἔπηξε
Καλῇ ἐν ὀρτυγίῃ, περικυκλάδι λίμνῃ,
Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα σωτιχὲς ἀιγῶν
Κωνθιάδων φορέεσκεν, ὅθ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλωνι.
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐϋθρέα, πῆξε δ' βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δ' πέρι ξυνὸς ἐβάλλετο τοίχους.

Quadrimus prima fundamenta Phœbus iecit.
Pulchra in Ortygia, orbiculari in lacu.
Diana venata cornua assiduè caprarum
Cynthiadum tulit, ipse verò connexuit aram Apollo,
Extruxit quidem cornibus fundamenta, compegit autem aram
Ex cornibus, corneos verò circunduxit parietes.

Ob id ergo, inquit Martialis, dissimulet deum, quasi non iam Dei esse id opus videri queat, quo alterũ lõgè præstãtius, hoc est amphiteatrum mortali manu factum. Sanèq; per totum epigramma signatis vsus est verbis argu-

Martialis argutia.

tißimus poëta, qui Memphin ſilere iubet, quia barbara, nec iactari vult Babylona labore aßiduo, quoniam ipſa quoq; iactatio intellectũ laboris habeat. Et negat laudãdos ob id honores Triuiæ, quia molles, neq; enim mollibus præconia debentur. Negat etiam quæ aëre pẽdeant Mauſolea, ſupra aëra ipſum, hoc eſt, ad aſtra vſq; ferri oportere, vt ſit hoc epigrãmate nihil vtiq; penſitatius.

Quòd poſitum nomen Agamemnonis in M. Tullij Diuinationibus, pro Vlyſsis eſt, tum in tranſcurſu locus in epiſtolis ad Atticum nõ inelegans, ſuper miniatula cera correctus, & enarratus. CAP. LIII.

Ciceronis erracula.

AVLVS Gellius in Noctibus illis ſuis maximè candidis, errorem notat Ciceronis manifeſtißimum, non magnæ rei, neq; erraſſe eum miratur, ſed errorem non eſſe poſteà vel ab ipſo animaduerſum, vel à Tyrone ſuo. Nam cùm Homeri verſus Cicero quoſpiam vertat in Latinũ, dicere illos Aiacem ſcribit apud eum poëtam cùm reuerа dicantur ab Hectore. Facit hæc Aul. Gellij libertas, vt ne ipſe quidem verear referre in his libris paululum quiddam compar huic eiuſdem Ciceronis, peneq; illi ſuperiori germanum & *geminum, niſi forte (quod auidius crediderim tanto interuallo) mendum fuerit exemplarium. Quamuis etiam in antiquißimo quoque libro non diſpariliter ſcriptum inueniamus, nec ſanè lubricus ex litterarum vicinitate ſit in alterutrum nomen lapſus. Verba ſunt Ciceronis in libro diuinationum ſecundo: Nam illud mirarer ſi crederem, quòd apud Homerum Chalcantem dixiſti ex paſſerum numero belli Troiani annos auguratum, de cuius coniectura ſic apud Homerum, vt nos otioſi vertimus, loquitur Agamemnon:

*Genuinũ fortaſſe leg.

Iliad. β.

Ferte viri, & duros animo tolerate labores,
Auguris vt noſtri Calchantis fata queamus

Scire

Scire ratósne habeant, an veros pectoris orsus.

Ac deinceps versus quoque ceteros Homericos à se conuersos exponit. Quòd igitur hæc Agamemnonẽ loqui apud Homerum Cicero tradit, si modò ita scriptum Cicero reliquit, hoc neutiquam verum probatur, cùm apud Homerum ipsum in secunda Iliados Rapsodia non Agamemnon, sed Vlysses istius sententiæ versus pronũciet. Neque est quod quisquã aut stomachetur hæc apud Ciceronem quoque deprehendi, aut miretur, cùm appareat ex ipsius epistolis nonnunquam huiuscemodi errata memoriæ fuisse in Ciceronis libris vel ab Attico, vel à Bruto animaduersa, atque curata. Sicut illud in oratione Ligariana de L. Cursidio, quod erratum fatetur esse suum. Sed (vt aiunt) inquit, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sicuti quod in Oratore arbitror, Eupolim pro Aristophane Cicero posuerat. Dein Atticus Aristophanem pro Eupolide reposuit. Itaque etiã vereri se Cicero dicit aliquãdo, ne suæ syntaxis miniata illius cerula pluribus locis notãdæ sint. Quòd autem incidit, vt deminiata cerula memineri mus, corrigendus obiter, & interpretãdus nobis hic ex epistola ad Atticum libro penultimo locus est, in quo ita scriptũ perperam inuenitur: His litteris scriptis me ad syntaxis dedi, quæ quidẽ vereor, ne nimia tua pluribus locis notãdæ sint, ita sum meteoros & magnis cogitationibus impeditus. Ego legendũ puto, ne miniatula cera tua pluribus locis notãdæ sint, vt sit intellectus, ad libros cõponendos, id enim Græcè syntaxis, Ciceronẽ se dedisse. Sed vereri tamẽ ne miniatula cera ipsius, ad quẽ scribit, Attici, quo sæpe vteretur emẽdatore, pluribꝰ locis notãdæ sint, quoniã meteoros, hoc est, suspẽsus animi foret Cicero, & magnis cogitationibus (vt ait) impedit. Cõsueuerat, opinor, Atticꝰ, siquis parũ absolutè locus à

Id est, Memoriæ vitium.

Miniata cerula.

Locꝰ epistolarũ ad Atticum.

Σύνταξις.

Meteoros.

Cicerone tractaretur, ei loco rubellas ceras affigere, quod nunc quoq; solemus. In codice autem, quem fuisse aiunt Francisci Petrarchæ primitus, certè Colucci Salutiati dein fuit, & post hunc Leonardi Aretini, mox & Donati Acciaioli, virorum suæ cuiusq; ætatis eruditissimorum, sic adhuc extat, ne miniata ceruia tua. Quòd si penultimæ dictionis penultimã litterã paululũ à summo produxeris, hoc est, de i, littera, l, feceris, omne proculdubio mẽdũ sustuleris. Sed & peruulgatis codicibus sic in extremo rursum volumine epistolarũ adhuc earundẽ legitur: Cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebã, vt iã omnis hoc testimonio superior ambiguitas aboleatur.

Quintiliani loc'. Ceratinæ.

Ceratinæ quæ sint apud Quintilianum. CAP. LIIII.

CERATINAE quæ sint apud Quintilianum libro primo, non temere qui tibi explicet inuenias. Qui autem Græca voluerint, Latinaq; commentaria, plane intelligent ratiocinationis inexplicabilis esse eam speciem, quæ nescio quas ansas, atque vncos arte dialecticæ perplexitatis inferret. Sic arbitror appellatam à materia ipsa, qua vterentur verborum, sicuti est apud Senecam libro epistolarum quinto ad Lucilium: Sederem, inquit, ocioſus, & eiusmodi quæstiunculas ponens: Quod non perdidisti habes: Cornua non perdidisti, cornua ergo habes. aliáque ad exemplum huius acutæ delirationis concinnata. Sed de hoc item in Atticis Noctibus inuenias. Cerata autem Græcè dici Cornua quis nesciat? Meminit huius etiam Lucianus in Philosophorum Sympoſio, sicuti de Sorite, atque Therizonte. Sed & in dialogo item mortuorum Castoris, & Pollucis, ita fermè inquiens: Et cornua inter se producunt, & crocodilos faciunt, & eiusmodi perplexa docẽt interrogare, vt ex cornibus scilicet, hanc quam diximus Ceratinẽ

κέρατα.

ratio-

ratiocinationem, nec ratiocinationem verius, quàm tendiculam accipias. Quin etiam in dialogo altero, cui vel somnium, vel Gallus est nomen: Et docens, inquit, duabus negationibus vnam confici asseuerationem, noctémque non esse, si dies sit. Interdum etiam cornua mihi esse dicebat: aliáq; id genus. Huiuscemodi autem dialecticis in percunctando quæstiunculis, quales frequenter ingeniorum acumen excogitat, etiã Milesius Eubulides plurimum vsus, sicut à Laërtio Diogene in Euclidæ Megarensis vita ponuntur, vt Latine conemur interpretari: Mentiens, fallens, electra conuelatá, acerualis, & ceratinæ, vel cornea, & item calua. Ex quo in hanc sententiam est apud Comicum nescio quem, vt idem prodit Laërtius: Contumeliosus autem Eubulides Ceratinas interrogans, & mendacibus, glorioſisq; sermonibus oratores versans, abijt Demosthenis habens volubilitatem. Quem etiam locum Suidas citauit. Sed & Zenon ille Cytieus inter cauilla cetera dialecticorum Ceratinas item, & Vtidas numerabat, sicuti idem in libro VII. de vitis Philosophorum prodidit Laërtius. Quin hoc ipsum postremò nobis insinuat Martianus Capella libro IIII. cùm inquit:

Perdita nequa vnquam cornua fronte ferant.

Qui sint crocodilitæ apud eundem. CAP. LV.

APVD Quintilianum eundem libro item primo etiã de Crocodiline mentio fit, obscuro & ipso plerisq;, ignotoq; vocabulo. Ceterum de hoc inuenimus apud Aphthonij Græcũ enarratorem Doxapatrem, quamuis apud eũ Crocodilites potius, quàm Crocodiline, q, & verius puto Verba ipsius ita Latinè interpretamur: Serra, inquit, & Crocodilites sicuti est in Aegyptiaca fabula. Mulier quæpiã cũ filio secundũ fluminis ripas ambula-

bat ei Crocodilus filiũ abstulit, redditurum dicẽs, si verum mulier responderet. Negauit illa fore vt redderetur, atq; ob id æquum aiebat reddi. Hactenus ille. Moxq; idem, Crocodiliten, inquit, hanc propositionem vocant, Crocodili huius gratia: quam etiam πρίωνα, id est, Serram vocari à Græcis indicat. Adiuuat Lucianus in dialogo cui titulus, Vitarum venditiones: ita fermè Chrysippum loquentem inducens, eiq; respondentem quempiam, qui se profiteatur emptorem. Considera igitur ita, Estne tibi filius? Quorsum istud? Si forte illum iuxta fluuium errabundum Crocodilus inueniat, rapiátque, dein redditurum polliceatur cùm verum dixeris, vtrum reddendus ei videatur, nécne? Quid eum sentire dices? Rem sanè perplexam interrogas. Ex his, vt arbitror, liquet etiam Crocodiliten sicuti suprà ceratinen, sophismatos esse parum explicabilis speciem, quo dialectici veteres potißimúmque Stoici vtereṇtur. Quod genus elegãter Quintilianus exquisitas ambiguitates appellauit.

Crocodilites. πρίωρ.

Cur gemino Cornu Martialis dixerit in spectaculis, vbi de Rhinocerote: deq; tauris Aethiopicis. CAP LVI.

MARTIALIS Epigrãma est in spectaculis de Rhinocerote, cuius extremi versus hi sunt:

Mart. locus.

Namque grauem cornu gemino sic extulit vrsum,
Iactat vt impositas taurus in astra pilas.

Domitius ita enarrat: Gemino inquit, cornu, forti, & vehementi. Vergilius: Gemino dẽtalia dorso. Vel quoniã Rhinoceros habet duo cornua, vt apud Pausaniã solum legi, quorũ alterum insigni magnitudine ex naribus extat, alterum supernè erumpit, exiguũ, sed validißimum. Fatetur sanè Domitius apud vnum se Pausaniam legisse Rhinocerotem duo habere cornua. Quid autem Plinũ, quid Solinũ, quid alios credimus vnũ Rhinoceroti cornu tribuẽ-

tribuenteis dũtaxat? an videlicet ignorasse omnes, quod solus animaduerterit Pausanias? Quid porrò Septimio Florenti Tertulliano respõdebimus, Christianorũ omnium, quorum quidẽ Latine opera extẽt, vt antiquissimo, sic ausim dicere in omni penè litteratura diligentissimo? qui libro aduersus Praxeam tertio, verba illa enarrans de vetere instrumẽto: Tauri decor eius, Cornua vnicornis cornua eius, in eis nationes ventilabit ad summũ vsq; terræ: Nõ vtique, inquit, Rhinoceros destinabatur vnicornis, nec Minotaurus bicornis. & quæ sequuntur. Ceterùm de eo Pausanias in Bœoticis meminit: neque autem omnino Rhinocerotas duo habere cornua, nam hoc manifestò refelli poterat, sed tauros dicit esse in Aethiopia, qui rhinocerotes vocentur. ὅτι σφίσιν ἐπ' ἄκρᾳ τῇ ῥινὶ. Sic enim illius verba sunt, ἐν ἑκάστῳ κέρας καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ σμίγα, οὐδὲ τοῦτο κεφαλῆς ἅπτεται· ἀρχὴν κέρατα ἐστιν. Quoniam, inquit, illis in summa nare singulis vnicum cornu, tum aliud suprà non magnum, verùm in capite, ne initio quidem cornua. Non igitur Pausanias aut insigni magnitudine alterum cornu, aut alterum ait esse validissimum, quod ob id eminiscitur fortasse Domitius, vt his facilius vrsus extolleretur. Neque autem de Rhinocerote ipso Pausanias, sed, vt diximus, de Aephiopico tauro, qui similitudine quapiam & ipse Rhinoceros à quibusdam vocabatur. Quare nos ita putamus exponendum Martialem, vt rursum videlicet à Rhinocerote cornu illo vnico elatum, eiectatúmque sentiat, grauem gemino cornu, hoc est, grauem tauro futurum, cui sunt cornua gemina, vt cornu sit datiui, non ablatiui casus. Nam cùm tauri pilas cornibus ad astra euentilent, extollere vrsum tamen non poterant grauem gemino cornu, propterea q; eum mirabilius quam libet

Rhinoceros.

Tauri Aethiopici.

libet vno cornu Rhinoceros extulit.

Quæ sint apud Suetonium Tetraones: correctumq; erratum Plinianis exemplaribus. CAP. LVII.

Tetraones. TETRAONES in Caligula Suetonij, quæ sint aues, omnino ignoratur. Verba ipsius hæc: Hostiæ erant phœnicopteri, pauones, tetraones Numidicæ, meleagrides, phasianæ, quæ generatim per singulos dies immolarentur. Ceterum inuentu res erat haud difficilis, nisi Plinianos inemendatißimos haberemus codices. Nam quod apud illum legimus libro x. historiæ naturalis, vbi de anserib⁹ agit, Decet Erythrotaonas suus nitor, absolutaq; nigritia. Hoc in illo vetustißimo Pliniano exemplari, de Medicæ gentis bibliotheca publica, penè legitur emendatè, videlicet vna tantùm cõmutata littera, qualia multa in vetustis omnibus voluminibus interpolata vocabula. Nam cum ipsa quoq; mendosißima plerisq; sint locis, vestigia tamen adhuc seruant haud obscura veræ indagandæ lectionis, quæ de nouis codicibus ab improbis librarijs prorsus oblitterantur. In eo igitur sic est, Decet & troanas, vt si ordinem duarum primarum litterarum inter se cõmutes, tetraonas dissultet: quare ita apud illum Politiano auctore legas: Decet tetraonas suis nitor, absolutaq; nigritia. In supercilijs cocci rubor. Alterum eorũ genus vulturum magnitudinẽ excedit, quorum & colorem reddit: nec vlla auis, excepto Struthocamelo, maius corpore implens pondus, in tantum aucta, vt in terra quoq; immobilis prehendatur. Gignunt eas alpes, & septentrionalis regio. Hactenus ille de Tetraonibus.

Plinianus locus.

Erythrotaones.

Struthocamelus.

Origo, & ritus ludorum secularium, prætereaq; ad id alia, citatumq; eò Sibyllæ oraculum: mox & obiter explicata quædã, rursusq; alia refutata nõ inutiliter. CAP. LVIII.

Seculariũ ludorum origo. ERIT, arbitror, operæpretium colligere hîc etiã secularium ludorum originem, causſamq; nominis, & item

quot

quot annorũ interiecto ſpatio, quotieśq; facti, quo ritu, quibuśq; Deis celebrati. Nam & res eſt ipſa per ſe cognita non indigna, cui ſtudium modò ſit vllũ vetuſtatis, & ad intelligendos poëtarũ locos nonnullos ingens attulerit adiumentũ. Quum igitur bellũ inter ſe Romani, Albaniq; gererent, & vtraque in procinctu iam ſtaret acies, extitit repentè quidam mõſtroſa ſpecie, pelle amictus furua, vociferãs iubere Ditem patrem, deamq; Proſerpinam fieri ſacrum ſibi prius, quàm prælium cõmitteretur. Quo perterrefacti viſo Romani protinus arã ſub terra ædificárunt, & ſtatim ſacrificio facto, pedum x x. aggere contexerunt, vt eſſet omnibus præterquam Romanis ipſis ignorabilis. Sed enim euenit, vt Valeſius Valeſius, vnde nomen, & origo Valeriæ familiæ, clariſſimus in gente Sabina, & locuples, homo ruſticæ vitæ aram banc, quam diximus, ita diuinitus inuenerit. Erat ei nemus ante villam proceris maximè arboribus, quæ ſtatim fulmine ictæ cõflagrarunt. Nec multò pòſt filij duo, & filia correpti peſtilentiæ morbo ad deſperationẽ vſque medicorum laborabant. Cùm ſeſe igitur laboribus familiaribus aduoluens pater, pro liberorum ſalute ſuum, matrisq; puerorum capita deuoueret, vox è nemore, quod tactum de cœlo, ſtatim audita, ſaluos fore eos ſpõdens, ſi Tiberi ad Tarentum peruecti, calfactam Ditis & Proſerpinæ foco de fluuio ipſo biberent aquã. Quoniam verò longiſſimè abeſſe Tarentum, ſcilicet in extrema Iapygia, nec proximè eam vrbem reperiri Tiberim vllum fluuium ſciebat, ſpem ſibi deterrimam fingebat, etiam inde territus, quòd inferarum potiſſimum vox illa poteſtatum meminiſſet. Sed impoſitos nihilo ſecius in lintcam filios Hoſtiam pergens, mox ad campi Martij regionẽ deuexit, ibi recreare ſitientes, & æſtu, febriq;

Dæmonũ præſtigia.

Valeſius. Valeſius. Origo Valerię familię.

laborantes desiderãs, qua placidissimè amnis labitur, exponit in ripa ægrotos, ac dum tumultuariam sibi tegeticulam cõcinnat, extincto igniculo, admonetur à gubernatore petendũ potius Tarentum (nam ita locus in proximo vocabatur) etenim fumum esse illic aspicere. Tum verò lætior audito Tarenti nomine Valesius, Deos adorans, & salutem sibi liberorũ iamiam propemodum bona fide spondeus, agi prorsum iubet, & illuc maximè nauigium appelli. Quò cùm peruenisset, haurit aquam festinatò de flumine, fretusq; omine tenacius arrepto, fumigans ibidem solũ flatu solicitat in flammam, calfactamq; mox aquam porrigit in calice pueris. Succedit autẽ potui somnus. Vident in quiete illi spõgia sibi à nescio quo detergeri morbum, tum præcipi, vt Diti patri, & Proserpinæ, furuæ ibidem mactarentur hostiæ, trinoctiumq; perpetuum choris, & carminibus concelebraretur. Surgunt igitur recuperata valetudine, visumq; illud patri renunciant. Is homo locuples defodi iaciundis altè fundamentis humum iubet. Inuenta igitur sic ara est ea, quam diximus, cum titulo Ditis & Proserpinæ. Mactat ille (quod erat iussus) furuas continuò victimas, & trinoctium sacris frequentat, tot enim numero filios media de morte receperat: ex eóque Manius Valerius Tarentinus appellatus, quòd à dijs manibus in Tarento liberũm suorum valetudinem impetrauisset. Ad hunc igitur modum quidam tradiderunt. At enim M. Varro libro de scenicis originibus primo: Cùm multa, inquit, portenta fierent, & murus, ac turris, quæ sunt inter portam Collinam, & Exquilinam, de cælo tacta essent, & ideo libros Sibyllinos Quindecimuiri adijssent, renuntiauerunt vti Diti patri, & Proserpinæ ludi Tarentini in campo Martio fierent tribus noctibus, & hostiæ

Manius Valerius Tarẽtinꝰ.

Ludi Tarentini.

stiæ furuæ immolarentur. Hactenus de origine. Seculares autem, non quia fierent anno vel centesimo denique, vel etiam centesimo decimoq; nuncupati, quod vtrunque sicut assertores habet, ita re ipsa penitus coarguitur, sed ob id magis credi potest, quòd plerunque semel hominis ætate fierent, vt multa alia, quæ rara sunt, post seculum euenire loquentium consuetudo vsurpat. Tarentini autem à loco ipso, qui Tarētus ob id vocatur, aut quòd ara ibi Ditis patris (quemadmodum suprà diximus) in terra occultaretur, aut quòd ripam Tiberis fluuius eo loco tereret, ex quo etiam Rumon dictus à veteribus, & in sacris Serra nominatus, quòd ruminaret, hoc est, exederet, & secaret ripas. Vnde ait Maro:

Seculares cur dicti. Tarētus. Rumon. Serra.

Stringentem ripas, & pinguia culta secantem.

Ceterùm de temporum interuallis, quibus isti ludi referrentur, fides in ambiguo est. Siquidem in carmine seculari Horatius vndenos decies per annos fieri declarat, quod & commentarij Quindecimuirorum, & diui Augusti edicta, & ipsius denique Sibyllæ, quod adhuc extat, oraculum confirmauerint. Contrà verò centesimum redire post annum, tam Valerius Antias, quàm Titus Liuius, & item M. Varro testati perhibentur. Quod enim legimus apud Herodianū trium spatio ætatum solitos instaurari, vereor vt emendata sit ibi lectio, nostramq; ob id è Græco interpretationem cum venia legendam censeo. Nec autem (si tempora dinumeres) aut quanta interualla retrò fuerint, aut quanta esse debeant, omnino colligas. Instituti autem primi seculares ludi post exactos reges à P. Valerio Publicola, qui primus consul fuit, existimantur. Etenim laborātibus pestilētia ciuibus, apud hanc ipsam, quā diximus, arā publicè nuncupatis votis, atrum bouē Diti pro maribus, cōcolorem

Secularium tempus. Secularium institutio.

rem pro fœminis iuuencã Proserpinæ mactauit, ludosq;, & lectisternia trinoctio fecit, & aram terra, sicut antè fuerat, exaggerata occuluit, inscriptã titulo isto: P. Valerius Publicola frumentarium campũ Diti & Proserpinæ consecrauit, & ludos Diti & Proserpinæ Romanorũ salutis ergò feci. Secundos autẽ secundo & quinquagesimo post Romam conditam factos anno admonitu Sibyllinorum carminum, tradit Græcè Zosimus, missis occupata morbo ciuitate lectis ad hoc viris, qui libros cõsulerent: ex quorum responso, denuo regesta humo apud aram hanc ipsam, in extremo campi Martij, de more sacra, & ludi persoluti, restitutaq; Romanis iterũ est incolumitas. Consulem verò scriptor hic vnum duntaxat, exemplario fortasse mendo, M. Publium Quintiũ nominauit, cùm Censorinus M. Valeriũ, & Spuriũ Verginium consules prodat. Idemq; tertios, & item quartos consulum temporibus, quos & nominatim citat auctoritatibus Antiatis Valerij, T. Liuij, Varronis, Pisonis, Gellij, & Heminæ comprobat factos, etiamq; commentarios Quindecimuirũm sacris faciundis, in testimonium ascisit. At enim quoniam lubricus in proprijs nominibus, & item in numerorũ notis librariorum lapsus, vitiata ista (ni fallor) in Censorini cõmentario reperies. Ceterùm diuus Augustus abolitos eos paulatim (sicuti quidam putant) atq; intermissos instaurauit, magno (vt Liuius ait) apparatu, L. Cẽsorino, & M. Manlio Puellio consulibus, Atteio autem Capitone circumitum, spatiumq; subijciente, ritum verò sacrorum libris iudicantibus Sibyllinis. Porrò sextos, Claudius se cõsule IIII. & L. Vitellio quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos, quamuis ipse in historijs suis prodidisse memoretur intermissos eos Augustum multò pòst

diligen-

diligentißimè annorum ratione ſubducta in ordinem redegiſſe. Quare vox etiã irriſa præconis traditur, inuitãtis more ſolẽni ad ludos, quos nec aſpectauiſſet quiſquã, nec ſpectatur⁹ eſſet, cùm ſupereſſent adhuc qui ſpectauerãt, & quidã hiſtrionum producti olim, tum quoque producerentur. Etenim Stephanionem, qui primus togatis ſaltare inſtituit vtriſque ſecularibus ludis, Auguſti videlicet & Claudij, ſaltaſſe accepimus, qui lxxxiij. nõ amplius* anno interfuere, quãuis & poſteà ille diu vixerit. Septimos Domitianus, ſe xiiij. & L. Minutio Ruſſo conſulibus, cõputata ratione temporũ ad annum, non quo Claudius proximè, ſed quo olim Auguſtus ediderat. Deniq; in nomiſmatis varijs apud Laurentium noſtrum Medicem ſtelographiam quoque iſtam vidimus: LVD. SAEC. FEC. COS. XIIII. Ac de his Papinium ſentire in Syluula ad vrbis præfectum Gallicum, cui titulus Soteria, iam tum noſtris auditoribus oſtendebamus, cùm volumen ipſum ſcilicet abhinc nouennium publicè interpretabamur. Verba ita ſunt:

Stephanio.

*aliàs, annos.

Stelographia.

Nec tantum induerint fatis noua ſecula crimen,
Aut inſtaurati peccauerit ara Tarenti.

Quo loco Domitius noſter, quamquam de Tarenti ara, dijsq; ipſis manibus meminit, nihil omnino tamen ſuper ſecularibus iſtis ſuſpicatur. Iam verò apud Martialem, quàm penè idẽ ſuæ litteraturæ, ne dixerim ingenij quoque obliuiſcitur: quem ſcilicet & tunc, & cùm Faſtos annos pòſt enarrabamus, luculentè (ni fallor) coarguimus. Eſt autem Martialis epigramma de matrona, quæ, puto, binis ludis, Claudij ſcilicet, Domitianiq; interfuerat, in eoq; etiam hic verſiculus:

Bis mea Romano ſpectata eſt vita Tarento.

Quo loco parũ cordatus homo hic trigeſimo quoq; an-

no celebrari sacra ad Tarentum dicit consuesse, quod nec aliquis etiam fando audiuerit. Quin idem illos ex quarto eiusdem poëtæ libro versiculo pertractans:

Hic colat ingenti redeuntia secula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Tarentus habet.

Etiam posteriorē disiungit à priore, & vt in illo seculares ludos, ita in hoc cōmentitia ista tricenaria sacra putat insinuari. Facit autem Tarenti huius etiam Varro in Latinæ linguæ cōmentario etiamq; vel iterum in Fastis Ouidius mentionē. Sed redeo vnde digressus. Centesimo decimoq; post Domitiani ludos anno instaurauit & eos Imperator ille Septimius Seuerus, cuius etiā nunc Romæ pulcerrimus spectatur triumphalis arcus, cum filijs Antonio, & Geta, Chilone, & Vibone cōsulibus. Quos ludos & vidisse se memorat Herodianus, & Dion ætate sua factos memoriæ prodidit. Post Seuerū negat instauratos Zosimus, quoniam hic annorū centū & decē penè receptus auctoritate ambitus, in consulatū Constantini Christiani principis tertium, & Licini, quem deinbello ipse vicit, incurrisset. Nos tamen apud Eusebium in chronicis, & Eutropium in historiarum libro nono legimus Philippo imperante (quanquā primus fuisse Christianus Imperator creditur) millesimum annum Romanæ vrbis ingenti ludorum apparatu, & spectaculorū fuisse celebratum, bestiasq; in circo innumerabiles interfectas, & ludos in campo Martio theatrales tribus diebus, ac noctibus populo peruigilante concelebratos: quibus ludis secularibus etiam dicitur Philippus Iunior, is, qui nunquam risisse creditur, patrem Philippum seniorē petulantius cachinnantem, vultu auersato notauisse. Restat vti de ritu carptim paucula perstringamus. Instantibus itaque ludis tota Italia præcones missitabantur conuocatum

Philipp⁹ Imperator Christianus primus.

Philipp⁹ Iunior.

Secularium ritus.

catum ad ludos, qui nec spectati, nec spectandi iterum forẽt. Tum æstatis tempore, paucis antequàm spectacula edebantur diebus, Quindecimuiri sacris faciundis in Capitolio, & Palatino templo pro suggestu cõsidentes, piamina diuidebant populo, quæ erant, tæda, sulfur, & bitumen. Nec tamen ad ea seruis quoque accipienda ius vllum. Coibat autem populus, cùm in quæ suprà retulimus loca, tum præterea in Dianæ templum, quod erat in Auentino, & cuique triticũ, faba, hordeumq; dari mos. Tum ad instar Cereris initiorum peruigilia fiebant. Vbi verò iam aduenit festus dies, triduum, trinoctiumq; sacris intenti in ripa ipsa maxime Tiberis agitabant. Sacrificia verò Ioui, Iunoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, prætereaq; Parcis, & quas vocant Ilithyas, tum Cereri, & Diti, & Proserpinæ suscipiebantur. Igitur secunda primæ noctis hora princeps ipse tribus aris ad ripã fluminis extructis, totidem agnos, & vnà Quindecimuiri immolabant, & sanguine imbutis aris, cæsa victimarum corpora concremabãt. Constructa autem scena in theatri morem, lumina, & ignes accendi, & hymni concini ad hunc vsum tum maximè cõpositi, & item spectacula edi soleuniter solita, data celebrantibus hac mercede tritico, faba, hordeo, quæ suprà inter vniuersum populum diuidi ostendimus. Mane verò Capitolium ascendere, sacra ibi de more agitare, tum in theatrum cõuenire ad ludos in honorem Apollinis & Dianæ faciundos, consueuerunt. Sequenti die nobiles matronæ, qua hora præcipitur ab oraculo, conuenire in Capitolium, supplicare Deo, frequẽtare lectisternia, canere hymnos ex ritu, mos habebat. Tertio deniq; die in templo Apollinis Palatini, ter nouẽni pueri prætextati, totidemque virgines, patrimi omnes, matrimiq; Græca, Romanáque

Piamina.

voce carmina, & Pæanas concinebant, quibus imperium ſuum, & incolumitatem populi dijs immortalibus commendabant. Quòd ſi quis fortaſſe quæſierit, quod genus tunc aut ludorum fieret, aut ſacrificiorũ, ſciat & ludos celebrari omnibus theatris, atq; omne genus, & ſacrificia templis omnibus conſueſſe noctu pariter, atque interdiu. Nam de ſcenicis & Circenſibus minime dubitatur, cùm Domitiani ludis hiſtriones interfuiſſe meminerimus, prætereaq; Circenſium die quo facilius centum miſſus peragerentur ſingulos à ſeptenis ſpatijs ad quina legerimus correptos. Illud vtique in Auguſto memorabile, qui ludis iſtis iuuenes vtriuſque ſexus prohibuit vllum nocturnum ſpectaculum frequentare, niſi cum aliquo maiore natu propinquorum. Enimuero his prout in mentem deſubito venerunt expoſitis, iam nec ille vatis Auſonij verſiculus ambiguus relinquetur:

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo.

Iam nec obſcura apud Horatiũ ratio extiterit, cur Parcas, Ilithyan, Dianamq; ex Auentino, cur & puerorum vota, & Quindecimuiros memorauerit, & itẽ Sibyllinos verſus, qui nunc quoq; apud eundem Zoſimum vetuſtiſſimis quidem codicibus citra vlla faſtigia, qualesq; de induſtria ſubiecimus, inueniuntur.

Αλλοποσαν μηκισθ ιχηι χρονθ ανθρωποισι
Ζωης εις ετεων εκαδον λειπα κυκλον οδερων
Μεμνησθ ρωμαιε και ει μαλα λησεαι αυδου
Μεμνησθ τασδε παντα θεοισι μθυ αθανατοισι
Ρεζειν εν πεδιω παρει θυμβριδθ απλειδον υδωρ
Οππη σεινοτατον. νυξ ηνικα γαιαν επελησθι.
Ηελιδ κρυφανθ τον φαθ. ενθα σε ρεζειν
Ιερα παντογονοις μοιραις αρνας τε και αιγας
Κυανεας, επι λευκειθνιας αρεσασθ

Παιδ

παι δοκος βυεεσιν οπη θεμις. ωνδι δε γαιη
πληθομενη χοιρω θυς θηρευοιτο μιλαινα
παλιυκοι. τωυροι δεδιδω παρα βωμον αγεσθων
ημαρ μηδεπι νυκτι. θεοισι γαρ ουρανιοισιν
ημισυ πιλεται θυεων ξοπω ως δε κε ωυτος
ξρευην λαμαλις δε βοων δεμας αγλαον ηρης
δειξασθω νηος παρα σευ κε φοιβος απολλων
ος τε κε πειλω κικλησκεται ισα δεδεχθω
θυμαρα λητοϊδης αειδομενοι τε λατινοις
παιανες κοιροις κουραισι τε νηον εχοιεν.
αθαναων. χωεις δε κοραι χορον ωυται εχοισιν
και χωεις παιδων αρσην σταχυς αλλα γονηων
παντων ζωοντων οις αμφιταλης ετι φυτλη
αιδεγαμου ζευγλαις δεδμημεναι ηματι κεινω
πυκξ ηρης παρα βωμον αοιδιμον ειλιοωσαι.
δαιμονα λιασεσθωσαν. απασι δε λυμαρα δουναι
ανδρασιν ηδε γυναιξι. μαλισα δε θηλυτερηισιν
παντες δεξ οικοιο φερεσθων οσσα κομιζεν
εσι θεμις θνητοισιν απαρχομενοις βιοτοιο
δαιμοσι μειλιχιοισιν ιλασμαρα και μακαρεσσιν
ουρανιδες τασδε παντα τε θησαυρις μενακεισθω.
οφρα τε θηλυτερηισι και ανδρασιν ιδριοωσιν,
ενθεν πορσυνης μεμνημενος. κμασιδεσω
νυξι τε παωσιτερηισι θεοπρεπους κατα θωκους
ναμωλιθης αγυιης, ωδε κε γελωσι μεμιχθω.
ταυτα τοι εν φρεσιν ηισιν αει μεμνημενος ειναι.
και σοι πασα χθων ιταλη και παση λατινη
αιεν υπο σκηπτροισιν επαυχενιον ζυγον εξει.

Cur autem non & Latinos eos tentemus reddere, si non eleganter, vtpote extemporales, ex fide tamen seruato etiam, quantum liceat, incomtæ illius, sed venerandæ vetustatis colore nonnullo, aut squalore potius. Igi-

tur ita qui volet eos togatis illis adhuc quidem rusticanis adscribat.
Ast vbi iam humanæ longissima tempora vitæ
Orbis agens annos referet centumq; decemq;,
Sis Romanæ memor (licet alta obliuia tentent)
Sis memor, vt quà se nimium Tiberina coartat
Ripa, feras dijs in campo solennia sacra,
Cùm nox atra premit terras, tectusq; latet sol,
Agnæ, caprigenumq; pecus genitalibus Parcis,
Hostia furua vtræq; cadant, tum numina placa
Læta puerperijs (quod fas fuat) Ilithyias.
Terra suem ferat, & scropham sibi fertilis atram,
Sed Iouis ante aram candenti corpore tauros
Luce feri, nam lux superis gratissima diuis.
Iunonis templum nitida ceruice iuuenca
Imbuat, atque itidem Phœbus placetur Apollo,
Quem vocitant etiam solem, Latoa propago.
Pæanas puerique canant, pueræq; Latinorum
In templo. Sed enim pueri, pueræq; seorsum
Concelebranto choros, verum hæc sit patrima proles,
Matrimáque, at nuptæ genibus Iunonis ad aram
Oranto innisæ, diuamq; in vota vocanto.
Februa quinetiam vir quisque, & femina, quanquàm
Femina præcipuè, accipito, dehinc ædibus omnes,
Primitias vitæ placidis placamina diuis
(Quà fas est) & cælitibus portando beatis.
Antè domi tamen illa memor tibi habeto reposta,
Quæ dare mox vsu liceat poscente viriq;,
Femineoq; gregi: tum digna sedilia diuis,
Perq; dies iuxtà & noctes multesima turba
Complento, & lepidis miscento seria ludis.
Quæ tibi, si stabili sint omnia condita mente,

Cun-

Cuncta tuo Italiæ tellus, cunctiq; Latini
Subdent colla iugo, & victoris sceptra timebunt.

Non Vergilium, sed Ouidium videri Priapei carminis auctorem. Tum versiculum illum, qui sit apud Martialem, Ride si sapis ò puella, ride: Nasonis esse proculdubio, sed ex epigrammatis potius, quàm, aut ex Artibus, aut ex tragœdia Medea videri citatum: moxque nouum quippiam, & mirum de Medea Nasonis adscriptum. CAP. LIX.

QVAE Priapeia vocantur epigrammata, Vergilio plerique tribuunt, inter quos etiam est (arbitror) Seruius. Ceterùm ego in Senecæ libris illis, qui iam diu delituerant, nuper in lucem, quanquàm non admodum sinceri, prodiere, quibusq; oratorum, & rhetorum sententias, diuisiones, colores suasoriarum complectitur (nisi forte mendosum credamus, quod habetur exẽplar vnicum) subditicia esse, nec Vergilij, sed Ouidij deprehendo. Siquidem illius in volumine secundo verba ita sunt: Hoc genus sensus memini quendam prætorium dicere, cùm declamaret controuersiam de illa, quæ egit cum viro malæ tractationis, quòd virgo esset, & damnata. Posteà petijt sacerdotium. Nouimus, inquit, istam maritorum abstinentiam, qui etiam si primam virginibus timidis remisere noctem, vicinis tamen locis ludunt. Audiebat illum Scaurus, non tantùm disertißimus homo, sed venustißimus, qui nullius vnquam impunitam stultitiam transire passus est: statim Ouidianum illud: Priapeia.

Dum timet alterius vulnus inepta loci.

Et ille excidit, nec vltra dixit. Hucusque Seneca. Nouimus autem hunc esse versiculum in Priapeio epigrãmate, cuius principium est:

Obscurè poteram tibi dicere.

Sed & stylus ipse (ni fallor) & prorsus Ouidiana quæpiam in eis versibus germana lasciuia. Quatenus autem sit huic auctoritati fidendum, legentiũ sit iudicium. Nos vt nõ pro vano scripsimus hoc, ita nec pro confesso. Certè sic Ouidio cõuenit etiã in ceteris obsceniori, sic Vergilium contrà dedecet, à virginea quoque verecundia Partheniam vocatum, titulus istius operis, vt quamlibet iniurato testi, & suspecto pudeat tamẽ profectò nõ credere. Sanè illud in cõfesso, scripsisse epigrãmata quoque alia Nasonẽ, de queis versiculũ citat hunc Priscianus:

Parthenią vocatũ Vergilium.

Larte ferox cæso Cossus opima tulit:

Et apud eundẽ ludentẽ legerat sanè Quintilianus istud:

Cur ego non dicam furia te furiam?

Nec alibi certè crediderim, quàm fuisse in epigrãmatis, quem citat hendecasyllabum Phalecium Martialis:

Ride si sapis ò puella ride.

Nam quòd præceptũ respicit aliquod ex artibus Domitius, id vtique vel auctoritate refutatur Martiani Capellæ, qui videlicet in Satura pro versiculo Nasonis eũ, non pro Martialis agnoscit. Audiui etiam qui crederẽt de tragœdia esse Medea, quam Tacitus, quam laudat Quintilianus, & quam fuisse (quod miror) penè Vergilianis consutam versibus, auctor Tertullianus est, & nos in Nutrice significauimus. Sed hoc mihi non fit verisimile. Quis enim vel in Græca vspiã vel in tragœdia Latina phalecios legit? aut quid omnino tragicum sapit hic versiculus, à tetrica illa grauitate resiliens penitus atq; abhorrens? An verò non & Martianus ipse negat propemodum clarè de tragœdia hũc esse, si verba modò ipsius fideliter recitata, diligenter quoque expendantur? An non ille Saturam suam, quòd austera, & censoria, quodq;

Medea Ouidij.

quõdque nimium tragici supercilij, lusus castigauerat, quasi repercutiens, & ad frõtem (quod dicitur) exporrigendam inuitãs, Peligni, inquit, de cetero iuuenis versiculo respisce, & (ni tragicum corrugaris)

Ride si sapis ò puella, ride?

Ni tragicum, inquit, corrugaris, id est, nisi frontem caperas tragica seueritudine. Quod significat rugarum tristitia, & squalore asperas. Igitur si de tragœdia sit ipsa versiculus, quo reuocare vno maximè Saturã suam poëta hîc ab austeritate illa tragica molitur, sane locus hic (vt arbitror) Frigidus hybernas cana niue conspuet alpes. Iam siquis de sinceritate lectionis istius, ambigat, libros velim Martiani vetustißimos inspiciat è publica Medicæ gentis Florentina bibliotheca, sic enim profectò fidem nostram, credo, sua diligentia adiuuabit. Caperare frontẽ.

Agon, verbum. quo victimarius vti solitus, de quo etiam in Fastis Ouidius. CAPVT LX.

OVIDIVS in primo Fastorum:

Nominis esse potest succinctus caussa minister,
Hostia cælitibus quo feriente cadat:
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper agátne rogat, nec nisi iussus agit.

De hoc mactãdæ victimæ ritu, deq; itẽ verbo, quo sacerdotis minister vteretur, apud vnum duntaxat Senecã in libro eodẽ oratorum, rhetorumq; tertio, factam reperio mentionem per hæc verba: Deinde cùm scholasticorum summo fragore, & tu quisquis es carnifex, cùm strictam sustuleris securim, antequam ferias patrẽ respice. Bellè deridebat hæc Asinius Pollio: Filius, inquit, ceruicem porrigat. Carnifex manũ porrigat, deinde respiciat ad

Agon. patrem,& dicat,Agon'? Quod fieri solet victimis. Sed loco quoque remoto,aiebat rem verisimam, non posse carnificem venire,nisi eo tempore, quo iam exorari pater non posset.Hæc Seneca.Quo colligitur, verbũ quo victimarius identidem vtebatur, Agon' fuisse, hoc est, Agóne.Quare bellè Ouidius:

Semper agátne rogat, nec nisi iussus agit.

Erratum in codicibus Plinianis super Cicuta,vinoque Quodque mendosè apud Macrobium Aconitum pro Conio.

CAP. LXI.

Plinij locus. VERBA ex epistola Androcidis ad Alexãdrum Magnum,clari sapientia viri,vitiosè posita in Plinianis his codicibus reperiuntur hoc modo.Vinum potaturus rex, memento te bibere sanguinem terræ. Sicuti venenum est homini cicuta,ita & vinum. Leuis profectò sententia, nimisq; violenta,& coacta,addo etiam insipida,falsaq; vinum esse homini venenum, sicuti cicutam. Sed enim in vetustissimo illo Medicæ familiæ Pliniano codice, citato à nobis iam sæpe, sic inuenias: Cicuta homini venenum est, cicutæ vinum. Non vt hominem cicuta, sic cicutæ virus meri potus extinguit. Ex eóque persuadere Alexandro nititur Androcides,vt tanquam re potentissima parcius vtatur vino,quod veneni venenum sit. Vnde nõ dissimili sensu terræ esse sanguinẽ docuerat. Quocirca de verbis eius ita Plinius concludit,neque viribus corporis vtilius aliud,neque voluptatibus perniciosius, si modus absit.Consimiliter etiam idem in lib. v. & xx. de cicuta narrans vt homini exitiosa.Remedium est,ait, priusquam perueniat ad vitalia,vini natura excalfactoria.Quod idẽ Dioscorides prodidit.Diuus igitur Amb. in libro quem de vtilitate ieiunij composuit, Etiam,inquit, maior vis vini, quàm veneni. Denique venenum

Cicutæ vinũ venenum.

Vini vsus.

vino

vino excluditur, non vinum veneno. Sed & Plutarchus in Sympoſiacis libris eadem fermè, quæ Plinius de cicuta. Tum eum locum, ſicutiq; alios permultos, propè ad verbum conatus exprimere eſt in Saturnalibus Macrobius. Quanquàm in omnibus, quos quidem hactenus viderim Macrobianos codices, Aconitũ pro cicutare peritur, ſicut in vetuſtiſſimo etiam Bernardi Michelotij bene litterati hominis, & amici nobis: Sed enim opinor mendum eſſe id exemplarium, nec enim mihi tam fuiſſe ineruditum Macrobium perſuaſerim, vt quo deſſet Græcè Conion, ipſe Aconitum verterit. Libentius credidérim Græco vſum vocabulo, ſicuti quoque Ambroſius in Hexamero Conium dixit, quod ex Baſiliano paris argumenti libro & tituli, cicutam Rufinus tranſtulit. Lubricus autem ſanè lapſus in aconitum, de conio.

Conion non aconitũ ſed Cicuta.

Qui ſint Arietini teſticuli: quid digitus medicus apud Tullium. CAPVT LXII.

CICERO ad Herennium libro tertio de memoriæ artificio tractans, ita imaginem quãdam inſtruit. Et reũ, inquit, ad lectum eius ſtatuemus, dextra poculũ, ſiniſtra tabulas, medico teſticulos arietinos tenẽtem. Quo loco video hæſitare litteratores quoſpiã etiã haud extremæ ſortis, quid ſit quod legimus, medico teſticulos arietinos tenentem. Medicus autem vnus è digitis quinque vocatur, hoc eſt, vt arbitror, minimo proximus. Porphyrio enim ſuper Horatianum illud ex vltimo ſermone,

Cic. loc.

Medicus.

-Qui ſiquid forte lateret,
Indice mõſtraret digito. Sic ait: Hoc ideo, quia certis nominibus ſinguli digiti appellabãtur, et ſunt hæc nomina: Pollex, index, famoſus, medicus, minimus. Quidã verò è Græcis, credo iunioribus nomina digitorum ἐπωνυμίας ſic

Digitorũ nomina.

Id eſt, Romanè,

sic esse scribit, ἀντίχειρ, δείκτικὸς, ἰατρὸς, δακτυλιώτης, ὠτίτης. vt si dicas, Pollex, index, medicus, anularis, auricularis. Quod equidem nec affirmo, nec refello. Tantum notandum, medicum ab eo dictum, qui sit medius, aut famosus, non qui minimo proximus. Apud ipsos autem leguntur hæc nomina, ἀντίχειρ, λιχανὸς, σφάκελος, ἐπιβάτης, μέσος. De testiculis autem arietinis legis in vocabulo Scortes in Festi compẽdio sic: Scortes, id est, pelles testium arietinorum, ab eisdẽ pellibus dicti. Tantùm apud Festũ. Sed enim Pedianus sportas, sportulas, sportellas, nummũm esse ait receptacula, & saccos, sacculos, sacellos, & crumenas, & velleas, & scorteas, & manticas, & marsypia. Vt nihil sit dubium quin è digito eo, qu sit minimo proximus, suspẽsas haberi velit scorteas, hoc est, è testibus arietinis pelliceas crumenas.

Testiculi arietini, Scortes. Sporta. Loculorũ nomina. Marsypia.

Aliter citari à Varrone Terentij verba, quàm aut in exemplaribus habeatur, aut Donatus agnouerit.

CAPVT LXIII.

Terentij locus. Scortari.

MARCVS Varro in libris de lingua Latina sic ait: Apud Terentium, scortatur, potat, olet vnguenta de meo. Scortari est sæpius meretriculam ducere. Sic ille, ac deinceps alia in eam sententiam. Ceterùm Terentiani omnes ad vnum codices, non scortatur habent, vt Varro legit, sed obsonat. Locus autẽ in Adelphis est: Obsonat, potat, olet vnguenta de meo. Quam lectionem etiam Donatus agnoscit. Quid hîc igitur dicemus (mendúmne esse in Terentianis omnibus codicibus, an quòd vix credere ausim) memoriola vacillasse Varronem quoque ipsum πολυγραφόταλον à Cicerone appellatum, sicuti eundem Ciceronem Gellius deprehendit? Vt fateamur etiã maximis quibusque ingenijs officere incuriam nonnunquam,

quam, prodesse vsquequaque diligentiam.

Declarati versus Ausonij, sed & Ouidij super Choliambo, aut Scazonte. CAP. LXIIII.

AVSONII Poëtæ sunt trimetri versus ita: Ausonij locus.

Cui subiurgabo de molarum ambagibus,
Qui machinali saxa voluunt pondere
Tripedes caballos, terga ruptos verbere.

Quid hîc eum significare opinemur? Nempe, vt arbitror, versus illos, qui Choliambi, vel Scazontes appellantur, vt si dixeris claudicantes, quales apud Persiũ in principio, qualis ille itẽ Martialis, ab ipso nominatim citatus: Choliambi. Scazontes.

Apollinarem conueni meum Scazon.

Est enim Scazon trimeter iãbicus, senis & ipse constans pedibus, sicuti rectus iambicus hoc vno dispar, vt etiam scribit Hephestion, quòd rectus postremam sedem iãbo, pyrrhichióue occupat, in antepenultima cunctos accipit pedes, quorum modo id metrum sit capax, circa syllabarum quantitates indifferens. Sed claudus hic iambicus clausulam postulat spondaicam, vel trochaicam prorsus. Penultimum autem pedem, non disillabum modò, sed iambum planè, vel spondeum. Quod verò ait Hephestion, Spondeum recipi sede quinta choliambi, nunquam equidem apud Latinos inuenire me commemini. ipse versiculum hunc adducit Græcum:

Επ' ἄκρον ἵλκων ὥσπερ ἀλλαντα ψύχων.
In summum trahens velut extrà refrigerans.

Et Quintilianus Aristides Græcus auctor in libro de Musica, super iambico loquens trimetro, Claudum fieri ait quando in extremo spondeum recipit. Deniq; Ouidius quoque in priore libro de amorum remedijs de vtroque Iambo sic scribit:

Liber in aduersos hostes stringatur Iambus,
Seu celer, extremum seu trahit ille pedem.

Sunt autem vtrique ad maledicentiam, libertatemq; facti, truces, & cruenti. Quare ob id stringẽdos etiam ait Ouidius in aduersos hostes. Dionysius item Halicarnasseus in libro de interpretatione, vehemens, aut acre metrũ esse choliambos ait. Idemq; mox Hipponactem, cùm lacessere cõuicijs inimicos vellet, infregisse ait de industria metrum, ac pro recto claudum fecisse, & abnumerum, hoc est, acrimoniæ consentaneum, conuicioq;. Nam sicuti dissoluta figura parat acrimoniã, sic (vt ille inquit) dissoluta cõpositio. Quare caballos vtique choliambos eos Ausonius nominat, quorũ tralationẽ duxerat ab essedo, & vehiculo, cui caballi adiunguntur: & vt tardos ostenderet, de molarũ ambagibus captos dicit, præterea terga ruptos verbere: tum eosdẽ tripedes vocauit, quia Græcè trimetri, quamuis senos habeãt pedes, nãbini quiq;, pro singulis vidẽtur in iãbicis capi. Qui machinali saxa voluant pondere: propterea dixit, velut molas describeret, quas versare ipsos indicauerat: velut eos violẽtos, ferocesq; ostẽderet allegoricõs, quasi qui lapi desingẽtes torquent, & voluunt in hostẽ. De trimetro item vtroque sic idem Ausonius alibi Græco versiculo:

Εἰλιτοδίην σκάζοντα, καὶ ὃ σκάζοντα τρίμετρον.

Quod Latinè sic vertas:

Loripedem scazonta, & non scazonta trimetrum.

De scazontibus eisdem sic in epistola quapiã ex lib. v. apud iuniorẽ Plinium: Proinde aut rũpe moras, aut cauene eosdẽ istos libellos, quos tibi hẽdecasillabi nostri blãditijs elicere nõ potuerũt, cõuicio scazontes extorqueãt.

Choliambi. Abnumerus. Caballi. Trimetri. Scazõtes.

Qui sit habitus in statuis pacificator, deque eo sentire Statium in prima Silua. CAP. LXV.

STA-

STATIVS *in Siluula, prima quæ in equum maximũ scripta est:* – *Iuuat ora tueri*
Mixta notis belli, placidamq; gerentia pacem.
Tum idem
Dextra vetat pugnas.

Statij locus.

Quem locum Domitius *sic enarrat.* Dextra vetat pugnas, *hoc est, inermis est in statua, vel ad dextram est templum Pacis, quod non placet, inquit. Ceterùm sicuti placet hîc sensus,* Dextra vetari pugnas, *quia sit inermis, aut item quod de templo ipso traditur Pacis, quanquàm nec auctori quidem placet suo, feram nõ molestè scilicet huic sententiam meam non probari. Nam ego notari habitum puto, qui pacificator in statuis diceretur. De quo ita legimus apud* Quintilianum: *Fit & ille habitus, qui esse in statuis pacificator solet, qui inclinato in humerũ dextrum capite, brachioq; ab aure protenso, manum infesto pollice protendit, qui quidem maxime placet ijs, qui se dicere sublata manu iactant. Hactenus* Quintilianus. *Extat autem adhuc pacificatore habitu (ni fallor) statua illa Romæ, quæ pro æde Laterensi inter prima vrbis spectacula conuisitur.*

Habitus pacificator. Quintil. locus.

Locus in Plauti Mustellaria, & item alter in Milite, vindicati à vitio.

CAP. LXVI.

IN *Mustellaria Plauti locus est mẽdosè scriptus plerisq; codicib⁹ ad hũc sanè modũ. Viden' ornamẽta in foribus? video. Specta qua arte dormiunt: dormiunt. Ille quidẽ vt cõuenit volui dicere, Sed cũ de his neq; sensus eliciatur vllus, & festiuũ Plauti dictũ vitio librariorũ pereat, faciam, vt arbitror, operæpretiũ, si scripturam incolumem de Plautino codice citato à nobis, iterum reposuero. Est autem prorsus hæc: Viden' coagmenta in foribus? video. Specta qua arte dormiunt; dormiunt. Illud quidem vt conni-*

Plauti locus.

Conniuere. conniuent volui dicere. Nam quia conniuere dicuntur, qui dormitant, vt apud Cinnam lectus est versiculus:

Iam grauus ingenti conniuere pupula somno.

Coagmenta. Propterea cùm in foribus iuncturas esse minimè laxas, id enim coagmenta sunt, Tranio seruus ostenderet, dormire eas ridiculè prius, dein etiam conniuere ioculariter dicit, ex oculis dormitantium ducta metaphora. Similiter corrigendum puto locum alterum ex Plautino Milite, qui sic vitiosè legitur: Mirus oleo victitare te tam vili tritico. Quid iam? quia luscioſus. Verbero, ædepol tu quidem cæcus, nõ luscioſus. Nam cùm nullus hinc elici sensus queat, legendum arbitror sic: Miruſt lolio victitare te tam vili tritico. Si quidem hoc vbiq; idẽ apud Plautum, miruſt, pro mirum est reperies. Atq; lolio vitiari oculos etiam ait Ouidius Fast. primo:

Plauti locus alter.

Et careant lolijs oculos vitiantibus agri.

Notat id Fulgẽtius quoq; nõ contemnẽdus Grãmaticus. Quare cũ Sceledrus seruus luscioſum, vitiatisq; oculis cõseruũ Paleſtrionẽ velit significare, mirũ esse ait victitare eũ lolio, cùm sit ipſum triticum tã vile. Lolio autẽ victitare eũ, colligere ſe vel inde affirmat illudẽs, quòd ſit luscioſus. Luscioſi porrò ſeu luscicij, qui vitium hoc habent oculorũ, vt clarius veſperi, quàm meridie cernãt.

Lolio victitare. Luscioſi. Luscicij.

Cornicem videri apud vetereſ concordiæ ſymbolum, non vt omnes apud Iuuenalẽ exiſtimant Ciconiam. CAP. LXVII.

PRO comperto iam habetur Ciconiam deniq; esse, qua concordiæ repræſentaretur apud Priſcos effigies, atque ita versiculum Iuuenalis omnes interpretantur:

Iuuenalis locus.

Quæq; ſalutato crepitat concordia nido.

De eo tamẽ nullum omnino afferunt teſtimoniũ quod auctoritatis adminiculo ſuſtẽtetur. Ego cornicẽ magis accipio, ductꝰ Heliani Græci ſcriptoris teſtimonio, qui libro de

de animalibus tertio, de hac aui sic propemodum scribit: Cornices, inquit, inter se fidißimæ sunt, & cùm societatem coierint, maximo se opere diligunt. Neque id genus animalia videat quispiam licenter misceri, & temere. Quin hoc quoque dictitant, qui res istiusmodi callent, altera extincta, comparem viduam degere. Ceterùm id quoque audio, veteres in nuptijs post hymenæum cornicem inuocare, signumq; id cõcordiæ dare ijs cõsuesse, qui liberũm quærendorum gratia cõueniissent. Tum qui sedes auium, & volatus obseruant, inauspicatũ esse captantibus auguria dicunt vnius tantum cornicis obsequiũ. Sic ille. Sed et in nomismatis aureis duobus. Faustinæ Augustæ, manifestã prorsus imagunculã nuper mihi Laurentius Medices ostendit, cũ titulo ipso cõcordiæ. Cornieß cõcordia.

Versus ex Callimacho super crinibus reginæ Berenices, atq; inde mendum ex Catulli exemtũ versiculo. CAP. LXVIII.

ELEGIAM Callimachi de crinibus Berenices inter sidera receptis mira elegantia vertit in Latinam linguam, nobilis Poëta Catullus, quamuis pleraque sint in ea corrupta mendosáque, & temerè scripta librariorum inscitia. Sed argumentum ipsius partim apud Hygi-num Latinum auctorem partim etiam apud Theonem, neque non Achillem quoque Græcos Arati enarratores inuenias. Græca sanè ipsa Callimachi elegia nõ extat ad nos quantum compererim, sed ætate intercidit. Apud Theonem tamen Arati eiusdem interpretem principium illius tale reperio: Catulli locus.

Η μὲ Κόνων ἰδλιψεν ἐν ἀἰέρι Βερενίκης
Βόστρυχον, ἣ κείνη πᾶσιν ἐθήκε θεοῖς.
Velme Conon vidit in aere Berenices
Crinem, vel illa omnibus posuit Deis.

Prætereaq; in cõmentarijs super Apollonij Rhodij ex Lucilio Tarrheo, Sophocleo, ac Theone, collectis, vbi de

de Chalybib⁹ agitur libro secũdo, sic adeò est inuenire,

Id est, meminit ipsorũ & Callimachus Chalybum vt pereat genus à longè exoriẽtem malũ germen quiipsum demonstrat.

μίμνητ' ἀυτῶν καὶ Καλλίμαχος χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος τηλόθεν ἀντέλλον κακὸν φυτὸν οἷμιν ἔφηναν. Ex quo versiculum sic illum legendum quis dubitet? Iuppiter vt Chalybon omne genus pereat. Vt sit Chalybon Græcè dictum. Atque hoc inscitè legunt quidam Telorum. Vulgatißimi codices cælitum retinent contra etiam metri ratione. Sed hanc scio nostram obseruationem iampridẽ esse peruulgatam, quam tamen à nobis ortam, vel ille ipse scit, qui vulgauit, libenterq; etiam fatetur vir doctißimus vndecunque Picus.

Oarion sinceriter esse apud Catullum, quod Aorion isti legunt, qui bonos violant libros. CAP. LXIX.

Catulli locus.

IN elegia eadem Catulli ex Callimacho, Oarion legitur pro eo, quod sit Orion. Quam quoniam integram adhuc, inuiolatámque dictionem nonnulli temere attentare iam incipiunt, contra hanc sinistram imperitorum audaciam standum mihi est omni (quod aiunt) pede, vel Callimachi eiusdem auctoritate, qui sic in hymno ipso in Dianam, etiam nunc extante, ait:

Οὐδὲ γὰρ ὅτος οὐδὲ μὴν ὠαρίων ἀγαθὸν γάμον ἐμνήσαντο.

Nihil quidem Otos, nihil quidem Oarion bonas nuptias ambierunt.

Sed & Nicander Theriacῶν libro consimiliter:

Βοιωτῷ τίνυχθε κακὸν μόρον ὠαρίωνι.

Bœoto parans malum fatum Oarioni.

Et Pindarus in Isthmijs:

Οὐ γὰρ φύσιν ὠαριωνίαν ἔλαχεν.

Non enim naturam Oarioneam sortitus est.

Et alibi:

Ὀρτίαν πτελέαν μὴ τηλόθι ὠαρίωνα νάσσαι.

Mon-

Montanam à columbis non longè Oariona accederè.

Quare putat Eustathius quinto in Odisseam commentario, Ὠαρίωνα ὃ ὀαρίζειν appellatum. Non igitur Aorion, sed Oarion verè lectio. Id est, à cõuersãdo cũ mulieribus.

Cuius in Bruti nomismate symbolum sint pileus, & pugiones. CAP. LXX.

Bruti imago.

Si quis nomisma Bruti reperiat ipsius cælatum imagine prætereaq; pileo, & duobus pugiunculis, ne diutius in explicanda ratione, caussaq; laboret, legat historiarum Dionis librum XLVII. Nam ex his, inquit, Brutus significabat ab se, & Caßio patriã liberatam. Sed enim pileũ gestari ab his solitũ, qui libertatẽ nacti, vulgatius, manifestiusq;, quàm vt sit auctoritatibus confirmandũ.

Quæpiam vulgò legi adhuc apud Maronem contra regulam, contraque rationem metri. CAP. LXXI.

Vergilij locus.

Pvdet referre quàm manifestum, sed nondũ tamẽ à quoquam (quod sciam) nisi nobis indicibus animaduersum, mendũ Vergilianis codicibus inoleuerit lib. Aeneid. octauo,

Quod fieri ferro, liquidóue potestur electro.

Electrũ.

Ceterum in volumine illo, quod est in intima Vaticana bibliotheca mirè vetustum, & grandibus characteribus perscriptum, non potestur offendas, sed potest vsitatius verbum. Quæ etiam verior esse lectio, vel inde probatur, quod electrum vbique prima syllaba lõga, tam apud Græcos ponitur, quàm apud nostros. Neque quidquam interpretes super verbo potestur alioqui nouo, inusitatóque loquuntur. Haud tamen prætersijt me veteres hoc quoque protulisse, sicut Pacuuium in Chryse, sicut etiam Lucretium, quemadmodum & poteratur lectum à Nonio Marcello, est in Cæcilianis annalibus. Sed & alter locus itidem vitio consimili laborat apud eundem Poëtam;

Vergilij alter locus.

Scep-

Sceptra Palatini, sedémque petiuit Euandri.

Cùm in volumine eodem non petiuit trissyllabum, sed petit dissyllabum scriptum inueniatur. Quod & metri vis cogit, alioqui prima syllaba Euandri, contra omnem vel rationem, vel consuetudinem breuis foret. Est verò in vtroque versu spondeus quinta sede. In verbo autem petit syllaba ipsa posterior, vel quia sit in fine, vel quia coaluerit vna ex duabus, iure producta est. Martianus autem Capella syllabam docet vbique esse communem, quæ desinant in t, literam, sicut in illo cernimus Vergilij.

T, finita syllaba cõmunis.

Nam tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis.

De Philyra & lemniscatis coronis. CAP. LXXII.

PHILYRA quid sit video nesciri à plerisque, peruersèque etiam à nonnullis interpretibus accipi. Nã vocabulo eo sic vtitur Horatius in primo Carminũ,

Horatij locus.

Displicent nexæ philyra coronæ.

Et Ouidius item quinto Fastorum:

Ebrius incinctus philyra conuiua capillos Saltat.

Quo apparet vsum ipsius apud veteres in coronamẽtis fuisse percelebrẽ. Iã primũ igitur si conferas, quæ super philyra Theophrastus in tertio de Plantis, quæ ũe itẽ Plinius in decimosexto Natur. historiæ narrãt, facilè nimirũ cognosces eandẽ apud nos esse tiliã, quæ philyra sit apud Græcos. Ac sic etiam Theodorus Gaza quantũuis homo doctus, & diligens interpretatur. Porrò autem tuniculæ etiã quædam ex libro ipso tiliæ arboris, vel ad eius imitamentũ factæ, quibus aut lemniſci fierẽt, id est, fasciolæ de coronis pẽdulæ, aut libelli, Græco vocabulo peculiariter appellatæ philyræ. Testatur partem ex his eodẽ libro Plinius his versibus: Inter corticem & lignũ tenues

Tilia.

Lemniſci.

tenues tunicas, multiplici mẽbrana, è quibus vincula tiliæ euocantur, tenuißimè earũ philyræ coronarum lemniſcis celebres, antiquorum honore. Rurſusq; idem libro primo atque xx. de lemniſcis & philyris ita meminit: Craſſus diues primus argento, auroq; folia imitatus ludis ſuis coronas dedit. Acceſſerunt quoque & lemniſci, quos adijci ipſarũ coronarũ honos erat propter Hetruſcos, quibus iungi niſi aurei, nõ debebant. Puri diu fuere ij. cælare eos primus inſtituit P. Claudius Pulcher, bracteasq; etiam philyræ dedit. Porrò lemniſcatas coronas, etiam (ni fallor) in nomiſmatis Laurentij Medicis identidem videmus: deq; his mentio quoq; apud Suetonium, ſicuti item à Pompeio Feſto lemniſcorum vocabulũ diligenter exponitur, deq; lemniſcis itidem nonnihil Tertullianus quoq; in libro de corona militis. Nicas autem in commentario, quem per ordinem litterarũ compoſuit, Græcè ille quidem, ſed in hunc ferme intellectũ philyrã interpretatur: Philyra, inquit, planta librum papyro ſimilem habens, ex quo etiã funes cõplicant. Eſſe autẽ ductilem philyrã lanicij modo, vel netilẽ potius innuit & Tertullianus idem in libello eo, qui de pallio inſcribitur. Quin Herodianus etiam Græcus auctor, olim à nobis in Latinũ conuerſus, & Innocẽtio octauo põtifici maximo dedicatus, libro ipſo hiſtoriæ primo, mentionẽ libelli facit è philyra tenuißima, vtroq; verſum replicabili. Sed & capella Martianus libro de Philologiæ nuptijs ſecũdo, Cernere erat, inquit, qui libri, quantáque volumina, quot linquarũ opera ex ore virginis defluebant. Alia ex papyro, quæ cedro perlita fuerãt videbãtur. Alij carbaſinis voluminibus implicati libri, ex ouillis multi quoq; tergoribus. Rari verò in Philyræ cortice ſubnotati. Tũ iſta quoq; Vlpiani verba reperias in titulo Digeſtorũ,

Cælare. Lemniſci. Coronæ Lẽniſcatæ

Nicæ cõmentarij. Philyra.

de legatis, & fidei cõmissis: Librorũ appellatione cõtinentur omnia volumina, siue in charta, siue in membrana sint, siue in qualibet alia materia. Sed & si in philyra, aut tilia, vt nõnulli conficiunt, aut in alio corio, idẽ enim erit dicendum. Deniq; etiam Eustathius in cõmentario secundo Homericæ Odysseæ, facta prius de nauticis rudentibus mentione, corticẽ tiliæ dicit, quã Græcè philyrã nominat, plurimã in id genus funium suppeditare materiam. Receptũ autem videtur ex eo vti coria quoque singula, vel tunicas, aut membranulas etiam materiæ dispáris à tilia, philyras vocent, aut philuras, y Græca in u cõmutata, veteri, & peruulgata Latinorum cõsuetudine. Sicuti de papyro agens Plinius lib. xiij. Præparantur ex eo, inquit, chartæ diuisæ acu in prætenues, sed quàm latissimas philuras. Nã illud vtiq; ad hæc enarranda neutiquam pertinet, quod idem ait Plinius lib. XIIII. Philyra cocos, & polline nimium salem cibis eximere.

Philuræ.

Salis exemptio.

Vocabulum quod est expernata, Cattullianis videri exemplaribus reponendum. CAP. LXXIII.

QVOD nunc traditurus sumus fortasse à nonnullis vt incertum, & vacillans, parúmque adhuc exploratum deridebitur, & exsibilabitur: sed ego mihi de eo dicendum putaui, ne vestigium istud antiquitatis penè iam abolitum, qualecunque sit, extingueretur. Ostendit mihi Romæ abhinc quadriennium Manilius Rallus Græcus homo, sed Latinis litteris adprime excultus, fragmentum quoddam Sexti Pompeij Festi (nam ita erat in titulo) sanè quàm vetustum, sed pleraque mutilatum, præroſúmque à muribus. Quod me magnopere tenuit, siquidem reliquiæ illæ qualescunque ex integro ipso volumine superabãt, quod auctor Festus cõposuerat, non ex hoc autem compendiario, quod nunc in manibus

Festi Põpeij opus.

manibus coactum violenter, & decurtatum, scilicet ab ignobili, & indocto quodam, nec isto quoq; nomine satis bene de litteris merito. Nonnullas quoque ex eodem fragmento, Pomponius Lætus vir antiquitatis, & litterarum bonarum consultißimus sibi pagellas retinuerat, quas itidem legendas mihi, describendasq; dedit. Ex lectione igitur ea suspicatus vtique sum, verbum me Catullianum quasi postliminio in suas sedes reuocaturum. Siquidem vbi exponitur in hoc compendiario vocabulum Supernati, quod eos significare ostendit, quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum atq; ex Ennio versus allegatur:

Pomp. Lætus.

Catull. locus.

Supernati

His pernas succidit iniqua superbia Pœni.

Hoc vtiq; loco vetus codex circunrosam planè habet expositionem, sed ita tamen, vt appareat ex reliquijs litterarum malè cohærētibus, Cattullum quoq; post Ennium adduci, citariq; eum versiculum, qui nunc mendosè sic legitur:

In fossa Liguri iacet separata securi.

Nam vt de carminis residuo nihil mihi arrogem temere, videbar sanè tum syllabatim quæq; olfactans, etiam pro explorato afferre posse, Expernata legendum in eo, non Separata, quantum ex paucis illis potera veluti minutalibus, aut ramentis colligere, quātumq; etiam vel ex oblitteratis penè iam vestigijs ariolari. Quòd si cui pendère adhuc veri fides videtur, at pendeat equidem malo, quàm aut cadat, aut iaceat. Nos aliquod in eo certè, nec arbitror iniuria, ponimus firmamentum.

Expernata.

Historia non illepida super Zeuli pictore, & Helena. CAP. LXXIIII.

Helenæ imago.

ZEVSIS ille pictor Heracleotes adprime nobilis etiam Helenæ pinxit imaginē Crotoniatibus nimis quàm laudatam, de qua Cicero in rhetoricis cōtra Hermagoram

ram luculẽtißimè ſcripſit. Sed quod obiter in Heliani libris omnifariæ hiſtoriæ ſuperioribus annis apud Ioannẽ Laurentium Venetum magnæ quidem in pontificia curia auctoritatis, nec minoris tamen in litteris eruditionis, ſed & emunctæ naris hominem Romæ legimus, id nobis neutiquam indignum viſum, quod hìc etiam legeretur. Neminem, ait, ſpectatum Zeuſis admittebat, niſi qui manu pretium dediſſet. Ex quo vulgò etiam tunc Helena meretrix vocitata, quoniam quæſtuaria.

Emendata vox in ibide: ſimul explicata ſententia neutiquam nota hactenus. CAP. LXXV.

ENARRAVIT Domitius libellum Naſonis in Ibin, præfatus ex Apollodoro ſe, Lycophrone, Pauſania, Strabone, Apollonio, alijsq; Græcis, etiámque Latinis accepta ſcribere. Multa in eo commentario vana, ridiculaq; confingit, & comminiſcitur ex tempore, cõmodoq; ſuo, quibus fidem facit aut ſe frontem penitus amiſiſſe, aut tam magnum ſibi fuiſſe interuallum inter frontem, & linguam (ſicut ait quidam) vt frons comprimere linguam non potuerit. Furor eſt adhuc aliquos tam cæcos iſtius hominis inueniri amatores, vt ad iſta nondum ſuos qualeſcunq; oculos adaperiant. Furor eſt profectò, furor dare occaſionem impudentiæ ceteris fouendo errores etiam alicuius, quoniam fuerit interdum ſententiæ nõ pœnitendæ. Sed quid iſtis facias litterationis, nõ litteraturæ magiſtris, qui nullo magis, quàm talibus nugis ſupercilia tollunt, vt cochleæ cornua, quorumq; plũbea prorſus ingenia, quàm magis excolũtur, tã magis obbruteſcunt? At enim ne penitus ludamus operã, diſſimulatis his, quos ſua facit vilitas cõtemnendos, exequemur reliqua propoſiti. Mihi igitur ille vnus locus inter ceteros mouere ſtomachum ſolet, qui ſic mendoſè nunc legitur: Vtq;

Inter frõtẽ & linguã interuallum.

Literationis magiſtri:

Vtq; loquax in equo est elisus gutture Agenor,
Sic tibi claudatur pollice vocis iter.

Vbi sic ait Domitius: Agenor lapsu equi inserta ori manu extinctus est. Itáne tãdem vir doctißime? Sed oro te, mi Domiti, Græcum profer, si potes, aut Latinum, modò idoneum, fabulæ istius auctorem, nec recusabo iam quin me, non dixerim gregales, aut admiratores tui, sed viri quoq; litterati, quibus hic labor exsudat, pro indoctissimo iam, proq; etiam impudentißimo damnent, & quidem cunctis suffragijs, quoniam à te dissentiam. Mihi sanè recta esse, & emendata scriptura videtur, si rationi libera coniectura sit, nõ Agenor, sed Acerno, vt de Anticlo dictum accipiamus. De quo est etiam apud Homerum libro IIII. Odysseæ: Nã cum ad equum illum Troianum, trabibus cõtextum, grauidumq; militibus impulsu numinis acceßisset Helena, voces imitari vxorum cuiusque occepit, vt inibi delitescentium desideria euocaret, refricaret memoriam, responsa tentaret elicere. Sed enim reliquis patientiam, silentiumq; præstantibus, cùm solus Anticlus in respondendi lubrico, articuloque iam foret, statim est ab Vlysse præuẽtus, & manibus impressis suffocatus. Itaque intercepto, vel interstructo potius indicio periculum depulsum. Ceterùm Tryphiodorus quoque Græcus auctor in poëmate, quo de Ilio capto scribit, Anticlum hunc Ortygidem appellat, vxoremq; eius nominat Laodamiam, ita inquiens:

Ouid. in Ibin loco Anticlus.

Helenæ conatus.

Laodamia

Ορτυγίδης δ' Αντικλον ὃν αυτόθι τεθνειῶτα
Ἵππῳ λακρύσαντες ἐνεκτερέϊξαν Αχαιοί.
Ortygides autem Anticlu, quem ibi mortuum
Equo lacrymantes sepeliuerunt Achiui.

Et item alibi sic:

Αντικλον δ' ὅτε κέντρον ἐλίξατο Λαοδαμείης.

Μῦνος ἀμοιβαίην ἀντιβάλλετο γῆρυν ἀνοίξας
Ἀλλ' Ὀδυσεὺς κατέπαλτο.

Anticlus verò cùm ſtimulum accepiſſet Laodamiæ,
Solus reſpondentem incepit vocem aperire.
Sed Vlyſſes irruit.

Et alia deinceps addit, per quæ fabula omnis ſimiliter ab Homero verſibus permultis explicatur. Sed & nos in Ambra ſic attigimus:

Indicijq; metu præcluſum pollice fauces
Anticlon Ortygidem. Conſimilia verò iſtis apud Domitiũ multa, quæ facilè arguant, quò fuerit illius proceſſura licentia, præſertim ſic inuitata fauoribus imperitorum, niſi morari apud ſuperos adhuc quidem iuuenis deſiſſet.

Non Antilochum ab Hectore: ſed aliter videri legendum in prima Heroidum. CAP. LXXVI.

Ouidij in Heroid. locus.

IN prima Heroidum Naſonis epiſtola, ſic legitur:
Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore victum.
Sed victum, necatumq; ab Hectore Antilochũ profectò neutiquã reperietur. Quare aut Amphimachũ credidérim legendum aut non ab Hectore, ſed Memnone. Conſtat enim ex XIII. Homeri Rhapſodia, occiſum ab Hectore Amphimachũ Cteati filium, qui de Græcis ducibus vnus etiam in catalogo numeratur. Cõſtat item interfectum à Memnone filium Neſtoris Antilochum. Quamobrem in eo quod obtinuerat hactenus, mendũ deprehẽditur manifeſtariũ, ſic his à nobis ita pro tẽpore ſuffectis, quæ lector velim boni cõſulas, aliqua, ni, fallor, gratia ſi non veritatis, at certè veriſimilitudinis aſſentatur.

Amphimachi cædes.

Antilochi cædes.

Quo argumento dicendum Vergilius non Virgilius. CAP. LXXVII.

Vergilij.

VERGILIVS dicendúmne ſit, an Virgilius, vt nunc vulgò loquuntur, hoc eſt, cum vocali ſecunda, an cum tertia

tertia potius in prima syllaba, video adhuc inter eruditos ambigi. Ceterum vt ego Vergilium dicam magis per e, quod iam placere quibusdam per nos etiam doctis incipit, quàm Virgilium per i, quod vulgò nimis obtinuit, in caussa sunt veterrima aliquot monumenta, nostræ observationi patrocinantia, quæ libens equidem subijciam propter propudiosos nescio quos, & æruginis plenos, odio omni, fastidioq; dignissimos: qui quanquam semper elementarij sunt, vindicare tamen inter indoctos fauto- Vindico
res audent sibi censuram litterarum. Sic vt istam quoq; qualemcunq; nostram vetustatis deprehendendæ, ac reuocandæ (si liceat) diligentiam, studiumq; non cauillentur modò, sed & ita reprehẽdant acerbè, quasi flagitium facere putẽt, quòd his otium oblectemus, vel (vt ipsi magis contemptim) quòd ob hæc otio nostro inuideamus, dum in rebus adeò friuolis, & leuibus operam sumimus, quasiq; tempus, rem pretiosissimã, in superuacua erogamus. Qui tamen si legissent aliquando maximos viros de singulis quoque litteris integra volumina cõposuisse, ac ne Cæsarem quidem ipsum veritũ in hanc tenuitatem descendere, darent fortasse mihi veniã, non occupatißimo homini, si quando inter altiora studia, etiam res istiusmodi tractarem, paruas quidẽ, sed quibus etiam magna iuuentur. Neque enim reprehendi me iure puto, si hæc etiam, sed hæc sola consecter, ad quæ non vt ab otio ad studium, sed vt à studio ad otiũ me refero, & in quæ non tam feror ex professo, quàm casu incido, ceu si littoribus ex cõmodo inambulans, conchas interim colligam securus. Neq; tamen in id ego superciliũ subduco, nec inde me cẽseri facilè paterer, vt qui nõ Apinas, modò hæc esse & trichas, vt in prouerbij ludicro est, veriẽ etiam pene nihil, & voui, & fateor. Sed tamẽ hoc ipsum

tam nihil præstat agere, quàm longas ad ipsorum fortasse exemplum trahere oscitationes, & grunnire in cœnq turpiter, aut quàm omnino nihil agere, ne nihil prorsus agẽdo malè discamus agere. Reddẽda igitur testimonia sunt nobis, necubi fides claudicet, ac nequid non in expedito sit noscere volentibus. Inuenies igitur Volsinis mensam quampiam marmoream, vetustißimis, peneq; exoletis characteribus intra ædem Christinæ virginis, quæ pro ara est Apostoli Petri, vbi VERGILI legitur. Inuenies etiam Sutri nomen hoc Vergilius ita notatum in mensa item lapidea, qua videlicet et ipsa intra ædẽ Virginis vice vtuntur altaris. idq; nos vtrinque non sine aliquot arbitris etiam de proximo inspeximus. Neque enim antiquarum duntaxat inspectionum auriti testes, sed & oculati esse cõcupiuimus. Quin in Pãdectis quoque ijs, quæ nunc Florentiæ publicè asseruantur, libro ipso Iustiniani principis archetypo, nõ aliter quàm per e, notatur id nomen, sicuti etiam in volumine Maroniano litteris maioribus perarato, qui Romæ in intima Vaticana bibliotheca mirè vetus ostenditur. Prætereáque cõmentarium Tiberij Donati nũc in manibus habet Lãdinus homo & eloquens, & eruditus, & Florẽtiæ iam diu doctor bonarũ litterarũ celebratißimus, cui se præceptori adulescentiæ meæ rudimenta magnopere debẽt, & qui nunc in professione quasi dixerim collega, locata iã in tuto sua sibi fama, nobis adhuc in stadio laboriosißimè decertantibus ita fauet, vt quidquid ipsi laudis acquirimus, quasi suum sibi amplecti, atq; agnoscere videatur. Is igitur (vt diximus) cõmentarium Tiberij Donati habet in manibus, & ipsum grãdioribus notatũ vetustis characteribus, cuius auctoritas hoc haud dubiũ reliquerit. Quod itẽ in codice diui Aug. de ciuitate Dei, ex pub-

Christophorus. Lãdinus.

ex publica Medicæ familiæ bibliotheca, neque non in Columellæ ex priuata eiusdem gentis, litteris vtroque Langobardis exarato. Tum in Senecæ epistolarũ libro peruetere, cuius mihi copiam fecit Nicolaus Michelotius Laurentij Medicis à secretis, elegantis homo ingenij, multisq; item alijs venerandis antiquitate voluminibus, idẽtidem nunc Iacobo Modesto Pratensi familiari nostro, & studiorum adiutori, nunc alijs item nostris auditoribus, vtcunque aut res ferat, aut exigatur, ostẽdimus. In collectaneis autem, quæ nuperrime ad Laurentium Medicem Iucundus misit, vir vnus, opinor, titulorum monimentorumq; veterum supra mortales ceteros non diligentißimus solùm, sed etiã sine controuersia peritißimus, relata quoque inuenio elogia duo, quæ Romæ (sicut ille indicat) in marmoribus inueniuntur: TI. VERGILIVS DONATVS. Et iterum: C. PAPIRIVS CESTVS VERGILIAE OPTATAE VXORI SVAE BENE MERENTI DE SE. Quamuis autem monimenta ista tanta seculorum vetustate roborata, mihi satis ad præsidium sint, attamen res ipsa quoque astipulatur, & ratio. Nam sicuti à vere dictæ vergiliæ stellæ, sic à vergilijs ipsis, vel item à vere proprium hoc nomẽ crediderim inclinatum potius hercle, quàm à virga, quod quidam nugantur, laurea. Nam id cùm apud auctorem minus idoneum inueniatur, tum refellitur hoc ipso, quòd multi ante hunc editum poëtam, eodem sunt appellati nomine. Quandiu igitur aut non testimonium grauius, aut non ratio valentior exhibetur, vtique à vetusta magis consuetudine, quàm à noua insciti a standum est, vnde hæc sartago loquendi venerit in linguas. Etenim magna pars iuniorum caligamus ad veri conspectum. Quin vt reliqua exequar, Verginius quoq;

Iucundus Veronensis.

nomen huic finitimum, non Virginius in marmoreo nu-per labro pro æde ipsa diuæ Mariæ Maioris insculptum Romæ animaduertimus.

Additam falsò negationem primo Digestorum volumine, quo capite de officio proconsulis agitur, & legati. CAP. LXXVIII.

Digest. locus. PAVLVS *iurisconsultus libro secundo ad edictum ita scribit: Legatus mandata sibi iurisditione iudicis dãdi ius habet. Sed hæc verba in primo Digestorum volumine, quo capite de officio procõsulis & legati tractatur, addita perperam negatione in plerisque codicibus inuenias, sic videlicet Legatus mandata sibi iurisditione iudicis dandi ius non habet. Ceterùm in Pandectis istis* Archetypæ Pandectæ. *Florentinis, quas etiam archetypas opinamur, negatio prorsus est nulla. Quo fit, vt interpres legum Florentinus Accursius, mendosum & ipse nactus codicem, penè dixerim miserabiliter se torqueat.*

Cur Lysimachi regis facies in nomismatis cornigera. CAPVT LXXIX.

Lysimachi facies cur cornigera. LYSIMACHI *regis facies in nomismatis cornigera. Caussa eius apud Appianum in Syriacis. Nanque ait ab eo ferum taurum de sacrificio Alexandri Magni vinculis elapsum retentum manibus ambabus, & occisum. Atque ob id, inquit,* προσιθίασι ἐπὶ τοὺς ἀνδριάντας ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς. *Quod significat, ob id eis statuis denique apponi cornua.*

Fabula ignotior de Tiresia & Pallade, qua sensus aperitur Propertianus. CAP. LXXX.

Propertij locus. PROPERTIVS *in libro Elegiarum quarto sic ait:*

Magnam Tiresiæ aspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lauat.

Id est, In lauacra Mineruę. *Extat adhuc hymnus Callimachi poëtæ, cui titulus* εἰς λουτρὰ Παλλάδος. *In quo fabula Tiresiæ multis elegiacis*

cis versibus in hanc fermè sententiam tractatur: fuisse Nympham quampiam Thebis, cui nomen Chariclò, Palladi præ ceteris gratam, matrẽ Tiresiæ. Sed quũ se Pallas aliquãdo, & Chariclò item in Heliconio Hippocrene nudæ per æstum lauarent, ac tum casu venator Tiresias ad eundem fontem sitiens accessisset, Mineruam scilicet imprudens nudam conspicatus, statimq; oculis est captus. Nam ita Saturnijs legibus cautum, inquit, vt qui Deum inuitum cernat, ingenti mercede cernat. Cui simile quippiam de dearum conspectu etiam Abammon Aegyptius in epistola scribit ad Porphiriũ philosophum, quam tamen existimat Proclus Iamblichi potius esse, quàm Abammonis: ex quo Vergilius: Transq; caput iace, ne respexeris. Quod & Leucothea Homerica monuit Vlyssem. Sed vt illuc, vnde abij, redeam: Cùm in hãc Tiresias calamitatem incidisset, mota lacrymis Chariclûs Nymphæ Pallas, & vatem eum, & longæuum, & post obitum quoque prudentem, sapientemq; præstitit, & baculo insuper donauit, quo veluti duce, vestigijs inoffensis graderetur. Quod & nos in Ambra sic attigimus, quum de poëta loqueremur Homero:

Chariclo. Tiresias cur oculis captus.

Verg. locus.

-Baculum dat deinde potentem
Tiresiæ magni, qui quondam Pallada nudam
Vidit, & hoc raptam pensauit munere lucem,
Suetus inoffensos baculo duce tendere gressus.

Et itẽ sic in Nutrice Tiresiã periphrasticos insinuauimus:

Quid cui post visos nudatæ Palladis artus
Cernere nil licitum?

Quin hinc apud Nõnũ lib. 5. Dionysiacõn, ita exclamãs inducitur Actæon, vt felicem Tiresiam dicat qui citra mortem tãtùm amissis oculis Mineruam aspexerit nudã, quæ etiam lumen ademptum in animum ipsius transtulerit

lerit. Atque adeò sic ait:

Ολεις τυφλὸς, οὐ μὴν ἴδρακες ἐκτὸς ὀλίβρου
γυμνὸν ἀναινομένης οἰκτίρμονος εἶδος Ἀθήνης.
Felix Tiresia, tu quidem vidisti citra perniciem
Nudam inuitæ misericordis formam Minervæ

Et paulò pòst:

Σῶν σῶν βλεφάρων ὀλίσας φάος ὃ, μείρων δὲ
Ὀφθαλμῶν ἀμάρυγμα νόῳ μείξηκεν Ἀθήνη.
Vius tuorum oculorum perdito lumine, vestrorum verò
Oculorum splendorem cum mente commutauit Pallas.

Hactenus autẽ super hoc poëtæ loco scripseramus, cùm nobis Picus noster Mirandula, quasi Cynthius alter in illo ipso, quo iam hæc imprimenda fuerant articulo, aurem vellit, & admonuit, vt elegiam quoque ipsam Callimachi, quæ videlicet vna extat apud Græcos (quantum equidem sciam) sed & rarißima est inuentu, subijceremus, & quanquàm spatijs iniquis excluſi temporis, vertere eam quoque tamen in Latinum tẽtaremus. Ego verò, qui nec scribere alieno stomacho libenter soleo, nec extemporalitati satis confido, non distuli tamen id onus quoquo modo subire. Quoniam cùm quid à me Picus exigit, nec licet mihi nescire quod nesciam, nec nõ posse quod nequeam: vel quòd homini me carißimum sentio, vel quòd plus eum videre in rebus meis, quàm meipsum mihi persuadeo. Vertimus igitur penè ad verbũ, & quod Græcè dicitur παραπόδια, non sensu modò, sed numeris etiã, quod est difficilimũ, coloribusq; seruatis. Tãtumq; nunc admonemus lectorẽ, paucula videri mihi adhuc mẽdosa in Græcis exemplaribus, quæ non erat pudoris nostri corrigere, sed & septimum ipsum à fine versiculum reliquo vno dũtaxat vocabulo exoleuisse, quem nos tamen Latinum pro cõiectura suffecimus. Illud itẽ scito esse opus, nostrũ hoc esse interpretamentum, & à nobis denique

Faceta dictio. i. eucstigio.

hiq; fluxisse prius, quàm in vllius commentarijs ebullieret, quod & Syluæ per se ipsæ, quas citauimus, tot abhinc annos editæ probabunt, quarum videlicet altera magno sumus olim conuentu publice multis excipientibus interpretati. Sit ergo nostri iuris, quod nostri fuit muneris, ne quarta omnino luna (sicuti prouerbium fertur) nati credamur, vt alijs tantummodo ad Herculis exemplum laboremus. Iam illud quoq; miror, cur & Domitius, & alij quidam post illum, quocunque momento, quacunq; occasione scribere audeant, hoc aut illud imitatione Callimachi dictum fuisse à Propertio, cùm præter hymnos pauculos nihil prorsus extet ad nos poëtæ istius, nec autem planè quidquam quod amoris argumẽta contineat. Sed aures ad Callimachi iam versiculos subscriptos veteri more sine vllis accẽtiunculis arrigamus.

Luna quarta nati.

Καλλιμαχου εις λουτρα της Παλλαδος.

Οσσαι λωτροχοοι τας Παλλαδος εξιτε πασι,
Εξιτε. ταμ ιωπωμ αρτι φρυασσομεναμ.
Ταμ ιεραμ εσακουσε. και, αθι Θ ευτυκΘ ερπει.
Ξοσθε νυμ ω ξανθαι, ξοσθε πελασγιαδες.
Ουπο Ταθαναια μεγαλως ατιενιψατο παχεις,
Πριμ κονιμ ιωπειαμ εξελασει λασσονωμ.
Ουδ' οκαδ' η λυθρω πεπαλαγμενα παν]α φεροισα
Τευχεα των αδικωμ ηνθ' απο γηγενεομ.
Αλλα πολυ πρα]ισομ υφαρματΘ ωχενας ιωπωμ
Λυσσμενα παγαις εκλυσεμ·ωκεανω,
Ιδρω και, ραθαμιγγας, εφοιβασεμ δε παγενσα
Πανσα χαλινοσφατωμ αφρομ απο σομα]ωμ
Ειτ' αχαιιαδες και μη μυρα, μηδ' αλαβασσοωσ
Συριγγωμ αιω φθογγομ υπαξονιωμ.
Μη μυρα λωσοχοοι ται παλλαδι μηδ' αλαβασρωσ

Ου γαρ αθανατα χρηματα μιχτα φιλει.
Οιδε τε μηδε κατωξομ. αει καλον ομμα το πανυ.
Ουδ οκα ταν ιδαν φρυξ ελικαστεν ερικ,
Ουδ ες ορθαλκον μεγαλα θεον, ουδε σιμουντο
Εβλεψεν δινας ες λιαφαινομεναν.
Ουδ ηρη. κυπρις δε διωγεα χαλκων ελοισα
Πολλακι ταν αυταν δις μετεβηκε κομαν.
Αλλ, δις εξηκοντα διαβρεξασα διωλυς.
Οια περ ευρωτα. τοι λακεδαιμονιοι
Ασπιδες, εμπεραμως εξιφαλο λιτα λαβοιτο
Χειμαθα τας ιδιας εκγονα φυταλιας.
Ω κουραι, το δε ρευθος ανεδραμε πρωιον, θιαν
Ηροδοτον η σιβυλης κοκκος εχει χροιαν.
Τωικαι νυν αρσειν τε κομισατε μυρον ελαιον,
Ω κασωρ ω και χριεσθαι ηρακλεης.
Οισιτε και κτενα οι παγχρησιον, ως απο χαιτας
Πεξησθαι, λιτραρον σμαξαμενα πλοκαμον.
Εξιθ αθαναια πολυ τοι καθυμιος ιλα.
Παρθενικαι μεγαλων παυδες ακεσοσιδαν,
Ωθανα. φερεσθαι δε και α διομηδεος ασσις,
Ως εθος αργειων τουτο παλαιοτερον
Συμηλης ειδιδαξε τειν κεχαρισμενος ιρευς.
Ος ποτε βουλευτον γυνος επι οι θανατον
Δαμον ετοι μαζονδε, φυσα τειν ιρον αγαλμα
Ωι χειτ εχων, κρεον δε εης ορθωικισατο
Κρεον ορθον. σει δε λαιμον αποορρωγεσιν εθηκεν
Εν πιεσαις. αις νυν ονομα παλλαδιδες.
Εξιθ αθαναια περσεπολι, χρυσεοπηληξ
Ιππων και σακεων αδομενα παταγωι
Σαμιον υδροφοροι μη βαπτετε. σαμιον αργον

Πινε

πίνιτ απο κραναν, μη δ'απο των ποδ̃ων.
Χαμιρον αι λωλαι τας καλπιδας ης φυδ̃δλαν
ης αμυμωνην οισετε ταν λαναω.
Και γαρ λη χρυσω. τε και ανθεσιν υδατα μιξας,
ηξη φορβαιον ινα χ Θ εξ ορεως.
Τα θανα το λοιξ̃ον ατων καλον αλλα πελασγε
Φρασειο μ ουκ ιθελων ταν βασιλδαν ιδης.
Οσκιν ιδη γυμναν ταν παλλαδα ταν πολιδ̃χον,
Τωργ Θ ισοθειται τδτο πανυσατιον.
Πο]νι αθαναια. συ μδυ εξιθι. μισθα λιεω τι
Ταις δ ερια. μυθ Θ δ'ουκ εμ Θ αμε]ιρων.
Παιδις αθαναια νυμφαν μιαν εν ποκα θηβαις
Πδλυ τι και πδει λη φιλαπο ταν εταραν.
Μα]ερα τηρισιαδ και ουποκα χωρις εγενπο.
Αλλα και αρχαιων ενθ εδι θεσπιεων.
Η δι κορωνειας εις αλιαρτον ελαυνοε
Ιππους, βοιω]ων ερια διερχομενα.
Η πι κορωνειας, ινα οι τεθυωμενον αλσ Θ
Και βωμοι δοταμω καντ επι κουραλιω.
Πολλακις α λαιμον μιν εω επεδαδ]ο λιφρω.
Ουδ δαρος νυμφαν ουδε χοροσασιαι
Δ'δεται τελεθεσκον, οδ ουχ αγεπο χαριχλω.
Αλλ ετι και τη ναν δακρυα πολλ εμενε,
Και περ αθαναια καταθυμιον ευδ̃ν εταιραν.
Δη ποτε γαρ πεπλων λυσαμενα περονας
Ιππω επι κρανα, ελικωνιδι καλα ρεοισα
Λουτο μισαμδινα δεη χ ορ Θ ασυχα,
Αμφο]ιραι λωον]ο. μισαμβριναι δισαν ωραι
Πολλα δ ασυχα τηνο κα]εχεν ορ Θ.
Τηρισιας δειτι μδν Θ αμαι κυδιν αρτι γενεαν
Περκαζων, ιερον χωρον αγεδρεφετο.

Διδασεις

Διϊφάδης λαφαῖον τι ποῖ ῥοον ἦλυθε κρανάς
Σχεῖλιον. οὐκ ἐθέλων λείπει τὰ μηδεμίδεις,
Τὸν δὲ χόλῳ μὲν ἄπερ, ὅμως προσέφασεν ἀθανάτη,
Τίς σε τὸν ὀφθαλμῶς ὄκ ἐτ ἀποισόμενον,
Ὦ ἐυκρείδα χαλεπὴν ὁδὸν ἀγαγὲ λαιμῶν.
Ἀ μὲν ἔφα. παιδὸς δ' ὀμμάτων νὺξ ἐβάλεν.
Ἔσθη λαφθογγος. ἐκώλαξεν χαρᾶναι
Γωνάτων καὶ φωνὰν ἔσχεν ἀμηχανία.
Ἀνυμφα δ' ἐβόασε, τί μοι τὸν κῶρον ἐρέξας
Ποῖνια. ποινωτὶ λαιμόνες ἔστε φίλαι.
Ὀμμάτων μοι τὸ παιδὸς ἀπείλεο. τέκνον ἄλασε
Εἰδὲς ἀθανάτας ἔνθεα καὶ λάσονας.
Ἀλλ' ὄκ ἀείλιον παλὶν ὀφθαι. ὦ ἐμὲ δείλαν.
Ὦ ὀρθ. ὦ ἐλίκων ὄκ ἔτι μοι· πάρεστε.
Ἦ μεγάλ' ἀντ' ὀλίγων ἐπράξαο, δόρκας ὀλέσασα
Καὶ πρόκας οὐ πόλλας, φάτα παιδὸς ἔχεις,
Ἀ μὲν ἐπαμφοτεραῖς φίλον πέρι παιδὶ λαβοῖσ.
Μάτηρ μὲν γοερὸν οἶτον ἀηδονίδων,
Ἄγε βᾶρυ κλαίουσ. θεὰ δ' ἐλέησεν ἑταίρᾳ.
Καὶ μὶν ἀθανάτα πρὸς, τὸ δ' ἐλέξεν ἐπ.
Διὰ γυναῖ. μετὰ πάντ' βάλεν πάλιν ὦσα δὶ ὀργᾶν
Εἶπας. ἐγὼ δ' οὐτοῖ τέκνον ἔθηκ' ἀλαόν.
Οὐ γὰρ ἀθανάταις γλυκερὸν πέλει ὀμμάτων παισὶν
Ἁρπάζειν. κρόνιοι δ' ὡδὲ λέγοντι νόμοι.
Ὅσκε τιν' ἀθανάτων ὀκὰ μὴ θέμις ὠτὸς ἑλῆται
Ἀθρῆσαι μίσθω τόδ' ὁρᾶν μεγάλω.
Διὰ γυναῖ. τὸ μὲν οὐ παλίναγρετὸν ὠὐδὶ γένοιτο
Ἔργον. ἐπεὶ μοῖραν ὧδ' ἐπένευσε λίνα.
Ἀνίκα τὸ πρῶτον νὶν ἐγείνατο κύν δὲ κομίζεν
Ὦ ἐυκρείδα τέλθος ὀφειλόμενον.
Ὦσα μὲν ἀκάδημις ἐδύσερον ἐμπύρα κώσσα,

Ὦσα

Οσα δ' αζεσθαι τὸν μόνον εὐχόμενοι,
Παῖδα τὸν ἀβάκχην ἀκταίονα τυφλὸν ἰδέσθαι.
Καὶ τὴν μεγάλας σωφρονοῦσαν Ἀρτεμιδῶν
Ἔσεται ἀλλ' οὐκ ὦπτον ὁ τε Ἀρμοδίου αἰτήσας ἔρεας
Ῥυσεῦνται ξῆναι ταμὼν ἑκαβόλιαι.
Ὁππότ' ἂν οὐκ ἐθέλον πειρῶ δὴ χαρίεντα λοιβὰ
Δαίμονι. ἀλλ' ὦται τὸν πρὶν ἄνακτα κωφεῖσι
Τόσσακι λειπνήσευντι. τάδ' υἱέι ὅσσα μάτηρ
Δέξεται Ἄρυμος πάντας ἐπερχόμενα
Ὀλβίσαν ἐρίηρες ἐὼν εὐαίωσα γενέσθαι,
Ἐξ ὀρέων ἄλαον παῖδ' ἀντόδεξα μέναν.
Ὦ ἑτέρα, τῶ μητὶ μινύριε τῶ δὲ χαρ' ἄλλα
Τεύχαεν ἐξ ἐμέθεν πολλὰ μενεύντι γέρα.
Μαντὶν ἐπεὶ θήσεω νιν ἀοίδιμον ἐσομένοισιν.
Ἦ μεγάτων ἄλλων δή τι πόθι ἀστερόεν.
Γνώσεσθαι δ' ὀρνίθας ὅσ' αἰσιόων, οἵτε πέτονται
Ἠλίβατα, κοὐ τοίων οὐκ ἀγαθαὶ πτερύγες.
Πολλὰ δὲ βοιωτοῖσι θεοπρόπα, πολλὰ δὲ καθμῶ
Χρήσει, κοὐ μεγάλοις ὕστερα λαθρακίδαις.
Δῶσω κοὐ μεγὰ βάκχον, ὃ οἱ πολλὰς ἐς ἄεθλον ἄξει,
Δῶσω κοὐ βιότου τέρμα πολυχρόνιον.
Καὶ μὸν εὖ τε θανὶ πεπνυμένον ἐν νεκύεσσι
Φοιτάσει, μεγάλων τιμίος ἀγεσίλα.
Ὡς φάμενα κατένευσε. τὸ δ' ἀντέλες οὐκ ἐτινεύσθη
Παλλὰς. ἐπεὶ μόνα ζεὺς τοῦ θυγατέρων
Δῶκεν ἀθαναίαν, παγχρύσια πάντα φορεῦσαι
Λωτοχόοι. μάτηρ δ' οὔ τις ἐτίκτε θεάν.
Ἀλλὰ δι' ὀρυφᾶ δι' οὐκ ἐπίνευε.

θυγάτηρ.

Ἔρχεο ἀθαναίαν νῦν ἀγέεις. ἀλλὰ μὰ χέσθε
Τὰν θεὸν ὦ λῶραι. τὸ ῥῆγος ὅσσαις μέλεται,
Σὺν τ' ἐναγοσίᾳ σὺν τ' ἐνύμασι σὺν τ' ὀλολυγαῖς,

Χαιρε θια. καλλυ αργι Θ ιναχου.
Χαιρε και εξελαοισα. και ες παλιν αυτις ελασσαις
Ιππους. και λαναων κλαρον απανθα σαω.

Iã nostros quoq; legito, qui malè collocare bonas horas volet, attamen cũ venia quæso, et cõuenientibus oculis.

POLITIANI EX CALLIMACHO in Palladis lauacra.

ITE foras agedum, quæcunque liquentibus vndis
Membra leuaturæ Pallados, ite foras.
Ipsa venit, fremitus sacrorum audimus equorum,
Ite agedum flauæ, ô ite Pelasgiades.
Non prius ingentes lauit sibi diua lacertos,
Ilia quàm absterserit puluere cornipedum.
Nec tum quando armis multa iam cæde cruentis.
Venit ab iniustis horrida terrigenis,
Tum quoque equũm subducta iugis fumantia colla
Perfudit largi fontibus Oceani,
Dum sudor, guttæq; putres, dumq; omnis abiret
Spuma oris circum mansa lupata rigens.
Ite ô Achiuæ, sed non vnguenta, aut alabastros,
Audio certè ipsum stridulum ab axe sonum,
Palladi lotrices non vnguenta, aut alabastros,
Nulla etenim diuæ huic vnguina mista placent.
Ferte nec huic speculum, vultu est pulcerrima semper,
Nam nec in Ida olim iudice sub Phrygio,
Se vel orichalco, magna hæc dea, vel Simoëntis
Spectauit, quanquàm vertice perspicuo.
Nec Iuno, sed sola Venus, se splendido in ære
Vidit, eandem iterum dispositq; comam.
Bis sexaginta spatijs verùm incita cursu,

Stela

Stellæ apud Eurotan ceu Lacedæmoniæ
Perfricuit tantùm pingui se diua liquore,
De baccis, arbor quem sua protulerat.
O pueræ emicuit rubor ilico, matutina
Quem rosa, quem grano Punica mala ferunt.
Ergo marem nunc tantum olei quoque ferte liquorem,
Quo se vngit Castor, quo Amphitryoniades.
Ferte etiam solido ex auro, quo pectine crines
Explicet, & pinguem cæsariem dirimat.
Exi age iam ò Pallas, præstò tibi virgineus grex,
Natæ magnorum charus Acestoridum.
O Pallas, quim iam clypeus Diomedis & ipse
Fertur vt Argiuûm mos vetus obtinuit.
Eumedes docuit, meditans tibi grata sacerdos,
Cùm in se composito, cerneret interitu
Ire malam sortem, fugit quippe ille, tuámque
Ad montem Crion sustulit effigiem.
Ad montem Crion, tum abruptis imposuit te
Cautibus, hasq; vocant nunc quoque Pallatidas.
Exi age, quæ expugnas vrbes, cuiq; aurea cordi
Cassis, equumq; fremor, cum sonitu clypeûm.
Vos hodie vndiferæ ne tinguite, vos hodie Argos
Fontibus ex ipsis, non fluuijs bibite.
Vos hodie ancillæ ferte vrnas ad Physadea,
Aut ad Amymomem progeniem Danai.
Namque auro, & multis permistus floribus vndas
Defluet è lætis Inachus ipse iugis,
Et purum feret huic laticem. caue tu ergo Pelasge,
Ne nudam imprudens aspicias dominam.
Aspiciet nudam qui Pallada, quæ tenet vrbem,
Vltra iam hoc Argos cernere non poterit.

Iam veneranda exi Pallas, dum quiddam ego istis
Dicam, nec meus hic sermo, sed alterius.
Vnam olim ò puerę Thebis dea Pallas amabat
Nympham, prę cunctis quas habuit comites,
Matrem Tiresiæ, nunquamq; fuêre seorsum:
Sed siue ad veterum mœnia Thespiadûm,
Siue Coroneas, seu tenderet illa Haliarton
Bœotum visens vecta iugis populos,
Siue Coroneas, vbi pulcer odoribus halat
Lucus, vbi ara ipsi Curalium ad fluuium.
Sæpe illam curru secum dea vexit eodem,
Nullâque nympharum colloquia, aut Thyasi
Grata fuêre satis, nisi præforet ipsa Chariclò.
Verùm & ei multæ debitæ erant lacrymæ,
Quamuis cara comes magnæ foret vsque Mineruæ.
Nam se olim peplis vtraque depositis
Dum lauat in lymphis Heliconidos Hippocrenes,
Vtq; die vacuus mons tacet in medio.
Dum lauat ergo vtraque, & mediæ sunt tempora lucis,
Dumq; est in toto plurima monte quies,
Tiresias vnus canibus comitantibus ibat
Per loca sacra, leui flore genas nitidus,
Immensamq; sitim cupiens releuare, petito
Fonte, videt quæ non cernere fas homini.
Hîc irata licet sic illum affata Minerua est,
Quis te non vllis iam redditurum oculis,
O Euerida malus hæc Deus in loca duxit?
Sic ait: at pueri lumina nox pepulit,
Astitit, obticuit, dolor illi vt glutine vinxit
Genua, sonum tenuit vocis inops animus.
At Nympha exclamans, quid nato, ait, ò dea factum est?

Nun-

Nunquid vestra deæ talis amicitia?
Lumina mi pueri rapuisti, pectora nate
Vidisti infelix Pallados, iliaq;.
At non & solem cernes iterum heu misera, ô mons,
O Helicon rursum non peragrande mihi.
Magna nimis paruis mutas, qui lumina nati
Pro ceruis paucis, dorcadibusq; habeas
Sic puerum ambobus carum complexa lacertis
Mater flebilium carmen Aëdonidon
Triste gemens iterat. sed enim miserata Minerua
Tunc sociam, verbis talibus alloquitur:
Dia, inquit, mulier, verte hæc, quæ protulit ira,
Non per me captus luminibus puer est.
Nam pueris auferre oculos aut dulce Mineruæ,
Verum Saturni legibus hæc rata sunt,
Vt quicunque Deum aspiciat, nisi iusserit ipse,
Mercede ingenti scilicet aspiciat.
Dia igitur mulier fieri hæc infecta nequit res,
Quippe ita Parcarum fila voluta manu,
Editus vt primùm puer est, sed tu accipe contrà
O Euerida quod maneat pretium.
Munera Cadmeis pro quanta adolebit in ignes,
Quanta & Aristæus, votaq; suscipient,
Natus vt impubes Actæon, vnicus illis
Tantùm oculis careat, namq; erit & Triuiæ
Concursor, sed non cursus, non æmulus illum
Tela arcu iaciens montibus eripiet,
Cùm diuam (licet inuitus) se fonte lauantem
Viderit: at fiet, qui modò erat dominus,
Esca suis canibus. Sed enim nemora omnia lustrans
Dum genitrix nati colliget ossa sui,

Tunc te felicem, tunc dixerit esse beatam,
Cui mons vel cæcum reddiderit puerum.
Parce queri mea grata comes: nam plurima contrà
Huic ego te propter præmia contribuam:
Esse dabo egregium vatem, quem protinus omnis
Perpetuo celebret nomine posteritas.
Cognoscet volucrum quæ prospera, quæq; volatu
Irrita, cuius item triste sit augurium.
Plurima Bœotis oracula, plurima Cadmo
Hic canet, & magnis plurima Labdacidis.
Huic ingens baculum dabo, quod vestigia ducat
Qua velit, huic vitæ tempora longa dabo.
Mox & honoratus Diti colet infera regna,
Inter & extinctos vnicus hic sapiet.
Adnuit his Pallas dictis, quodq; adnuit illa
Perficitur, soli Iuppiter hoc tribuit
Natarum è turba, quæ sint patris omnia ferre
Lotrices. mater nulla deam peperit,
Imò Iouis vertex, vertex Iouis omnia nutu
Perficit, & natæ prorsus idem licitum est,
En verè nunc Pallas adest. Eia ergo puellæ,
Queis Argos curæ est, ite, deam accipite,
Cumq; bonis verbis, & cum prece, cumq; vlulatu,
Salue ô diua, vrbem protege, & Inachiam,
Salue hinc abscedens, iterumq; huc flecte iugales,
Ac rebus Danaûm sis precor auxilio.

De Ocno, & Asello, quodque apud Propertium mendosè legitur orno. CAP. LXXXI.

APVD Propertium eundem quarto elegiarum libello, ita duo versiculi leguntur:
Dignior obliquo funem qui torqueat orno,

Aeter-

Aeternusq; tuam pascat aselle famem.

Diu, fateor, animum meum stimulauerat, ac pupugerat quidam quasi scripulus, donec eum codex vetustus euellit, quem mihi Bernardinus Valla celeber Iurecõsultus, & primæ homo nobilitatis Romæ abhinc fermè quinquennium commodauit, vbi non orno, sed ocno legi, legisseque me statim duobus eruditißimis iuuenibus ostendi, qui me domi commodum salutauerant. Liquet autem insinuari à Propertio Socraticæ illius picturæ argumentum, de qua sic Plinius libro naturalis historiæ quinto et trigeßimo narrat: Et piger, inquit, qui appellatur Ocnos, spartum torquens, quod asellus arrodit. At enim piger hic Ocnus (vt video) multorum inuitamentis vagus repentè factus, & desultor, cottidie iam sedes mutat. Quapropter vt certo in siliquastro conquiescat aliquando, petenda fides est ab eo maxime codice, quem citauimus, hoc est (vt verè dixerim) à stirpe, de qua istius cõiecturæ pullulauit occasio. Sic enim quiuis intelliget, neutiquam me mihi asserere aliena, sed mea duntaxat, inq; meis libris nil prius esse fide. Ocnos spartũ torqueat.

Quòd in digestis Titulo de edendo legatur ad alium, legi ad album conuenire. CAP. LXXXII.

IN titulo de edendo, qui secundo Digestorum volumine legitur, verba Vlpiani sunt ita libro quarto ad edictum: Eum quoque edere Labeo ait, qui producat aducrsarium suum ad album, & demonstret quid ductaturus est. Sic etenim scriptum in pandectis ipsis Florentinis. Atqui codices omnes, qui sunt in manibus, non ad albũ, sed ad alium habent. Vnde multa videlicet Accursij hæsitatio. De albo autem prætoris intelliges. Digest. locus.

De Harpocrate. CAP. LXXXIII.

EPIGRAMMA est Catulli:

Catulli locus.

Lælius audierat patruum obiurgare solere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdespuit ipsam
Vxorem, & patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit fecit: nam quamuis irrumet ipsum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

Quæsitum diu quinam is foret Harpocrates, de quo mẽtionem & hoc loco faciat Catullus, & item in altero epigrammate, sic inquiens:

Si quidquam tacito commissum est fido ab amico,
Cuius sit penitus nota fides animi,
Me vnum esse inuenies illorum iure sacratum
Corneli, & factumme esse puta Harpocratem.

Nos tamẽ & Venetijs, & item Veronæ (quod diximus) abhinc annos octo fermẽ de eo studiosis aliquot publicè respõsitauimus, quorum nunc testor fidem, conscientiamq;, sicui forte aliena adscribere, ac non mea potius mihi videor vindicare. Plutarchus igitur in libro, quem de Iside fecit, & Osiride, Harpocratem scribit ex Iside ipsa natum, & Osiride, qui cum illa iam mortuus rem habuerit, sed natum tamen præmaturo partu, debilitatisq; cruribus. Porrò editum eundem circa brumæ tempus minus absolutum, & rudem, præflorentibus puta, præuirentibusq; terræ fœtibus, quocirca etiam lentis primitias illi offerri. Neque tamen, inquit, aut imperfectum esse deum, aut infantem, aut denique legumen aliquod existimandum, sed rudis, imperfectiq; sermonis, minimeq; articulati præsidem quendam potius, ac moderatorem. Ex quo etiam digito labra comprimit, argumentum taciturnitatis, & silentij. Quin mense eo, quem vocant Mesorem, primitias leguminũ offerentes, ita dictitant:

Harpocrates. Eius significatio.

ctitant: Lingua fortuna, lingua dæmõ. Deq; Aegyptiacis arboribus Persicã in primis ei sacratam ferunt quòd fructus cordi, frons linguæ persimilis. Hactenus ex Plutarcho de Harpocrate, carptim, vellicatimq;, & per interualla. Meminit eiusdem Lucilius quoque Poëta Græcus in epigrammate ad Dionysium, monens vt si quem habeat inimicum, nec Isin ei, nec Harpocratem, aut qui cæcos Deus faciat, iratos precetur, cogniturum quid Deus, quid Simo valeat. Sed & Tertullianus in Apologetico sic ait: Serapidem, & Isidem, et Harpocratem, cum suo cynocephalo capitolio prohibitos inferri, id est, curia Deorum pulsos, Piso & Gabinius Consules, non vtique Christiani, euersis etiam aris eorum abdicauerunt, turpium, & ociosarum superstitionum vitia cohibentes: his vos restitutis summam maiestatem contulistis. M. autem Varro in libro de Latina lingua ita scribit: Cælũ & Terra, hi Dei ijdem, qui Aegyptij Serapis, & Isis, etsi Harpocrates digito significat vt taceas. De hoc igitur intellexit Ouidius libro Metamorphoseõn nono:

Persicæ arboris typus.

Serapis & Isis.

Ouidij locus.

Sanctaq; Bubastis, varijsq; coloribus Apis,
Quiq; premit vocem, digitoq; silentia suadet.

Et idẽ Augustinus libro de Ciuitate Dei vndeuigesimo: Et quoniã, inquies, ferè in omnibus tẽplis, vbi colebantur Isis & Serapis, erat etiã simulacrũ, quod digito labijs Impresso admonere videretur vt silentiũ fieret: hoc significare idẽ Varro existimat, vt homines eos fuisse tacerent. Hactenus Augustinus. Sed in epistola Abãmonis Aegyptij ad Porphyriũ, quã aut in Græcã vertisse orationẽ, aut certè cõposuisse Platonicus Iãblichus existimatur de Deo quodam veluti secundo fit mẽtio, cui nomen Aegyptiaca lingua fecerit Icheon, hunc ostẽdit si-

Augustini locus.

Icheon.

lentio coli oportere. Quod idem etiam de summi Dei cultu prolixè Porphyrius ἐν τῷ περὶ ἀποχῆς. Quin Dauid item propheta psalmum ita quempiam inchoat:

Id est, in libro de animaliũ abstinentia.

לְךָ דוּמִיָּה תְהִלָּה אֱלֹהִים בְּצִיּוֹן׃

Dauid locus.

Lecha dumia theilla elohim bezion.

Id Latine significat: Tibi silentium laus, Deus in Sion. Quod aliter tamen interpretes septuaginta verterunt, hoc est, Te decet hymnus Deus in Sion.

Quare Harpocratem, puto, Aegyptij suis adhibebant sacris, qui silentio colendum ostenderet summum Deorum. Plinius quoque de Harpocrate in libro Naturalis historiæ XXXIII. hactenus meminit. Iam verò etiam Harpocratem, statuasq; Aegyptiorum numinum, in digitis viri quoque portare incipiunt. Vt ergo ad Catullianum Lælium redeamus, scitè ille quidem, ne obiurgaretur à patruo, posthabita illius, quam comprimebat vxore, ipsum iam cœpit irrumare patruum, eóque pacto tacere coëgit, quoniam loqui fellator non potest.

De Libertinis, qui vocentur Dedititij.

CAP. LXXXIIII.

Iust. loc.

INSTITVTIONES hæ, quæ vocãtur in Iure ciuili, Iustiniani Principis nomine editæ, sed à Triboniano tamen, doctisq; alijs iuris cõpositæ, etiã Græcè scriptæ sub eodem prorsus intellectu reperiũtur. Nisi quia ritus quidã, consuetudinesq; Romanorum veteres, vberius aliquantò, et laxius in Græco ipso, quàm in Latino codice referũtur, vt peregrinis hominibus, atq; à Romanorũ more, cõsuetudinibq; alienis, res tota penitus innotesceret. Sed quod de libertimis ijs, qui dedititij vocabantur, strictius, breuiusq; in nostris institutionibus, non alienũ visum est ex Græci voluminis sententia prolixius hîc, atq; ob id etiã

Libertini Dedititij.

dilu-

dilucidius explicare. Qui igitur apud antiquos manumittebantur, modò maiorem, & iustam libertatem consequebantur, & fiebant ciues Romani, modò minorem, & Latini Iuniani ex lege Iunij Norbani fiebant, qui illorum quasi secta fuerit inuentor, atq; auctor: Modò etiã inferiorẽ, & fiebant ex lege Aelia Sentia dedititij. Nam si quisquam diu seruitutem seruierat, supplicium ex delicto dedisset, vt aut inscriptus fuisset, hoc est, vt notas, & stigmata iusta fronti accepisset, aut in publicũ carcerem coniectus, aut ex delicto verberatus, & se deliquisse confessus fuisset, dein gratia inita à domino manumitteretur, Libertinus dedititius vocabatur, ad exẽplum videlicet peregrinorum dedititiorum. Nam cùm aliquando peregrini quidam Romanorum vectigales, elatis animis bellum repentè aduersus eosdem suscepissent, tum victi vi, abiectis armis se victoribus dedidissent, hactenus humanè tractati sunt à Romanis, vt vitam quidẽ impetrarent, sed hac velut ignominia notarentur, vt dedititij deinceps vocati sint, quia se dedidissent. Quare etiam libertinorum hoc genus dedititij sunt ab Aelio Sentio nuncupati, vt qui in admittendo crimine velut ijdem fuissent, eodem quoque nomine appellarentur.

Latini. Iuniani. Dedititij. Libertini dedititij.

Cuiusmodi apud Iuuenalem Cereris ludi accipiantur: deq; Cerialium auctore, Memmio. CAP. LXXXV.

IVVENALIS in Satyra quarta decima sic ait: Iuuenal. locus.

=Ergo omnia Floræ,
Et Cereris licet, & Cybeles aulæa relinquas.

Nemo ex ijs Poëtæ huius interpretibus super ludis Cereris quippiã locutus, nõ quo nomine appellarẽtur, nõ quæ fierẽt in eis, non itẽ à quo primitus celebrati, nõ vbi de his facta mẽtio. Quæ singula tamẽ à boni, doctiq; interpretis officio nõ abhorrebãt. Quocirca totum id nobis

sar-

ſarciendũ, ne curæ iſtius noſtræ ſcrupuloſitas in parunlis etiã momẽtis deſideretur. Ludi igitur Cereris, quorũ
Cerialia. hîc eſt memoria, Cerialia dicti, quibus equorũ curſus in Circo celebrabãtur, primusq; eos C. Memmius Aedilis curulis fecit. Cornelius Tacitus in libro Hiſtoriarũ ſexto decimo, de Nerone Principe loquens, Tandẽ, inquit,
Circẽſes. ſtatuêre Circenſiũ ludorum die, qui Cereri celebratur, exequi deſtinata, quia Cæſar rarus egreſſu, domoq;, aut hortis clauſus ad ludicra Circi vẽtitabat. Et paulò pòſt: Vtq; Circenſium Cerialium ludicrum pluribus equitum curſibus celebraretur. Ouidius in quarto Faſtorum:

Ouidij locus. Circus erit pompa celeber, numeroq; Deorum,
Primáque ventoſis palma petetur equis.
Hîc Cereris ludi, non eſt opus indice cauſſa.

Dion quoq; hiſtoriæ ſcriptor in libro ſecundo & quaAediles. drageſimo narrat potito iam rerum Cæſare, Aediles tũ primũ duos ex patricijs, quatuor ex plebe creatos. Sed
Cercales. duos illos ſuperiores à Cerere fuiſſe denominatos: idq; ab illo initio ſcribit ad ſuam vſque ætatem permanere. Idémque etiam Dion libro ſeptimo quadrageſimóque, ante deuictum Brutum euenìſſe ait, vt Aediles plebei gladiatorum certamina pro equorũ curſibus Cereri exhibuerint. propterea Laurentius Medices, vir omni laude præcellens, nomiſmata, compluria nobis oſtendit, quæ faciem viri barbatam, & intonſam habebant, cum duplici titulo, Quirinus & C. Memmij. Altrinſecus autem Cereris imagunculũ draconibus vehentem, cũ titulo huiuſmodi: Memmius Aed. Curul. Cerialia preimus fecit. Vbi etiam preimus nõ primus cum diphthongo in priore ſyllaba notatum obſeruauimus. Hunc nos putamus au-
Mẽmius. tem C. ipſum Memmium fuiſſe, qui Prætor cum L. Domitio fuerit, quique Cæſari obiecerit etiam ad cyathum

& vinum Nicomedi stetisse, cũ reliquis exoletis, quiq; eundem Cæsarem asperrimis orationibus lacerauerit, mox reconciliatus, etiam suffragatorem in petitione consulatus habuerit. De quo sic in epistola ad Atticum Cicero libro quarto, O virum, ò ciuem Memmium. Cæsaris omnes opes confirmant, cum eo Domitium consulem iunxerunt, qua pactione, epistolæ committere non audeo. Ad eumq; puto, vel certe ad filium liber Poëtæ Lucretij de rerum natura scriptus. Si quidem & dignitas hominis, & tempora congruunt, nisi tamen arbitrari malumus filium potius eiusdem C. Memmij, cognominem patri, Aedilem Curulem tum factum à Cæsare.

De fluctu decimo, seu Decumano, cuius permulti Poëtæ meminerunt. CAP. LXXXVI.

Decimũ, seu decumanum. Ouidij locus.

OVIDII Poëtæ versiculi sunt in primo Trist. volumine:

Qui venit hinc fluctus, fluctus supereminet omnes,
Posterior nono est, vndecimóque prior.

Decumanũ intelligit fluctum, qui fieri maximus dicitur: sicuti oua quoque decumana dicuntur, quæ maxima. Nã & ouum decimum maius nascitur. Ex hoc scuta quoque decumana, quæ essent amplissima, sunt appellata. Et decumana in castris porta, ab hoste auersa. Sicutiq; decumanus in agro limes ab oriẽte ad occasum, non mihi propterea videtur dictus, quoniam quasi duo cimanus, vt M. Iunius Nypsus opinatur, id enim nimis durum, et coactũ, sed quoniam longimus. Nam cardo ipse iam dimidiatus decumano scilicet anticipante, consideratur. Sed de fluctu decimo, siue decumano, etiam in vndecimo Metamorphoseõn Poëta idem meminit his verbis:

Vastius insurgens decimæ ruit impetus vndæ.

Et Silius Italicus libro XIII.

Non aliter Rhodopes Boreas à vertice præceps,

Cùm

Cum sese immisit, decimóque volumine pontum
Expulit in terras.

Sed & Seneca in Tragœdia Agamemnone:

Hæc onere sidit, illa conuulsum latus
Summittit vndis, fluctus hanc decimus tegit.

Valerius etiam Flaccus Argonauticωn secundo sic ait:

-Quanta quoties & Palladis arte
Incassum decimæ cecidit tumor arduus vndæ.

Lucanus quoque in quinto Pharsaliæ:

Hæc fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Inualida cum puppe leuat. Vt vel hoc ipsum notabile sit, atq; insigne tantopere decimum istum fluctum velut à conspirante Poëtarum choro celebrari.

Quod erat in Ciceronis epistola vocabulum Philotheoron, corruptum dein improbè in nomen, quod est Philocteten. CAP. LXXXVII.

Ciceronis locus.

IN Ciceronis epistola ad Trebatium, cuius initium, In equo Troiano scis esse in extremo, serò sapiunt: ita scriptum ferè cunctis exemplaribus inuenitur. Deinde quòd in Britannia non minus, quàm Philocteten te præbuisti, planè non reprehendo. Diu me torseram, macerauerámque eliciendo sensu de verbis his, neque procedebat. Quorsum enim de Philoctete hîc Cicero? Sed enim postea codicè illum vetustißimum Laurentij Medicis opera sum nactus, quem & superius citaui, minus multò, quàm ceteri, deformatum, in quinatum, peruersum, conturbatum. Nam in eo sic erat: Deinde quòd in Britannia non minus philotheorum te præbuisti, planè non reprehendo: Nam philotheorus is est, qui spectationum studiosus, qualem se Trebatius in Britannia præbuerat, dum prælium fugitans ocio se asserit in armis medijs. Ex quo Ciceroni materia ioci, & cauilli.

Philotheorus.

Vnde

Vnde illud tractũ, fuimus Troës, quæq; extent in literis super Lacedęmoniorũ choro, & cantico. CAP. LXXXVIII.

FVIMVS Troës, huic loquendi color tam efficax, de consuetudine chori illius Lacedæmonij ductus, quasiq; in adagium ascitus. Nam vt est scriptum apud Plutarchum in libello, cui sic est titulus. Quo pacto laudare se quispiam citra inuidiam valeat, Chorus erat Lacedæmoniorum trifarius, senum, puerorum, iuuenum. Canebãt autem senes ita, ἄμμες πότ' ἦμεν ἄλκιμοι νεανίαι. Quo significabant fuisse quondam se robustos iuuenes. Pueri verò sic, ἄμμες δὲ γ' ἐσόμεσθα πολλῷ κάρρονες. Ex quo se futuros longè his meliores profitebantur. Iuuenum autem cantio hæc, ἄμμες δὲ γ' ἐσμέν, εἰσὶ λῆς ἀνγάσασθε. Indicans ipsos iam id esse, quod vel illi fuissent, vel hi futuros sperarent, eiusq; rei paratos facere periculũ. Quod item scriptũ in Diogeniani collectaneis. Consimile prouerbiũ de Milesijs ponit Aristophanes in comœdia Pluto: πάλαι πότ' ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι. Vt iam non esse eos viros fortes intelligamus, quos olim fuisse dicamus. Hoc intellectu Cicero de coniuratis agens: Vixerunt, inquit, extinctos ea voce, nescio quo pacto significantius declarans, minúsque multò inuidiosè, quàm si planè dixisset occisos.

Fuimus Troës. Vergilij locus.

Id est, nos quondam fuimus robusti iuuenes.

Id est, nõ verè erimus lõgè meliores.

Id est, nos autẽ sumus, si verò vis, respice.

Id est, Iã olim erãt fortes Milesij.

Quòd Seruius Grãmaticus Bucolicos Maronis versus tam mendosè legit, quàm falsò enarrat. Notataq; ibi, & relata quædam super initiandis pueris, superque Dijs aliquot veterum, maximeq; Genijs, & Iunonibus. CAP. LXXXIX.

IN Bucolicis Vergilianis hi duo sic versiculi leguntur:

Incipe parue puer: cui non risère parentes,
Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

Vergilij locus.

Quos enarrans Seruius haud inceleber Grãmaticus, & veram lectionẽ (quod eius pace dixerim) contaminat, & fabulam sibi ex tempore, cõmodoq; suo confingit cõtra omnem

Seruius notatur.

omnem veterum auctoritatem. Neque enim cui, sed qui legendum, hoc est, non casu datiuo, singulariq; numero, sed plurali nominatiuo: quãquàm vtrobique apud veteres eadem vox, ijsdémque notata litteris, sicuti in primo Quintiliani de Institutione Oratoria non oscitãs lector inueniet. Ex quo etiamnum versiculus in VII. Valerij Flacci Argonauticõn libro:

Curaq; cui profuga forsan tenet alta carina.

Etiamnum, inquam, iste versiculus, cui retinet, non qui, tam scilicet in vetustißimo codice de quo reliqui fluxêre, quàm in his quoq; peruulgatioribus. Quòd autem dicimus qui legendum, non cui, docet idem Quintilianus in nono, figuram esse declarans hîc in numero, sic vt plurali singularis subiungatur. Ex illis enim, inquit, qui nõ rise, hunc non dignata. Quis autẽ dubitet, quin de Vergilianæ lectionis incolumitate Quintiliano credendum sit potius, quàm Seruio, præsertim qui manũ quoq; Vergilij citet aliquando, & Ciceronis? Quocirca manifestũ est quod diximus, mendosè locum à Seruio adduci. Fabulam autem sibi eundem ex proposito, commodoq; finxisse quis nõ videat? cùm nusquam ob id præcipitatum fuisse Vulcanum legamus, quoniã deformis natus, quoniãq; ei non Iuno arriserit. Etenim Poëta Homerus ob id ait, quòd matri contra Iouem patrem suppetias tulerit. Natus enim ex Ioue & Iunone secundum Homerum Volcanus, licet ex Iunone sola fingat Hesiodus in Theogonia, sicuti ex solo Ioue Minerua dicitur. Vnde ἀπάτως à Theocrito vocatur in ænigmatio, cui βωμὸς inscriptio. Quare parentes ad Iouem, Iunonémque vix satis etiam propriè referentur. Sed & illud sanè quàm frigidè Seruius idem, quòd neque admissum ad epulas Deorum Volcanum dicit, neque diuinos honores meruisse, quem

Vulcanus cur præcipitatus sit, & q̃ ex Ioue natus.

quem Varro etiam inter selectos Deos numerat septimũ. Tum ne processerit quidem vel isto pacto quod molitur Seruius, quando non ob id ait præcipitatum, quòd haud riserit, sed quòd ipsi haud arrisum. Viderimus vtrúmne ipse mox credibiliora suspicer: certè iã Seruius verisimis reuincitur. Et quidem sic ego legerim, sic enarrauerim: Parentes Salonini pueri, de quo nunc agitur, vt sit parentes vocandi casus, hunc qui non risere, neq; deus mensa dignatus, neq; dea cubili: hoc est, nec Genius, nec Iuno vitalibus auris dignum putauêre hunc, ex illis qui non risere: vt sit figuratè dictum Quintiliano teste, pro eo quod est, hunc, qui non risit, vel qui è numero est eorum, qui non risere. Credebatur enim habere quisq; suum deum, suamq; deam, hoc est, suum Genium, suámque Iunonem vitæ præsides. Hos igitur indicauit Maro Catexochen. Mensa enim Genio cõuenit, vt, Funde merum Genio Iunoni lectus. Quod Iunius quoque Philargyrius docet, hunc ipsum ita interpretans locum, Pueris, inquit, nobilibus editis, in atrio Iunonis Lucinæ lectũ ponitur Herculis mensura. Sed & apud Varronem lectum est initiari pueros Educæ, Potinæ, & Cubæ, diuis edendi, potandi, & cubandi, vbi primùm à lacte, & cunis transferuntur. Quam Varronis auctoritatem Donatus in Phormionem Terentianam adducens, etiam hunc ipsum citauit Maronis versiculum, atq; idẽ Probum quoque retulit adnotasse. Mensa igitur, & lectus argumẽta vitalitatis, quòd initijs ipsis adhiberentur. Ceterùm habet homo suam sibi ridendi proprietatem. Qui verò non rideat, ei quî potest esse vita vitalis? vt ait Ennius. Deum verò, deamq; ad has referre Varronis Educam, Potinã, Cubamq; nequeas, quòd hæ fœminæ omnes, vt Augustinus etiã in libro de Ciuitate dei sexto declarauit,

De' selectus Vulcan'.

Genius. Iuno.

Initiandi puerorũ superstitio.

Ridere hominis proprũ.

Sed ad Pilumnum ratione pari, et Pitumnum coniugales deos, quibus vt ait Varronem scribere Martianus in secundo libro de vita patrum, natus si erat vitalis, simul ab obstetrice fuerat sublatus, & in terra stratus vt esse rectus auspicaretur, sternere etiã in ædibus lectum cõsueuerunt. Restat igitur vti quod de Genio, & Iunone diximus, auctoritatũ quoq; tibicinib⁹ fulciatur. Plinius itaq; nat. historiæ primo: Cùm singuli, inquit, ex semetipsis totidẽ deos faciant Genios, Iunonesq; adoptando sibi. Seneca epistolarum ad Lucilium vndeuigesimo: Ita tamen, ait, hoc seponas volo, vt memineris maiores nostros, qui crediderint, Stoicos fuisse. Singulis enim & Genium, & Iunonẽ dederunt, Vnde arbitror Iuuenalis:

Iuuenalis locus.

Et per Iunonem (inquit) domini iurante ministro.

Hoc enim reprehendit Satyricus poëta, quòd non per Genium, sed per Iunonem domini minister iuraret, videlicet more muliebri. Quocirca sic illa apud Petronium Arbitrum Quartilla loquitur: Iunonẽ meam iratam habeam, si vnquam meminerim virginem fuisse. Nam infans cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis, maioribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perueni. Hinc etiam puto natum prouerbium illud, dicatur vt posse taurũ tollere, * qui vitulum sustulerit. Ceterum si detur modò non iniquam planè à nobis peragi reprehensionem, labascereq; iam commentum istud Seruianum, quod antequam talia prodebamus, pro indubitato obtinuerat, reliqua in medium (ne nobis blandiamur) libera opinaturis relinquemus.

* Quæ

Qui vir Theodorus Gaza, quantumq; tamen lapsus in Aristotelis problemate verso.

CAP. XC.

NON recuso quin sub censuram, sub aleamq; veniat qualecunque hoc erit, de quo scribam, dum ne sint in hoc

hoc albo duæ mihi maximè suspectæ litterariæ pestes, inscitia, inuidiaq́;, dum nequis mihi amusoteros (vt verbo vtar quo Symmachus) dum nequis opicus, dum nequis durus, & cõtumax, & in hominis verba, quàm in veri fidem iuratus contingat iudex. Quòd si iudices etiam nuncupãdi, non Tarentinos equidẽ, & Consentinos, & Siculos mea ista legere, sicuti sua quædam Lucilius, sed Latinos homines, Græcæ litteraturæ nõ ignaros, non Iunium Congium volo, sed Scipionẽ, sed doctissimũ omnium Persium, atq; Rutiliũ, hoc est siqui sunt illis compares, macti prudẽtia, ingenio, doctrinaq́; viri, ad quorum iudiciũ iure sit elaborandũ, qualis puta, si liceat, is ipse est, qui mihi instrumẽta studiorum tã multa, otiumq́; altissimũ suppeditat, auis, atauisq́; potens Medices Laurentius, Florẽtiæ Reip. columen, cuius cùm iudiciũ illud circunspectissimũ, & naturalem quandã mentis altitudinẽ maximæ quæq; in actu rerũ vel ciuitates experiũtur, vel principes, tum eundem in litteris & humanitatis, ac sapientiæ studijs, ei deniq; non admirantur, qui nõ penitus vt ipsi, qui non introrsus inspexerũt. Qualis est itẽ Ioannes Picus hic meus è Mirandulanis principibus absolutissimũ naturæ opus, à quo philosophia Latine iam meditans loqui, summum puto fastigium accipiet. Quales prætereà duo illi, sed vna deuincti amoris copula, Veneti patritij sunt Hermolaus Barbarus, barbariæ hostis acerrimus, qui Latinæ philosophiæ velut arma, instrumẽtumq́; verborũ sic aut aure diligentissima terget, aut incude noua fabricatur, vt ob ipsius industriam iam nunc pene in isto quidẽ genere, vel nitore, vel copia viuamus ex pari cum Græcis. Et Hieronymus Donatus, vir nescio vtrum grauior, an doctior, an etiã humanior, certè omni lepõre affluens, omni venustate, cuius tamen ob

id vereor, ne leuior cuiquam censura videatur, quoniam me pulcherrimo carmine, sed & epistola vna atq; altera mirè laudauit. Licet enim tantũ boni de me ipso, qui multum à tolerabili, nedũ à perfecto absum, pudeat credere, magis tamen tanto viro pudet non credere, talia de me, sic (vt apparet) ex animo affirmãti, dum nostra hæc qualiacũque sunt, arriserint: floccipendo iam nunc imagines penitus, vmbras q; laruarũ, quibus natura esse dicitur (vt sancti viri verbis vtar) terrere paruulos, & in angulis garrire tenebrosis. Theodorus igitur Gaza vir Græcus, & vt doctis etiã videtur eruditissimus, Aristotelis problemata vertit in Latinum. Sed in quo problemate quæritur cur homines, qui ingenio claruerunt, vel in studijs philosophiæ, vel in Rep. administranda, vel in carmine pãgendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuisse videamus, & alios ita vt etiam vitijs atræ bilis infestarentur, in eo manifestius vtiq; (ni fallor) insignius q; extitit interpretis erratum, quàm vt excusari iam, dissimulariue possit. Nã cùm illic exemplo subijciat Aristoteles heroũ, qui laborasse dicantur atra bile, primũ q; de Hercule agat, fuisse illum nimirùm tali habitudine, signis, argumentis q; colligit istiusmodi, quòd & Comitialis morbus sacer ab eo sit dictus, & filios occiderit vecors, vt in Senecæ tragœdia tractatur, & antequàm obiret, scatentiũ vlcerũ eruptione laborauerit, vnde illa, puto, Nessea tunica venerit in fabulã: nam hoc quoq; vitium atræ bilis est. Ex quo etiam Lysandro Lacedæmonio proximè ante obitũ genus id, inquit, vlcerũ emersit. Theodorus itaque quod ad filios, & ad vlcera Herculis attinet, ita denique interpretatur: Puerorum quoque, inquit, motio mentis idem hoc explicat, & eruptio vlcerum, quæ mortem interdum antecedit. Cùm sit

Atra bilis.

Herc. furor.

Comitialis morbus sacer.

Nessea tunica.

Vlcera Herculis.

ita

ita Græce: ἢ ἡ περὶ τὰς παῖδας ἔκστασις καὶ ἡ πρὸ τῆς ἀφανίσεως αὐτὸ ἐν τῇ ἕλκῶν ἔκφυσις γενομένη. Neq; autem dubitem ex vsu esse, antequàm ipsi locum vertimus, perpendere diligentius, quid sibi illud velit ἐν τῇ, quod ille dissimulat, quæue de præpositione, articuloq; illo abiuncto sententia elici possit. Et quidem ego sic arbitror legendum, corrigendumq; ἐν οἵᾳ, vt sit ad verbum sensus. Et in liberos suos pauor, seu mauis dicere mentis excessus, & ante obitum ipsius in Oeta vlcerum eruptio. Quòd autem pauorem maluimus, aut mentis excessum vertere, quàm vt iste motionem mentis, quæ Græcè sit Ecstasis, auctorem sequimur in priore, quem psalmorũ probat interpretem Pictauiensis Hilarius, in posteriore Hieronymum, qui tamen alicubi solitarium quoque illud excessus, Latinè pro illo Ecstasis reddidit. Nam pauorem Cicero quoque metum definit esse mentem loco mouentem. Sed de nomine aliàs. Nunc quod instat. Profert exempla Aristoteles, per quæ manifestum fiat Herculem quoque atra bile vexatum, sicuti dein Aiacem, Bellerophõtem, ceterósque ostendit, vt sensus, ordo, ratio, prætereáque veritas inexpugnabilis, & vinci nescia, nostræ prorsus interpretationi suffragentur. Quorsum enim hîc de pueris mente motis in medijs agatur heroibus? aut quæ magis ætas à bile hac atra, quem furorem dicimus quàm puerilis abest? Quid autem generalem hanc vlcerum ante obitum eruptionem accipit, quod neque verba significant Aristotelis, & planè illius proposito, voluntatiq; contrarium? Nempe qui probare nitatur ex argumentis quibuspiam, atque exemplis, non pueros non quoslibet atra bile, sed heroas, maximosq; viros inquietari. Quin illud etiam diligentius cogitandum sacérne tantum morbus, vt Aristoteles ait, an etiam Hercu-

Ecstasis.

Hilarius.

Atra bile vexatus Hercules.

leus, quod de suo Theodorus adiecit, appelletur. Atqui locum eundē malè versum à Petro etiam Aponensi, cui cognomentum ex re Cōciliatori factum, naturæ rerum, ac medicinæ consultißimo: sed vt tum fuêre tēpora, parum linguæ vtriusq; perito homine, minus equidem indigner. Is autem errantem suo semet indicio prodit, in cōmentario quodam super hæc ipsa problemata cōposito. In eas enim se coniecerat angustias, vt explicare nil poßit, ac stuporē, siue, quod ait ipse, cōgelationem, quæ pueris accidat, denominari inde cogatur dicere, hoc est (vt arbitror) ab Hercule. Quod ego illi tū dedero, cùm denominationis istius vox quæpiam indidem pronuntiabitur. Sed enim Theodori causſam facilè iam quiuis impulsam, prostratam, constrictam sciat, etiam si nihil adijciamus. Quin ipse credo, si reuiuiſceret, & de hoc admoneretur, neutiquā pro recto defenderet, si plus vero daret, quàm studio potius, vt in duodecim scriptis adsolet: Quoniam moti semel pœniteret, concedi sibi postularet, vt calculū reduceret. Nec autē nos hæc de eo notaremus, si non plurimi faceremus. Nō enim sic dementis otij sumus, vt incolumi dignitate nostra, velim eo abuti contra recentem, nimiumq; iam triuialium nugamentorum prouentū, contraq; ista penè dixerim mendicabula, & propudia garrulorum, nescio risūne explodenda magis, an silētio dißimulanda, quò perpetuò ignobiles inter suas ineptias delitescant. Hoc autem duntaxat atPetrus Aponensis.

Paræneſis bona.

tulimus, non quidē obstrigilādi, quod dicitur, causſa, sed admonendi potius studioſos, qui scribēdi onus hoc laborioſißimū pariter, inuidioſißimumq; suſceperint, nequid vnquā de intētione remittāt, neu parcāt induſtriæ, operæq;, néue indulgeāt sibi, aut oneri cedāt. Circūſpiciant vndiq;, librent, pēsent, exigantq; singula, nihilq; non ol-

facient,

factent, non excutiant, nõ examinent, non castigent etiã atq; etiam, ac sub incudem sæpius reuocent. Consulantq; interim vel minus eruditos, & tenuiorũ (vt ita dixerim) viriculas nõ aspernentur. Quando ita fermè cõparatum est, vt in alienis erratis Lyncei simus, in nostris lippi, cæciq;, ac nõ videamus, vt Catullus ait, manticæ quod in tergo est. Sed in primis caueant hoc tamen, qui scribunt, ne dum nimis ad vota laudum properant, cruda adhuc in publicum sua studia propellant. Illud in Theodoro mirari me fateor, quid ita scripserit in præfatione librorum de animalibus Aristotelis, quibus vnis præcipuè commendatur, adiutum sese à nullo, nec certare adeò cum ceteris interpretibus, quos, inquit, vincere nullum negotium est, cùm libros eosdem sic Georgius Trapezuntius ante ipsum luculentè verterit, vt vel redditis, quæ apud veteres, inuenerat, vel per se denuo fictis, excogitatisq; vocabulis Latiam prorsus indolem referentibus, vitio factum nostro primus, opinor, iuniorum docuerit, cur ipsi minus multas, quàm Græci rerum appellationes habeamus. Hos igitur siquis libros diligenter legerit, minus profectò Gazam laudabit, penè illius vestigijs insistẽtem: quin si homo erit ingenuus, credo stomachabitur, sic à Theodoro dissimulatũ, per quẽ maximè profecerat, sic habitum penè cõtemptui, ludibrioq;, cuius potissimum laboribus insidiabatur, nobis verò etiam fortasse habebit gratiam, quòd ista reddere suis auctoritatibus cõtendamus. Nam quantũ sibi Georgius in eo placuerit opere, vel illa de præfatione verba significant, quibus sese libros eos Latinus ait non minus elegantes, emendatosq; dare, quàm apud Græcos habeantur. Sed & hoc ad se trahere Theodorus conatur, vt itẽ quæ de mensibus Græcè prodidit, ex huius potissimũ, de

qua loquimur, interpretationis proœmio ſubleguntur. At enim fuêre, ſicut apparet, acerbiſſimæ inter hos Græcos inimicitiæ, ſicut in grammatico quoque ſuo commẽtario Theodorus Georgium vocet hunc pornoboſcon, quod alentem ſcorta ſignificat, alludens arbitror ad Georgium veterem grammaticum, cui cognomentum Græci Chæroboſcon dixêre. Cetera porrò, quæ Theodorus hic edidit, vbi modò non repetundarum ſit accuſandus, ſicut eruditione, diligentiaq; non carent, ita ſunt, vt mihi quidem videtur, ad examen quoddam ſtrictius, curioſiusq; reuocanda. Nos hoc loco nec doctorum nitida nomina tentamus apud imperitorum decolorare iudicia, nec tamen diſſimulare, quid in quoque deſideremus: aut inhonoratum trãſire volumus, cui veritas patrocinetur. Vt autem habere ſtylum quàm maximè ingenuum, paratumq; volumus, ita quàm minimè accuſatorium quàm minime licentioſum, & noxium. Nec enim tam vafritiam profitemur, quàm exhibemus induſtriam. Quid autem nos olim de doctrina æſtimauerimus, ingenioq; Theodori, Græcis aliquot, & Latinis epigrammatis teſtati ſumus, quorum nũc vnum duntaxat, idq; Græcum ſubijciemus: ſi quis tamen hæc quoque, ſi quis captus amore leget. Igitur ſic eſt,

Lib. quarto ſub finem.

Κᾶτο μίγας πότ' ἀγὼν ταζῆς Θεοδώροιο ἀμφὶ
Μούσαις τ' ἀυσονίαις ἠδ' ἐλικωνιάσι.
Ταῖς μὲν γὰρ γενεὴν, ταῖς δ' αὖ θρεπ]ήρι ὄφελεν.
Ελλας γὰρ τίκε, τὸν γ', ἀυσονίη δ' ἔτραφεν.
Ἴσον δ' ἀμφοτέρων σοφίη γλώπη τ' ἐκέκασο,
Τὸν δ' οὔτ' ἀυτὸς ζῶν οὔτ' ἄρ ἔκρινε θανών,
Αλλὰ κ, ἰταλίης μεγάλη ἐπὶ ἑλλάδι κᾶσθαι
Εἵλετο, ὅφρα κλείῳ ξυνὸν ἓ ἀμφο]έραις.

Proponebatur magnum olim certamen de Theodoro Gaza,

Muſis-

Musisq; Ausonijs, & Heliconiadibus,
His quidem natiuitatem, illis autem nutritoria præmia debebæ.
Græcia enim genuit hunc, Ausonia verò nutriuit,
Ex æquo autem vtriusq; sapientia, linguaq; excelluit,
Hoc neq; ipse viuens, neq; certè diremit mortuus,
Sed & in Italiæ magna Græcia iacere
Voluit, vt gloria communis sit vtriq;.

Quo pacto vir idem Grecè transtulerit, quod est apud Ciceronem, Suadæmedulla, positiq; Eupolidos versus de Pericle: tum indicatum, quibus denique dea Pithò Latinis appellationibus censeatur. CAP. XCI.

LIBELLVM Ciceronis aureolũ de Senectute Theodorus idem Gaza non incommodè profecto, nec infeliciter vertit in Græcam linguam. Sed est in eo quoque (nequid grauius dixerim) paulò nonnunquam indiligentior. Illud interim pro argumento sit, quod ait strictim Cicero M. Cethegum ab Ennio Suadæmedullam dictum, vocabulum illud Suadæmedulla, μειλίγμασιν Theodorus, quasi tu dixeris dulciloquum interpretatur, cùm Cicero idem in Bruto locum hunc Ennij, verbaq; sic ampliter exponat. Suadæmedulla, inquit, Pithò quam vocant Græci, cuius effector est orator, hanc Suadam appellauit Ennius. Eius autem Cethegum medullam fuisse vult, vt quam deam in Pericli labris scripsit Eupolis sesitauisse, huius hîc medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. Hactenus in Bruto Cicero. Quo apparet vtique non intellectum à Theodoro locum. Neque enim μειλίγμασιν debuerat, sed πιθοῦς μυελὸν interpretari. Neque id pluribus tamen arguemus, quia verborum disceptationibus res non est arbitro eius, & cognitore Marco Tullio. Quoniam autem Marcus Tullius etiam Eupolim citat, qui deam scripserit hanc persuadendi sesitauisse in Pericli labris, quàm Pithò vocet ipse, Suadem verò Ennius, agedum (si placet) ipsos ex Eupolidos Δήμοις (id

Suadæmedullæ. Pitho.

Id est, Pithus medullã.

Id est tribubus.

enim comœdiæ nomen) versiculos subijciamus, gratum puto futurum studiosis, si ceu spicilegium, racemationem q; faciamus, aut si tabulas veluti quasdam ex hoc litterarum naufragio collectas in corpus aliquod restituamus. Sunt autem quos inueniamus hi:

Κράτιστος ἀνὴρ εἰς ἀνθρώπων λέγειν
Ὁπότε παρίλθοι, ὥσπερ οἱ ἀγαθοὶ δρομῆς.
Ἑκκαίδεκα ποδῶν ἤρει λέγων τοὺς ῥήτορας.
Ταχὺς λέγειν μὲν, πρὸς γ' αὐτὸ δὴ τάχος
Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν.
Οὕτως ἐκήλει, κοὐ μόνος ἐ ῥήτορων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Præstantissimus hic fuit hominum ad dicendum
Quando esset ingressus, quemadmodum boni cursores.
Sexdecim pedibus superabat orans ipsos rhetoras.
Velox ad dicendum quidem, ad nanq; ipsius velocitatem
Pitho quædam insidebat in labris,
Ita demulcebat, & solus oratorum
Aculeum reliquit audientibus.

Neque autē istos Eupolidis poētæ versus ex ipsius statim fontibus hausimus, vt cuius opera ætate intercederint, sed eorum partim ex interprete quopiam Aristidæ rhetoris accuratissimo, partim ex epistola Plinij iunioris accepimus. Quin Aristides ipse oratione, quæ pro Pericle inscribitur, comici eiusdem testimonium aduocans, ita loquitur: μόνος ἡ πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐν τοῖς χείλεσιν. Quam autem vocauit Ennius Suadam, puto eandem Suadelam Horatius: Sed bene, inquit, nummatū decorat Suadela, Venusq;. Neque enim assentiā Porphirioni, Veneris id epitheton existimanti. Nam Cicero in lib. de Oratore tertio, cùm de Pericle loquatur, Lepōrem maluit nuncupare, quàm Suadam, sic inquiens: Huius in labris veteres Comici etiam cùm illi maledicerent, quod

Id est, Solius verò Pitho quædā sedebat in labris. Suadela. Lepor.

quod tum Athenis fieri licebat, lepôrem habitasse dixerunt, tantamq; in eo vim fuisse, vt in eorum mentibus, qui audiuissent, quasi aculeos quosdã relinqueret. Contrà autem Quintilianus ne enuntiare quidem istius dęæ Latinum ausus nomen, ita in decimo scribit Oratoriarum institutionum: Et quod de Pericle veteris comœdiæ testimonium est, in hunc transferri iustissimè posit, in labris eius sedisse quandã persuadendi deã. Porrò Martianus modò Suadam, modò Pitho nuncupat. Nos eandẽ in poëmatis Manto, Ambraq; nostris modò Suadã, modò Lepôrem, videlicet Ennium, Ciceronemq; secuti.

Qui sint apud Liuium caussarij. CAP. XCII.

LIVIVS in septimo ab vrbe cõdita, Tertius, inquit, exercitus ex caussarijs, senioribusq; à T. Quintio scribatur, qui vrbi, mœnibusq; præsidio sit. Caussarij qui sint, non temere qui tibi explicet inuenias. Sed id ex verbis tamen Vlpiani iureconsulti lib. VI. ad edictum facilè colliges. Ea sunt in tertio scripta digestorum volumine, quo titulo de his agitur, qui notantur infamia. Verba ita sunt: Ignominiæ caussa missum, hoc ideo adiectum est, quoniam multa genera sunt missionum. Est honesta, quæ emeritis stipendijs, vel antè ab Imperatore indulgetur: & caussaria, quæ propter valetudinem laboribus militiæ soluit. Ex quibus verbis ratiocinari possumus, caussarios, proprie dici milites valetudinis caussa missos. Liuij loc. Caussarij.

Vindicata Iustiniani Principis præfatio quæpiam à vitijs, mendisq; aliquot. CAP. XCIII.

PVDET me seculi nõnunquã istius, in quo sum natus, indocti nimis, & arrogãtis, versantem animo identidem quæ monstra rerum, verborumq; libros etiã ipsos legum, quibus regimur, occupauerint. Sicuti quod nuper dubiũ ridens,

ridens, an stomachans, adnotabam in epistola Iustiniani, quæ posita est ante Digestorum libros. Theophilo, Dorotheo, Theodoro, Isidoro, & Anatolio, & Thalleleo, & Cratino viris illustribus, antecessoribus, & Salaminio viro disertißimo scripta. Nam cũ doceat illic Imperator anni quarti studiosos Græco vocabulo lytas appellatos, & item quinti prolytas, vt in pandectis extat illis archetypis, cuncta nunc habent exemplaria hircos in priore, coloritas in posteriore loco, nihili vocabula, sed quæ tamen ab Accursio pro maximè idoneis enarrẽtur. Qui primi anni auditores, non dispondij (quod vulgò) sed dupondij, sicut in archetypis inuenio, tam friuolo, vt idem ait, quàm ridiculo cognomine appellabantur. Sed et in eadem epistola (vt in transcursu hoc quoque ostendam) desiderantur verba de sexta Iliados Rhapsodia cum Glaucũ & Diomedẽ nominat Imperator inter se dißimilia permutantes. Etenim post id verbum, sequi statim debet hic Homeri versus, si archetypo credimus:

Litæ. Prolita. Dupõdij.

χρύσια χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Aurea pro æreis, quæ centum boum, pro quæ nouem boum.

Lepidum Seueriani commentum de Lunæ factura, & Solis: deq; menstruis diebus, & annis. CAP. XCIIII.

PERCVRRIMVS aliquãdo ego & Picus hic Mirãdula, nunquã satis homo laudatus, subciſiuis horis antiquos enarratores instrumẽti sacri veteris, Græcos maximè Diodorũ, Philonem, Gennadiũ, Aquilam, Origenẽ, Basiliũ, Didymum, Isidorũ, Apollinarẽ, Seuerianũ, alios id genus cõplureis, quorum ille, sicutiq; Latinorum, sentẽtias omneis quàm diligẽtißimè cum Iudæorũ, & Chaldæorum interpretũ conferẽs opinionibus, nihil nõ euẽtilat, & pensiculat, vnde modò aut veritas elici, aut obscuritas tolli, aut roborari fides, aut refelli posßit impietas. Sed quod apud Seuerianum superioribus diebus auctorem

Veteris testamẽti enarrationes. Pici diligentia.

ctorem luculentum memini nos legere, visum est haud indignum, quod in hunc acciperetur gregem, Solem factum à Deo primitus, & lunam legifer Hebræus prodit, quarta mox, vt orbem inchoauerat, die, qui tamen quoniam alterum diei, nocti alteram præfeciſſet, etiam illum in orientis credi poteſt, hanc in occidentis poſuiſſe cõfinio. Nec autem debuit (quemadmodum quidam hîc opinatur) ſic à principio ſtatim lunam fingere Deus, vt detrimento affecta, vt decerpta, vt gracileſcens, vt diſcriminata, vt inanis, vt diluta, vt exhauſta foret lumine, qualem nunc eſſe eam vel naſcentem, vel intermẽſtruam, vel seneſcẽtem, vel in coitu, vel in ipſo quoque deliquio videmus. Quin orbe pleno potius, integroq; circulata, non gibboſa, non prætumida, non ſinuata, non cornicu-lans, non diuidua, non ſilens. Etenim iſta dein multiformitas temporum erat & noctium, & dierum velut interuallaris, & diſcriminatrix futura. Quocirca edito recens, & matutinos ingrediente carceres ſole, luna prorſus è regione metam finitoris radebat occiduam, munifex tum primum orbis, & in ſuo quaſi dixerim tyrocinio. Sed vt ad occidentem ſol ipſe circumactus eſt, etiam inuicem peruecta luna ſuo curriculo eſt ad orientis collimitium. Sic igitur audientes dicto diei pariter præfuerunt, noctiq;. Cur autem non ſe tum potius quartæ lunæ facies exhibuerit, quota eſt edita die? quoniam ſummum, inquit, luna quarta tenere occidentis limitem nequiuiſſet. Ita rotundata ſpecie, plenóque prorſus ore quintamdecimã pro quarta exhibens, vndecim ſibi dies velut arrogauerat, ac totidem planè diebus luna ſolẽ natura præuertitur. Ex quo fit vt ſoli etiã iure dies illos x i. luna quaſi bona fide reſtituat. Nã cùm ſit vndetrigintæ & ſemiſsis dierum menſtruus lunæ calculus, diſſul-

Lunæ & ſolis factura.

Luna quarta.

tat

tat hinc annarius duodecim mẽsiũ numerus ẽ diebus omnino CCCLIIII. Quæ summa vndecim sibi alios agglutinãs, quos à primordio luna sicut auctariũ præsumpserat, annũ cõstituet hunc solarem CCC. & LXV. dierum. Tantum Seuerianus, lepidore tamẽ, puto, quàm veriore cõmento, quo etiã crescere in immensum posßit fabularis illa de Arcadũ vetustate superlatio, qui proseleni, quod est antelunares, appellati, si fuerit incõfesso diebus esse vndecim lunam, non tã mundo ipso quàm initiali quoque die maiusculam.

Arcadæ proseleni.

Græcum elegans Adagium super xenijs, Digestorũ exemplaribus restitutum. CAP. XCV.

LIBET in gratiam iureconsultorũ restituere Græcum quoque prouerbium sublatum planè de ipsorum libris, sed integrum adhuc in Archetypo, sicut in epistola quapiã diui Seueri, & Imperatoris Antonini reperitur, ea citatur ab Vlpiano in primo de offi. proconsulis. eodemq; titulo ponitur in digestorum lib. I. Verba sunt hæc epistolæ. Quæ quoniã elegantißima, & plena bonæ frugis, ediscenda ijs censeo, qui Remp. gesturi. Quantũ, inquit, ad xenia pertinet, audi quid sentimus. Græcũ prouerbium est, οὔτε πάν]α, οὔτε πάν]οτε, οὔτε παρὰ πάντων. Nam valde inhumanum est à nemine accipere, sed paßim vilißimum est, & per omnia auarißimum. Sic illi. Porrò Græca verba poßis ad hunc interpretari modum: Nec omnia, nec paßim, nec ab omnibus.

Quanta in moribus salacitas, & Aeliani verborum interpretamentum: atque inibi locus apud Martialem correctus, & enarratus. CAP. XCVI.

IN septimo epigrãmatõn vulgatis quidem codicibus ita est apud Martialem:

Mart. locus.

Nam cùm me vitam, cùm me tua lumina dicis.

Sed enim vetustißimi quippe sic habent:

Nam

Non cùm me murem, tu cùm mea lumina dicis.

Quod tamẽ à nullo est hactenus animaduersum, aut emẽdatum. Quæri verò potest, quo intellectu puella blandiens amatori murem cum vocet: an eodem, quo etiam passerculum solet: quia mures quoq; perhibentur salacissimi, sicuti scriptum inuenio libro Aeliani duodecimo de animalium proprietate, verbis ad hanc sentẽtiam: Ferunt autẽ mures (inquit) salacissimos esse, testemq; adducunt Cratinum scilicet in Fugitiuis: Agẽ nunc tibi de sereno aduersus mollitiem muris fulgurabo Xenophontis. Sed enim feminam quoq; murem narrant ad veneria esse prærabidam. Rursumq; apud Epicratem in choro. Fabula enim hæc Epicratis est: Postremò subijt me detestabilis læna, deierãs per puellam, per Dianam, per Persephattam, esse vitulam, esse virginem, esse puellã mdomitam. At illa cauus erat murinus. Superiectione eam salacissimam dicere voluit, cùm Cauum prorsus murinum vocitauit. Et Philemon: Mus albus, cùm quis eam. Sed pudet fari. Clamauit adeò statim detestanda læna, vt sæpe latere non est. Hactenus Aelianus, auctoritatibus etiam magni nominis comicorum succenturiatus. Mures salaces.

Automaton legendum in Suetonio: quod nunc vulgò aut ornatum: quidq; ea voce significetur. CAP. XCVII.

Locvs apud Suetonium in Claudio ita perperã legitur in plerisq; voluminibus: Si aut ornatũ, aut pegma, vel, quid tale aliud parum cessisset: cùm veri, integriq; sic habeant codices: Si automaton, vel pegma. Inspice vel Bononiæ librum ex diui Dominici, vel item alterum Florentiæ ex diui Marci bibliotheca, quam gẽs Medica publicauit, veterem vtrunq;. Sed & vtroq; vetustiorẽ, quem nunc ipsi domesticum possidemus, vt taceam complureis alios, ne fortassis ambitiosior, & nimius citãdis testimo- Automaton.

Automata. testimonijs deprehendar, vbique hanc nimirum posteriorem scripturam inuenies. Apparet ergo automata appellari solita, quæ ita mechanici fabricabantur, vt sua sponte efficere quippiam, velut ignara causſa viderẽtur. Qualia nunc aut horologia sunt, aut versatiles quæpiam machinæ, in quibus imagunculas occulta vi cursitantes, ludibundasq; miramur. Quales etiã vel fontes, vel igneis ipsi quodam artificioso temperamento, speciecq; noua, certis interuallis aquas, flammasue iaculantes. Automaton enim velut vltroneum, & spontale possumus Latinè interpretari. Sic Homerus in 11. Rapsodia veniſſe ad dapem Menelaum dicit automaton, sponte sua significans, non cuiuspiam vocatu, quasi à semet impulsum. Sicut Eustathius quoque exponit, qui deinde ait à iunioribus αὐτόμαλα vocari, quæ forte quadam fiant quasi μάτην, hoc est temere, καὶ ὡς ἔτυχεν. Et paulò pòst idẽ sic addit propemodum: Talis autem sentẽtia etiam illa mechanicorum nominauit automata. Ceterùm philosophus Heron in Pneumaticis, A quam exprimi ait in sublime automaton: id est, spontalem, de sphæra concaua, quam describit: sicuti cornicem quoque confingit, quæ se ad auiculas itidem fictas conuertat αὐτομάτως. Quin ædiculam quoque docet construere, cuius accenso igni fores item αὐτομάτως, id est, sponte aperiantur, extincto cludantur, vt omnia quo diximus intellectu sint audiẽda.

Et vt cõtigit.

Heron περὶ πνευματικῶν.

Persij locus & item Senecæ declarati: deq; manumittendis festuca seruis, & circumactu. CAP. XCVIII.

Persij locus. PERSIVS in satyra sexta sic ait:

Non in festuca lictor quem iactat ineptus.

Vbi pœta diligẽtißimus manumiſſum hominẽ ex vetere cõsuetudine significauit. Est enim à Plutarcho additũ in libello

libello de ijs, qui serò puniuntur à Deo, morem fuisse Romanis, vbi quempiã manumitterent, vt eius corpori tenuem festucam imijcerent. Ex quo illud apud Plautum in Milite, Quid ea ingenua, an festuca facta? serua an libera est? Quoniã autem & circumagebantur, qui libertatẽ nanciscebantur, fortasse vt ostenderetur licere iam ipsis, pro suo arbitrio quorsum vellent moueri: quod & supra dixerat Persius:

Manumittẽdi mos.

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. Et à Prætore plerũque vindicta libera rabantur: propterea & iactat inquit, & lictor. Nam lictores seni Prætoribus apparebant. Circumagi autem solitos, qui manumitterentur, etiã Seneca docet in octaua primi libri ad Luciliũ epistola. Philosophiæ, inquit, seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas. Non differtur in diẽ, qui se illi subiecit, & tradidit, statim circũagitur. Hoc enim ipsum Philosophiæ seruire, libertas est. Circumagitur, hoc est, manumittitur, liberaturq;.

Circũagitur, id est, liber fit.

Cur muri partem diſijcere, quod ait Suetonius, Hieronicæ soliti.

CAP. XCIX.

SVETONIVS in Nerone: Reuersus, inquit, è Græcia Neapolin, quòd in ea primũ artẽ protulerat, albis equis introijt, diſiecta parte muri, vt mos Hieronicarũ est. Itaile, Nemini autẽ est dubiũ, sacrorum certaminũ victores, hieronicas appellari. Sed moris istius causſã tantũ adhuc inuenio apud Plutarchũ, libro Sympoſiacõn 11. in hanc sententiã. Quòd autẽ, inquit, victoribus curru vehenti-bus permiſſum partẽ muri diuidere, atq; deijcere, hũc sanè habet intellectũ, non magnopere ciuitati muro opus esse, viros habentj, qui pugnare poßint, & vincere.

Suet. loc. Hieronicæ.

Vehẽtes. Murorũ deiectio.

Quæ sint apud Maronẽ silentia lunæ: quæ úe tacita virgo apud Horatiũ: ſuperque ijs Seruiana, & Acroniana refutatæ sententiæ.

CAP. C.

Verg. loc' VERGILIVS Aeneidos secundo:

—Tacitæ, inquit, per amica silentia lunæ.

Seruius igitur, Sciendũ autẽ est, ait, septima luna captã esse Troiam: cuius simulacrum apud Argos est constitutum. Hinc est quod dicit: Oblati per lunam. Et alibi: Per cæcam noctem tacitæ lunæ, aut more poëtico noctem significat, aut physica ratione dixit. Nam circuli septem sunt, Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ. Et primus, hoc est Saturni, vehementer sonat, reliqui secũdum ordinem minus. Sicut audiuimus in cithara, cuius vltima chorda minus sonat. Hactenus Seruius. Libenter igitur ab eo quæsierim, cur amica Luna latere, ac fallere conantibus, aut num Lunam quoq; silentẽ apud M. Catonẽ, & item apud Plinium ad eandem referat harmoniã planetarum. Quòd autem citharæ vltimã chordã sonare ait minus, hoc ita deniq; procedet, si vltimã non iam pro ima, sed pro summa capiat, quæ Græcè hypate vocatur, vnde grauior excitatur sonus. Sicuti ab extima altera, & tenuissima, quã equidem libentius vltimã dixerim, acuta vox profertur, quæ plus sonare ob id videtur, quia prorsum tenditur, vt in libro de Musica secũdo scribere ait Theophrastũ Porphyrius in cõmentarijs illis, quos in harmonica Ptolemæi scriptos reliquit. Sicuti grauis ob id, inquit, minus auditur, quia circà diffunditur. Quòd autẽ & apud Macrobiũ legimus, et itẽ apud alios, Saturni orbẽ, cuius cõuersio sit concitatior, edere acutissimum sonũ, minimè hoc arbitror à Platone vel in Timæo, vel in Rep. probabitur, qui tardissimũ scribit esse Saturni orbẽ, quanquàm hoc fortasse ad longiorem sui cursus ambitũ referetur. Sed Aristoteles certe in libro secũdo de Cælo tardiores ob id ait esse superiores orbes, quòd impetu stelliferi octaui orbis, magis retar-

Hypate. Chordarũ sonus. Macrob. locus. Saturni cursus.

dentur. Vt ergo vel Alexandri, vel Simplicij, vel itẽ iuniorum de eo opinionem prætermittam, si veram planẽ Macrobij sententiã vis colligere, ad cursum referas diurnũ, qui sine dubio celerrimus in supremis, & cõcitatissimus inuenietur. Sed nos hac ablegata commentitia (vt arbitror) Seruij, minimeq; necessaria subtilitate, potius accipimus Tacitæ lunæ silentia, lunam ipsam, quam vocant silentem, hoc est, minimè tum quidem lucentem, vt latere insidiæ magis posſent, pulcra nimirum, & eleganti tralatione ab auribus ad oculos. Nã sicuti silentio nihil auditur, ita nihil tenebris cernitur. Plinius igitur lib. Nat. hist. xvi. Diem, inquit, coitus lunæ ab alijs silentis lunæ, ab alijs interlunium appellari. Tum idẽ libro duodeuigesimo. Et hoc, ait, silente luna seri iubent. M. Cato etiam in lib. de Re rust. Nunc stercus euehi luna silenti, nũc itẽ silẽte luna ficos, oleas, mala, pyros, inseri. Postremò etiam prata primo vere iubet eadẽ luna silente stercorari. Ridiculum autẽ fuerit aut hæc Catoniana, Plinianaq; referre ad siderum musicam, aut in vetustißima, vsuq; receptißima locutione desiderare istiusmodi ambages. Equidẽ lunã hîc silentẽ, vt dixi, pro minimè tum lucente acceperim, quod fuerat tẽpus Græcis obseruandũ. Neq; ita tanẽ interpretor, vt ad viuũ resecẽ, atq; ipsum demiq; lunæ coitum planè intelligã, cùm nox tota tenebricosa: nã hoc vtiq; refellitur, quoniã Poëta mox ait: Oblati per lunam. Nondum igitur luna lucebat, cùm illi à Tenedo sub vesperam nauigabant. Sed lucere tum cœpit, cùm iam vrbem occupauerant. Non igitur aut sera fuerit, aut pernox luna, tum nec lunæ quidẽ omnino coitus, sed tempus arbitror potius quandiu illa non luceret. Etenim plura sæpè, quã videatur, vox apud Poëtas aliqua cõplectitur. Ob hoc igitur illud in nostra Rustico,

Tacitæ lunæ silentia.

Luna silens.

Mala.

Lo. in Rust.

Quidq; silens moneat, quidq; intermenstrua Phœbe.

Amica silentia Lunæ. Silentiũ in auspicijs. Horatij locus.

Nec absurdè tamen præter epitheti rationẽ temporariã, lunæ acceperis amica silentia, quoniã in auspicijs quoq; silentiũ vocari Cicero scribit, quod omni vitio caret. Iam apud Acronem quàm pulerum, quàm ingeniosum, qui enarrans Horatij locum libro Carminum secundo:

- Dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

Tacita virgo.

Tacitã virginem intellexit quasi claram sacerdotij nobilitate: & vt hoc inceptis persuadeat, auctoritate etiam abutitur Maronis, qui dixerit: Tacitæ per amica silẽtia lunæ. Ceu si tacita luna sit hîc etiã pro clara accipienda. Videlicet nõ & apud Dionysiũ saltẽ Romanæ historiæ auctorẽ, et apud Plutarchũ, aliosq; permultos Acro legerat ignorari prorsus ab omnibus, quibus denique vel sacris, vel simulacris Vestales virgines tuendis præforent, vt ob hoc ipsum, quod præstabat silentium, Tacita vocetur, virgo Troianam soli cui fas vidisse Mineruã.

Coronis.

SED vt hic liber, quanquàm sit quoque nimis longus, aliqua tamen veluti Coronide cumuletur, & nihil sit omnino inrepercußum, scire lectorem volumus, posteaquam de magno quasi populo, iam tum anno superiore, Centuriam hanc vnam, sicuti nunc est, nisi tantum pauculis subinde (vt fit) interspersis flosculis adornauerамus, & spectandam publicè amicis aliquot exhibuerамus, emanasse in vulgus fabulam, non satis certo auctore, quæ susurris aures istiusmodi compleuerit, Nihil est mirum, si quædam noua, & insignia vel antea dictauerit Politianus, vel nũc referre in *literis incipiat: Olim iam istæc omnia diligentißimè perscripta à Nicolao Perotto, qui fuerit Sipontinus Pontifex, in eo maximè libro, cui titulum feciſſet Copiæ cornu. Nam quoniã pluri

*literas.

mum

mum auctoritate (sic enim quicunq; illi aiebãt) apud Vrbinatẽ ducẽ, cui dicatus is liber, Medices suus Laurentius & gratia valet, per eum videlicet operis istius, & quidẽ archetypi facta est Politiano potestas. Ergo ille nũc rapinator vt hũc semel inuncauit librũ, velut instar quoddam virgulæ diuinæ, publicam prorsus materiã priuati iuris facis, & vt alter Aesopi gracculus aliena superbit pluma. De his itaque per aliquot iam conciliabula iactatis, euentilatis q; rumusculis, cùm mihi nescio quid, vt est officiosissimus homo, Robertus noster Saluiatus renuntiasset, non literarum modò, sed literatorum quoq; omnium velut alba linea magnus amator, agnoui statim inuidiæ mores, quam dum cui nocere molitur, in omnia sese vertit, & vt ille apud Licentium Proteus:

Spumat aper, fluit vnda, fremit leo, sibilat anguis.

At enim quòd ad ipsius ictus occalueram, non sum propterea studijs iratus meis, tantum laboris tali mercede rependentibus, nec ipse me damnaui, quòd non hanc teterrimam pestem desidia magis placassem, nec, vt nonnulli forsitan cupiebant, concerpsi librum, sed eum potius sepositi paululum, & omissa in præsens edendi cura, tantumque sulcis velut interciuis ita librum nonnunquam sicut hortum rigans, pleniorem tamen cogitatum velut à siliquis ad panes, hoc est, à ludicris ad Philosophiæ seria transtuli. Sic igitur versare altiora quæpiam animo studia, & operæ grauioris institui, quæ suo & ipsa tempore (si lecta potenter erit res) in publicam vtilitatem, quò magis argutatoribus istis oculi doleant, apparebũt. Etenim ego tenera adhuc ætate, sub duobus excellentissimis hominibus Marsilio Ficino Florentino, cuius longè felicior, quàm Thracensis Orphei cithara veram (ni fallor) Euridicen, hoc est, amplissimi iudicij Platonicam

nicam sapientiam, reuocauit ab inferis, & Argyropilo Byzantio Peripateticorum sui temporis longè clarißimo, dabã quidẽ Philosophiæ vtriq; operã, sed non admodum aßiduã, videlicet ad Homeri Poëtæ blandimenta natura, & ætate procliuior, quẽ tum Latinè quoq; miro, vt adulescens, ardore, miro studio versibus interpretabar. Postea verò rebus alijs negotijsq; prementibus, sic ego nonnunquã de Philosophia, quasi de Nilo canes, bibi, fugiq;, donec reuersus est in hanc vrbẽ maximè Laurentij Medicis cum beneuolentia, tũ virtutis, & ingenij similitudine allectus, princeps hic nobilißimus Ioannes Pici laus. Picus Mirandula, vir vnus, an heros potius omnibus fortunæ, corporis, animiq; dotibus cumulatißimus, vtpote forma penè diuina iuuenis, & eminenti corporis maiestate, perspicacißimo ingenio, memoria singulari, studio infatigabili, tum luculenta, veriq; facundia, dubiũ verò iudicio mirabilior, an moribus. Iam idẽ totius Philosophiæ cõsultißimus, etiamq; varia linguarũ literatura, & omnibus honestis artibus supra veri fidẽ munitus, atque instructus. Deniq; vt semel complectar, nullo nõ præconio maior. Is igitur continuò me, cum quo partiri curas dulcißimas, & nugari suauiter interdũ solet, & quẽ sibi studiorum propè aßiduũ comitẽ (qui summus honor) adlegit: is me instituit ad Philosophiã, non vt antea somnicu losis, sed vegetis, vigilãtibusq; oculis explorandã, quasi quodã suæ vocis animare claßico. Quocirca talẽ ego illum, tantumq; vel auctorem nactus, vel ducem, neutiquã occasioni defui, quin occurri potius, & arripui, sic vt assiduò propemodum summorum tractatu auctorum, velut attrito crebrius silice pauculas saltẽ veri scintillas videar excudisse, tantumq; flammæ rapuisse fomitibus, vt Illuni nocte, in nocte cæca, & illuni iamiam mihi aliquid profectò fulgoris

gõris subluceſcat. Sed ecce tibi interim, dũ totus in hoc ego, repentè Cornu iſtud in vulgus. Fit concurſus. Eſt in manibus. Effunditur. Excutitur. Quid multa? Calumnia me liberat. Vidiſſes continuò nonnullorum vultus lugubre quiddam tacentes, & quod antea nunquam ſoliti neſcio tum quo pacto (ſicut ille apud Platonem Thraſymachus) erubeſcentes. Sed iſti quidem Cornu, quanquàm certè non vacuo, quid ineſſe tamen viderim, nõ eſt huius temporis iudicium. Tantum conſtiterit impræſentiarum non idem ſpectaſſe me, quod eius voluminis auctorem, nec par vtrique deſtinatumq́; præſtitutumq́; faſtigium. Quòd ſicubi locos eoſdẽ pro re nata forte vterq; tractauimus (id autem incidere alicubi fuit neceſſe) craſſior tamen inter nos, quàm inter Piramum, Thiſbenq́; paries. Argumento ſit interim vel illa Iuuenal. Cotytto, quæ tamẽ apud ipſum Cocytos eſt, de qua tanquã de paupere regno cum Domitio digladiatur: vel ara item Martialis frequens cornibus: vel Philyra: vel ſi quid aliud iſtiuſmodi, quod optes cum meis manipularibus, accenſisq; cõmittere. Quin illud euenit, vt hoc ipſo, quo Miſcellanea ceſſabant, interuallo, centum quædã adnotationes doctæ me hercules (quis enim neget?) & laborioſæ ab homine amiciſſimo nobis, nec huius ignaro propoſiti, tum bene etiã literato, non ſine beneuola, gratáq; noſtri mentione publicarentur. In queis vnũ caſu, credo, vel alterũ pariter fermè atq; apud nos argumento, cõpluſcula certè germana illorũ propemodum, quæ vel cũ Faſtos Naſonis abhinc nouennium fermè, vel poſtea cũ Flacci Satyras interpretabamur, quãta norunt omnes frequentia publico auditorio dictaueramus. Perſanctè (ſi ſit opus) deierem, tenẽs arã, cogitaſſe me ſtatim, ſi nõ de meo, certè de communi iure cõcedere amico penit⁹, nec aliquid ex eis agno

De Rep. libro 4.

Accenſi.

scere, quorum sibi ille titulum haud, opinor, vindicauisset. Non enim sic fastu turgeo, sic mihi ipse faueo, vt videri velim tam docti hominis in aliquo doctor, ne mihi illud in os iaciatur, sus Mineruam. Sed quoniam sic ea se principem demum reperisse narrabat, vt ignorata prorsus (ita, credo, putauit) & inenarrata ad eam diem ceteris asseueraret, coactus fateor sum, quod & ipse pro ea, quam profitetur, humanitate facile patietur, simpliciter, ingenuéque professionem meam suspicionibus istis communis ignorantiæ absoluere. Nam sicut haberi iure vel inciuilis possim, vel arrogans, si non ei quoque, qui tam sit & diligens, & eruditus, domi & ista, & meliora nasci putem (quandoquidem medio posuit Deus omnia campo) sic è diuerso patrocinium famæ deserere non solum dissoluti, sed etiam (ni fallor) in semetipsum penè crudelis videri possit. Et pereant, Donatus aiebat, qui ante nos nostra dixerũt. Nos ei prospera, faustáq; precamur, & cupimus, qui nostra post nos aut inuenit, aut certè dixit. Tantum rogamus ne pigeat in eorum consortiũ, quæ tantò ante tam multi sub nobis exceperunt, & in quibus pro virili parte laborauimus, etiã nos sicuti partiarió admittere, ne non amicorum sint (quod ait Euripedes) cuncta communia.

Donati dictum durum.

MISCELLANEORVM FINIS.

IN-

INDEX EORVM
QVAE IN EPISTOLIS
& Miscellaneis Ang. Politiani
continentur.

A.

Abammon 603
Ab ima die 210
Ab limine 480
Abnumerus 588
Accensi 647
Achilles Patroclo iunior 551
Adq;, pro atq; 120
Ad, & At 120
Adgredior, pro Aggredior 121
Ad instar 575
Adlocutio, pro Allocutio 121
Adulescens, pro Adolescens 129.135
Aediles 620
Aegis Palladis 553
Aesculapius 41
Aetia Callimachi 387
Africanus iureconsult. 155
Agon' 582
Ai diphthongus 548
Alba linea 342.645
Albertus Magnus 481
Alexander Sartius 196
Alexandri vox 291
Ammonis templum pauperrimum 560
Amphimachi caedes 598
Amuβis 342
Amicus Plato, magis amica veritas 45
Amicitia vera & incorrupta 54
Amantium iudicia caeca 93
Amystis Threicia 388
Amphora 309
Angeli Politiani laus 71
Anima quid, & quae eius essentia 55
Animalia dijs sacra 360
Animans haec 489.496
Annotationes Politiani in Silvas Statij 157
Anthusa 6
Anthus, siue Pub. Furius Anthianus 155
Anthia 559
Anticlus 598
Antigraphon 555

Antilochi cædes 598
Antiquarius 553
Antonius Lollius 232
Apathia 11
Apellicon Teius 485
Aphthonij rhetorica progymnasmata 494
Apinæ 599
Apio coronantur Nemea vincentes 332
Apographon 555
Apollonius Molo de Ciceronе 483
Appendix femin. gen. 464
Apuleij locus 516
Aquai 548
Aquilæ pulli 227
Arbusculamima 213
Arcades Proseleni 638
Arcadius iureconf. 155
Argumenta comœdiarum Terentij cuius sint 590
Aricini axes 330
Aristoteleorum librorũ corruptio 475
Aristotelicorum librorum numerus 440
Ars imitatio naturæ 243
Artabæ 311
Ascopa 349
Ascopera 509
Aspirationis vsus 907
Astrologi à Plotino irridentur 284
Astronomici instrumenti descriptio elegans 118
Attegiæ 490
Atlas 512.544
Atrabilis 628
Atticus philosophus 532
Audacia 411
Augustinus 471
Augustini locus 617
Auicenna 40
Auli Gellij lib. inuersi 547
Ausonij locus 542.545. 554.585
Automata 640
Αυτόματον 117

B.

Baculus Tiresiæ 603
Baptæ 491
Baptistæ Alberti, qui de re ædificatoria scripsit, laus 303
Bartolemæi Scalæ fortuna 375
Bartolemæus Socynus 156
Baubari 477
Bendidia sacra 492
Bernardinus Valla 615
Bibliotheca Laurentij Medicis 44

Binarius fœcundus 358
Bœotia 30
Boëtia 30
Boëtius 470
Bona cutis 367
Bruti imago 591

C.

Caballi 586
Cacoëthes 167.171. 331.552.
Cadmus in Græciam literas attulit 543
Καιρός 555
Κάλλαια 349
Callistratus iureconſ. 155
Camelopardalis 478
Candor, & officium Candidi 411
Caperare frontem 581
Capita ſecundæ centuriæ Politiani 585.389
Carpatinæ, Carbatinæ, et Carbaſinæ crepidæ 477
Carthaginienſis, pro Carthaginenſis 136
Catulli locus 516.589 595
Cauſarij 635
Centiens, Milliens, Vincenſimus: pro Centies, Milies, Viceſimus 134
Ceratinæ 564
Κίρατα 664
Κιρατινὸς βωμὸς 560
Ceration 308
Cerealia 620
Cereales 620
Ceſtus Veneris 495
Chaldæi Græcis & Latinis organorum nominibus vtuntur, etſi corruptius, vt apud Danielem prophetam videre eſt 498
Chariclò 603
Chiſthos herba 41
Chœnix 309
Choliambi 585
Chordarum ſonus 642
Chriſtophorus Landinus 600
Chus 309
Cicero 81
Ciceronis laudatores 470
Ciceromaſtix 472
Ciceronis locus 505.520. 528.583. 622
Ciceronis erratula 562
Cicuta homini venenum eſt, cicutæ vinum 582
Circenſes ludi 620
Circumagi 641
Κιὸδὸς 45
Κιωὸς 45

Cita-

Citare 367
Citheris mina 213
Cito, Concito, Incito, Oscito, Excito 364
Clisthenæ 493
Coagmenta 588
Cochlear 309
Codex epistolarum Ciceronis 516
Cæli filij 506
Colchos 524
Columellæ locus 536
Comitialis morbus sacer 628
Commentarij Politiani in ius ciuile 298
Commodum 615
Compendiariæ notæ 546
Compremo, pro Comprimo 129
Concha Herculea 497
Conditores iuris qui, & quot 150
Congius 309
Conion non aconitum, sed cicuta 583
Conopæum 368
Consentini 627
Conniuere 588
Cornicum concordia 589
Cornucopiæ 647
Coronæ lemniscatæ 593
Cottidie, pro Quotidie 218
Cotula 309
Cotytto deo 492
Cotyttia sacra 491
Cotys 492. 493
Crambe 533
Crethmon 515
Crispinus apud Iuuenalem quis 329
Crocodilus 566
Cucuma 526
Cucumion 527
Cuicuimodi 461
Culcita, pro culcitra 218
Culleus 309
Cyame ibid.
Cyathus 309
Cypriani locus 537

D.

Dæmonum præstigia 569
Dantes 509
Decertandum an sit cum mortuis 87
Decimum, seu Decumanum 621
Dedititij 619
Δᾶγμα 218
Demensum quid 361
Democriti puteus 336
Demosthenes 81
Dingondas Thebanus 492

Dianæ festum 558
Didymus aduersus Ciceronem 477
Dierum nomina cur à planetis 484
Dierum partitio secundum Hesiodum 357
Dies dominicus 485
Dierum nomina à Constantino mutata 486
Diffindi diem 545
Digestorum locus 602.615
Digitorum nomina 583
Diligentiæ vtilitas 585
Dinocrates Architectus 247
Dionysius de situ orbis non à Prisciano, sed à Rhemnio Fannio conuersus 350
Dioscorides summus auctor 46
Diphthongi veteres 548
Doliaris anus 552
Domitius iurecons. 152
Domitius Calderinus 72. 486.596
Eiusdem Commentarij 487
Domitium Calderinum carpit 87
Dorsennus poëta 387
Drachma 308
Draucus 485
Duella 308
Dupondij 636
Durateus equus 481
Δορά τιος 482
Δούριος 482
Duria nox 482
Δούριος, καὶ Δούρειος 482

E.

Ecclesiarum magistri superciliosi 113
Ecstasis 629
Ἐλάσιμος 217
Edulis vua 210
Ei diphthongus 548
Electrum 591
Eloquentia, & ornatus orationis an deceat philosophum 257
Encyclia 480
Ἐνδιελίχεια, ἐντιλίχεια 469
Ἐνδιελιχισμὸς 470
Endelechia 349
Enthea chorea 557
Epigramma Politiani Domitio dicatum 488
Epistula, pro epistola 136
Equitum certamen 355
Equorum tripudia 502
Eribotes 24

Erythrotaones 568
Euander 592
Εὐανδρὶς 349
Euhemerus auctor Græcus antiquissimus 535
Εὐλάβεια 473
Eupolidis comœdia 491
Euripidi genitiuo 520
Excucurrisse 557
Ἐξωτερικοὶ 475
Expernata 595
Exquisitæ ambiguitates 566

F.

Fabij pueri laus 351
Fab. Sabinus Iurisc. 154
Faciebat 553
Fæsulæ à quo conditæ 8
Ferruminator 125.136
Ferrumen 130
Ferrumino 126
Festi Pompeij opus 594
Florentinæ ciuitatis origo 5
Florentinus iureconsl. 155
Fluentini 7
Fortis quis verè dicatur 405
Fortuna gloriæ carnifex 406
Fouri 549
Franciscus Gaddius Florentinus 18
Franciscus Puccius Florentinus 161
Fraterculus gigantis 509
Fugare 367
Fuimus Troës 623
Fulgentius 588
Furuum 544

G.

Galenus 46
Galeni locus 540
Gallus Aquilius 150
Galli intempestiua vox 216
Gangræna 487
Gellij libertas 562
Gellij locus 534.537.547
Genetæum promontorium 24
Genius Iuno 625
Georgius Merula 162 311
Georgius Trapezunt. 631
Gibbus 332
Glaphyra 331
Graculatim & sturnatim 25
Græcanici colores 496
Gyaris traducti 329
Gypsatissimæ manus 520

H.

Habitus pacificator 587
Hammonis templum pauperrimum 560

Harmonides 358
Harpocrates, & eius significatio 616
Hecale 515
Hecalesion sacrum ibidem
Helenæ imago 595
Helena cur meretrix 596
Helenæ conatus 597
Heliodorus 478
Hemina 309
Hemiteon 500
Hepataplus Pici 481
Heraclitus 559
Herculis furor 628
Hercules atra bile vexatus 629
Hermogenianus iureconsultus 155
Hermolaus Barbarus patriartriarcha Aquileiensis 20. 347.627
Hermolai Barbari laus 91. 256
Herodianus historiographus 220
Hieronicæ 641
Hieronymi somnium 472
Hieronymus Donatus 628
Hieronymus Sauanorola Ferrariensis 103
Hilarius 629
Hephestion 550
Hominem homini conciliat mores 19
Horarium officium 56
Horatius veteres poëtas reprehendit 88
Horatij locus 494.547. 634.644.
Hortensius Ciceronis 472
Humilitas 411
Hypate 642

I.

Iabolenus iurisconsl. 151
Icheon 617
Illex 495
Illuni nocte 647
Imagines à Platonicis in cælo positas quomodo intelligendum 285
Ima dies 210
Imitatores reprehenduntur 239
Imitandus præ ceteris Cicero 242
Imperitia 411
Inepti vocabulum 473
Informatores librorum 369
Initiandi puerorum superstitio 625
Institutionum locus 618
Insubitus poëta 483

Intellego, pro Intelligo 129 135
Inter frontem & linguam 596
Interpreti veniam deberi 123
Ioannes Medices, postea Leo x.pont.max. 105. 224
Eiusdem laudes 225
Iones delicati 504
Iouis sepulcrum 536
Isocratis myrothecion 473
Iucundus Veronensis 601
Iulianus Medices 105
Iulij Cæs. commentarij 291
Iulius Paulus 152
Iulius Celsus 151
Iuniani 619
Iupiter xenius 24
Iurisconsultorũ nomina 150
Iustus Iurecons. 155
Iuuenalis locus 510. 552. 588. 619. 626.

L.

Lacedæmonius orbis 541
Laconicorum figura 541
Lada herba 43
Ladanum ibidem
Lampetræ 414
Lampyndæ 414
Landinus Politiani præceptor 133
Laodamia 597
Lapis Lydius 29
Latini 619
Latinus mimus 212
Latruncularia 329
Laur. Tornabonus 355
Laurentius Valla 72
Laur. Medicis laus 67. 627
Laurentij Medicis mors 97. 99
Ledon herba 43
λεύκα 545
Lemnisci 592
Lenuncidus 483
Lepor 635
Lex Hesiodi in beneficijs reponendis 51
Libertini dedititij 618
Libra Romana 308
Libra Attica 308
Librorum excusores 319
Liuij locus 635
Loci aliquot ex altera Politiani centuria 385
Locus Plinij 400
Locus epistolarum ad Atticum 563
Locus digestorum 210
Locus Valerij Flacci 23
Locus Ouidij 328
Loculorum nomina 584

Loci in Pomponio Mela castigati 437
Lodouicus Francorum Rex 225
Lolio victitare 588
Lucianus 348
Lucernarij canes 477
L. Sulla 475
Ludi seculares, ludi Tarentini 570
Lunæ habitationes 505
Luna quarta nati 605
Lunæ tacitæ silentia 306 643
Luna silens ibidem
Lunæ & Solis factura 637
Luna quarta 637
Luscioſi 588
Luscicij ibid.
Lydeanus 552
Lyde Antimachi 391
Lysimachi facies cur cornigera 602
Lytæ, Prolytæ 630

M

Macer Iureconſ. 155
Macrobius 471
Macrobius notatus 384
Macrobij locus 642
Mala 643
Manius 505
Manumittendi mos 641
Marcellus Iureconſ. 151
Martij panes 401
Martij paſtilli ibid.
Martiatum vnguentũ ibid.
Marcus Varro ſcientiæ mulatæ, nullius eloquentiæ 80
Marianus Ganazanenſis Theologus 112
Marſilij Ficini laus 646
Marſypia 584
Martialis argutia 562
Martialis locus 558.560. 566.638
Martianus Iureconſ. 151
Matricẽ conſcribellatã 476
Matthæus Francus 306
Mauritianus iureconſ. 155
Maximus Iureconſ. 155
Mazapanes 401
Maza ibid.
Mecœnas 345
Medea Ouidij 580
Medici imperiti carpuntur 40
Medicus digitus 583
Medimnus 309
Megabyzus 554
Melampodium 556
Melampus 557
Melo, qui & Nilus 544

Melos 349
Memmius 620
Menander Iureconſ. 155
Menſurarum vocabula 308
Merulæ laus 487
Merula homeromaſtix 162
Merulæ errata reprehenduntur 327
μεριωρος 563
Mileſiæ deliciæ 504
Mileſiacæ Ariſtidæ 503
Mileſius ſermo 503
Mina 309
Minerual 511
Mineruale munus 510
Miniata cerula 563
Miruſt, pro mirum eſt 588
Miſcella Hetruſca 401
Mißiculare 235
Modeſtinus Iureconſ. 155
Modius 309
Momus 10
Mortuaria gloſſaria 266
Mulieres litteris pollẽtes 83
Multimammia 558
Mures ſalaces 639
Murorum deiectio 641
Muſæ Pici Mirandulæ 9
Myſtros 309

N

Nabla, Nablia 448
Naulia 448
Naula ibid.
Naulon, Naulion 449
Nedum 470
Neleus Scepſius 475
Neratius Priſcus 151
Neronianas thermas refrigerare 505
Neſcea tunica 628
Neuel 449
Nicephorus 555
Nicetes Rhetor 524
Nocturna ſacra inhibenda 492
Nodi Cnidij 544
Nomina tria ẽ ſeruitute manumißis dabantur 528
Nonæ Caprotinæ 388
Nonnus Poëta 494
Nouißimus 390
Numantini ortus 331

O

O Littera nouitia 135
Obolus 308
Obruſa 164
Ocnos Spartum torqueat 615
Organorum nomina 499
Origo mina 213
Opici 330.482
Ouidij locus 518.597.598. 617.620.621
Ouis fera 480

P

Palliolum 330
Pan 358
Pan belliger 525
Panici terrores 523
Panica ibid.
Pandectæ 150
Pandectæ Pisanæ 546
Pandectæ archetypæ 602
Panniculus mimus 215
Papinianus Iureconſ. 152
Papinianiſtæ ibid.
Pardalis 480
Parotides 556
Paſſer Catullianus 483
Paulus Aeginita 558
Per æqua & iniqua 487
Percidios 215
Peripatetici Græci & Latini 440
Perſij locus 528.549
Perſonatus 472
Perſij locus 640
Perſicæ arboris typus 617
Pes 309
Petrus Medices 98.105. 356
Petrus Aponenſis 630
Phæchaſij 330
Phalaridi quæ attribuuntur epiſtolæ, ſunt Luciani 4
φιλαυτία 51
Philelphus 606
Philippus Imperator Chriſtianus primus 574
Philippus iunior 574
Philo Hebræus 500
Philotheoros 622
Philyra 592.593
Philuræ 594
Pianina 575
Picus Mirandula 499
Pici Mirand. laus 254.279
Pitho 633
Pityliſma 321
Pytiſma 321
Platonis & Ariſtotelis concordia 354.476
Planetes 484
πλάνοι 477
Plauti laus 399
Plauti locus 333.587.588
Plinius defenditur contra Leonicenum 42
Plinij & Auicennæ error circa Ciſthon et hederam 41
Plinianæ Caſtigationes Hermolai Barbari 437
Plinij locus 530.554 556. 568.582
Plutarchus Romani ſermonis

his imperitus 66
Politianus ecclesiastes 121
Politiani opera lingua vernacula 512
Pollicem vertere 548
ποιμενικῶν libri 477
Pomponius Iureconsl. 154
Pomponius Lætus 595
Pomponij locus 544
Ponderum nomina 308
πόνος 473
Poppysmi 530
Pornoboscos 632
Posidonius 472
Potestur 592
Præiudicata opinio 490
Preimus 620
Præquàm 496
Priapeia 579
Prisciani versio 489
πρίων 566
Probus Maronis enarrator 558
Prodigia in morte Laurentij Medicis 107
Prætidum furor 556
Prætidum purgatio & nomina 557
Propertij locus 602.614
Proscucha 527
Pueritia, & Puerilitas 164
Pyriaterium 541
Pyrrhonij qui 31
Pytisma 388
Pytissare 321

Q

Quinquatria 510
Quintiliani locus 564.587
Quod genus 481
Quodannis, pro quotannis 120
Q. Mutius Scævola 150

R

R Littera aspera 129
Rapinator 645
Recidipna 386
Redemo, pro Redimo 129
Refractarius 486
Retorquere 27
Rhadagasius Gothorum Rex 9
Rheni fluuij ingenium 228
Rhinoceros 567
Ridere hominis proprietas 626
Risus Catonianus 11
Romana grauitas 555
Romæ triplex nomen 6
Rosa 496
Rufinus Iurecõsultus 155
Rufinus Iosephi traductor 490

S

S Littera in carminibus 362
Sabadius deus 497
Sabbatum 485
Sabinus iureconſ. 154
Sacerdus, pro Sacerdos 136
Sacerdos caſtratus 559
Salis exemptio 594
Salluſtius vt affectatè ſcribens notatus 133
Salutis augurium 497
Saluius Iulianus 151
Saturnalium ſportulæ 511
Saturnalitia 511
Saturniæ leges 603
Saturni curſus 642
Scala podagricus 367
Scalpētes caput digito vno 483
Scazontes 585.586
Sciamachiæ 534
Scortari 584
Scortes 584
Scotinos 559
Scripulus 308
Scruta 527
Secularium ludorum origo 583
Seculares ludi cur ſic dicti, eorum inſtitutio, & tempus 571
Secularium ritus 574
Senecæ locus 504
Septenarius ſacer 358
Sepia 544
Sepiæ natura 532
Septimij Seueri arcus 574
Serapio 46
Serapis & Iſis 617
Serbidius Scæuola 152
Seruius notatur 623
Sextarius 309
Sextula 308
Sicilicus 308
Silentium in auſpicijs 644
Siliquæ 308
Simia turpiſſima beſtia 172
Siſtere 545
Solinus notatus 384
Sonchon 515
Sozinus hiſtoricus 525
Specimen 218
Sportæ 584
Statij locus 587
Stelographia 573
Stephanio 573
Stylus epiſtolarum 4
Stoicorum dogmata 11
Stratocles orator 74
Struma 332
Struthocamelus 568
Struthus Libyſſa 479

Sturio 414
Suadela 634
Suadæ medulla 633
Suetonij locus 519.639 641
Suidæ collectanea 529
Sulpitius Apollinaris Auli Gellij præceptor 390
Sultanus 478
Summa dies 218
Superbia 411
Supernati 595
Supina carmina 511
Supinus 329
Surda testimonia 513
Surenas 503
Sustine & abstine 12
Sybaritis 500
Sybariticæ nequitiæ ibidē
Sybaritarum luxus 501
Sybarites per plateam ibid.
Sybaritæ dictum insulsum 502
De Sybaritis historia non vulgaris ibid.
Syllographi 477
Σύνταξις 563

T

T Littera finita syllaba communis 592
Tacita Virgo 644
Talentum Atticum maius & minus 309
Tarentus 570.571
Tarentinus 570
Tarentini ludi ibid.
Tarentini 627
Tarruntius Paternus iureconsul. 155
Tauri Aethiopici 567
Tegeticula 570
Terentij locus 584
Terentius Clemens 155
Terminus deus 538
Terræ filius 506
Tertulliani opera 111
Tertulliani locus 567
Tertullianus iureconsl. 155
Testamenti Veteris enarratores 636
Testiculi arietini 584
Tetraones 568
Tetraones 349
Tetrax 349
Teuthrantia turba 526
Teuthras ibid.
Teutones nouorum librorum excusores 127
Thalamegus nauis 386
Theodori Gazæ erratum 628
Theon 524

Thespia 526
Thimele mima 211.213
Tibarni 24
Tibarenorum mos 24
Timantes 12
Timarchi 493
Tilia 592
Tincæ 414
Tiresias cur oculis captus 603
Toties, Totiens, Quoties, Quotiens 129.134
Τραγήμα]α 218
Trechedipna vestis 386
Tricæ 599
Trimetri 586
Triphonianus iureconsultus 155
Triumpus 508
Τρώξιμ@ 217
Τρωγάλια 218
Trocta 414
Trutta 414
Tyro 496

V

Valens iurecons. 151
Val. Flacci locus 482
Valesus, Valesius 569
Valeriæ familiæ origo 569
Variegata 479
Varronis locus 535
Venuleius iureconsul. 155
Veratrum 556
Vergilius Parthenius dictus 580
Vergilij locus 591.603. 623.642
Vergilij Elegidion 495
Vergilius, an Virgilius scribẽdum 128.134.598
Veritatis locus 418
Vicissatim 479
Virgula diuina 645
Vini vsus 582
Vlcera Herculis 628
Vlpianus iurecons. 152
Vmbræ corporis 96
Vmbritius 330
Vncia 308
Vocales geminatæ 549
Voluptatum fuga 441
Volusius Metianus 151
Vnitas princeps numerorum 358
Vsum loquendi populo 508
Vterus 329
Vulcanus cur præcipitatus sit, & quòd ex Ioue natus 624
Vulcanus deus selectus ibid.
Vulgarijs exemplaribus 544

Vulgus 30
Vulua 329

X.

Xenocratis caseus 402
Xenophon Ephesius 559

Z.

Zelotypia quid 75
Zenobius præsul Florentiæ 7
Zeusis pictor 595
Zopyrion 547

FINIS.

1477.21